4° Ph. sp. 29 xz

Buddeus

Ex bibliotheca
Steph. Quatremeri.

JOAN. FRANCISCI BUDDEI
THEOL. D. ET P. P. O.

THESES THEOLOGICAE
DE


ATHEISMO
ET

SUPERSTITIONE
VARIIS OBSERVATIONIBUS
ILLUSTRATAE.

QUIBUS SUAS ANNOTATIONES

ADJECIT

JOANNES LULOFS,
PHILOS. MATHES. ET ASTRON. PROFESSOR IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA AC FLUVIORUM HOLLANDIAE WESTFRISIAEQUE INSPECTOR GENERALIS.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOANNEM LE MAIR,
MDCCLXVII.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

JOANNIS LULOFS

PRAEFATIO.

Equidem haud injuſtae ſunt ſincerâ religione Deum colentium querelae de indies latius ſerpente per cultiores Europae regiones, ipſis Civitatibus earundemque Rectoribus infeſtâ, Atheiſmi rabie, ac de invaleſcente teterrima Libertiniſmi peſte; adeo ut non deſint maleſani, qui, vera rerum nomina perdentes, homini bene ac liberaliter educato dedecori habent, ſi iis virtutibus ſit conſpicuus, quae ex pietate maſcula pretioſiſſimum ſuum nitorem mutuantur & decus. Attamen, uti illas Plantarum ſpecies in qualibet regione

copiosius crescere voluit adoranda Numinis summi beneficentia, quae hominibus & animalibus ibidem natis maxime conveniunt; imo uti ex plantarum nascentium frequentia haud leves conjecturae capiuntur, quibusnam morbis endemiis maxime subjecti sint regionis incolae; sic quoque eximio divinae providentiae munere in istis nostri Orbis partibus, ubi atrociores illi mentis humanae morbi omnium saevissime grassantur, numerosissima adsunt Antidota, quibus venenorum istorum vires frangantur, hominumque animi firmentur contra periculi caeteroquin plenissimum eorundem impetum.

Inter haecce Antidota principem tenent locum Cl. BUDDEI, *de Theologia non tantum, sed & de Philosophia meritissimi Viri*, Theses de Atheismo & Superstitione, *quas, suis Observationibus illustratas, anno hujus seculi sexto & decimo Jenae in lucem emisit, quaeque A.* 1737. *in illa forma, quam* octavam *dicere solemus, Trajecti ad Rhenum nitide satis fuerunt recusae. Alias insuper in Germania hujus Operis* (*quod etiam A.* 1723. *in linguam Teutonicam est transfusum*) *paratas fuisse editiones, mihi nondum visas, vix dubitare licet, cum ejus praestantissima utilitas, atque indies crescens necessitas inter veritatis pietatisque amantes plurimos allicere debuerint emtores: nostris saltem in regionibus tanta obtinuit exemplarium penuria, ut honestus & diligens Bibliopola Leidensis*, JOANNES LE MAIR, *cui omne jus in Trajectinam editionem*

fuit

fuit quaesitum, de nova Editione sollicitus, vix unicum, quod sequerentur Typothetae, recuperare potuerit eximii Operis exemplum.

Postquam autem hasce Theses recudere apud animum constituerat Bibliopola, atque, eruditissimorum quorundam Virorum, benigne nimium de me meâque in hujusmodi Disputationibus contra Atheos peritia sentientium, consiliis excitatus, a me petierat, ut & meas Animadversiones adjicerem, iisque vel confirmarem, vel illustrarem ipsius Buddei *Observationes, denuo perlegi praestantissimum libellum, reperique, variis in locis talia posse addi, quae nec penitus inutilia essent, nec celeberrimo Auctoris nomini dedecori fore sperabam: & licet me undique negotiis haud exigui momenti, cum Academiam, tum Civitatis Hollandicae Fluvios aliasque aquas spectantibus circumseptum deprehenderem, honestae tamen petitioni deesse nolui, horas meas subcisivas non melius impendi posse existimans, quam in demonstrationem & defensionem veritatum, quae mentem post funera superstitem omnium maxime alere possunt & delectare.*

Capiti primo, *quo disquiritur*, an dentur Athei, *plurima adjicere, ac latius exspatiari potuissem in* Historiam Atheismi, *quae a variis Viris eruditionis fama celebribus pertractata fuit copiosius, quam ipsa rei indoles sinebat; cum in eo praesertim versetur quaestionis cardo*, an exstent, vel exstiterint unquam, qui bona fide existentiam

Dei negarunt, ac de hacce sua opinione ita fuerunt persuasi, ut solidissima pro amabili illa veritate a Numinis defensoribus allata argumenta Sophismata reputaverint? *De eo vero*, an fuerint, vel etiam hoc aevo reperiantur, qui ore scriptisve existentiam Dei impugnarunt, aut talia tuiti sunt dogmata, quae cum plena persuasione de illa veritate in eadem sede morari nequeunt, *dubitavit nemo. Ast si omnes, qui non cohaerentes inter se, aut absurdos de Deo rebusque divinis foverunt conceptus, inter Atheos referre vellemus, ex paucis quibusdam ac mutilis eorum dictis, aut ex adversariorum, stupidâ quandoque ignorantiâ laborantium, testimoniis eruentes conclusionem, vix finem inveniret eorundem index; nec tantum sagacissimos inter Gentiles Philosophos, sed & a nobis in rebus Religionis dissentientium Christianorum plurimos atro hoc carbone notare liceret; & forte ipse Cl. Auctor in detegendis Spinosistis inter antiquioris aevi Philosophos aliquando nimium oculatus fuit & justo suspicacior. Paucae proinde ac breves fuerunt annotatiunculae meae ad Caput hocce primum, cum Atheorum catalogum contrahendum, non extendendum putarem; unde etiam nonnullos ab Atheismi suspicione liberare studui; meas vero qualescunque observationes ostentatione eruditionis vanâ, nec Herculeos labores requirente, nolui conspurcare; caeteroquin totam fere Philosophiae veteris ac recentioris historiam peragrare, ac Virorum de scientiis optime meritorum placita,*

horum-

borumque ſequelas, virtutibus divinis ſaepe non ſatis convenientes, acriori cenſurae ſubjicere licuiſſet: an vero hac ratione Cl. Auctoris ſcopo ſatisfeciſſem & meo, an ſatis conſuluiſſem Lectoris commodis, imo an ſatis obtemperaſſem aequitatis ac charitatis legibus, vehementer dubito.

Pauca ſunt, quae adjeci Capiti ſecundo, *ubi disquirit Auctor*, quid & quotuplex ſit Atheismus; *paulo plura acceſſerunt Capiti* tertio, *dogmata, quae cum Atheismo conjuncta ſunt, recenſenti, ac fundamenta ponenti eorum, quae in Capite ſeptimo pertractarentur; adeoque in veram eorum mentem, qui illa dogmata fecerunt ſua, inquirere, vel nexum inter ea atque inter Atheismum hinc inde paulo plenius inveſtigare nec inutile duxi, nec a propoſito alienum.*

Plura addidi Capiti quarto, *in quo pinguntur Atheismi cauſae, proprietates & effectus; cum de atrociſſimi morbi origine, ſymptomatibus & periculo ſummo certi eſſe debeamus, antequam ſalutifera remedia praeſcribere, ac vitioſam animi diſpoſitionem emendare conceditur. Hac autem occaſione, Auctore duce, paulo penitius inquiſivi in valorem argumenti praeparatorii, quod* Paſcalio *ſolet tribui, & deſumitur* ab eo, quod tutius eſt; *nec non in amaros, quos Atheismus in ipſa vita civili fructus profert, atque in ſaluberrimos, quos Chriſtiana Religio in quocunque hominis ſtatu edere poteſt effectus; quo ipſo manifeſtum red-*

redditur, *quantopere hic a vero aberraverint*, *Viri caeteroquin ingenii laude non defraudandi*, Baile *&* Rousseau.

Haud paucis observationibus ansam praebuit ac materiem Caput quintum, *in quo*, Deum esse, *variis argumentis demonstravit Cl.* Buddeus: *hic*, *scilicet*, *uberius pertractavi illa*, *quae spectant ad rationes ex consensu Gentium*, *ex idea Dei a* posteriori, *& ex eadem idea* a priori *petitas. Adjeci quaedam specimina ratiociniorum*, *quibus omnium Veritatum amabilissimam indirecte demonstrare licet ex consideratione rerum corporearum*, *eaque liberius defendi contra* Maupertuisii, *dicam*, *an veterum Epicuraeorum*, *exceptiunculas*, *quae*, *si alicujus fuissent valoris*, *aeque contra ipsius* Maupertuisii *demonstrationem*, ex legibus parcimoniae *depromtam*, *potuissent militare. Exposui porro*, *Auctoris vestigiis insistens*, *rationes praecipuas*, *quae mentem a materia distinctam declarant*, *ac varia ex ejusdem constitutione pro existentia Dei petii argumenta. Tandem rationes*, *quae contra aeternitatem mundi adduci solent*, *quaeque praesertim pro recenti systematis nostri Planetarii*, *habitationis nostrae*, *ac generis humani origine facere videntur*, *potentius urgere*, *easque contra quorundam recentiorum exceptiones defendere fui conatus.*

Neque in Capite sexto, *in quo Cl. Auctor Atheismi praecipua fundamenta evertit*, *simulque ad palmaria Atheorum argu-*

argumenta respondet, occasio defuit plurima adjiciendi, quae Scepticismi vires infringunt, materiae mundique aeternitatem, imo & hujus creationem ab aeterno factam absurdam esse docent, atque fortuitum atomorum concursum ab Universi corporei formatione penitus excludunt; & hoc ipsum paulo distinctius exposui, ac contra exceptiunculas, quae in Cogitationibus Philosophicis (Pensées Philosophiques), *ab Homine in sua damna saepe ingenioso profectis, occurrunt, vindicavi.*

Plurimas addidi annotationes Capiti septimo, *in quo Cl.* Buddeus *dogmata refutavit cum Atheismo, sive arctiori vinculo, sive laxiori, conjuncta, ac Capite* quarto *recensita; ubi nonnulla inserui ad immortalitatem mentis nostrae, ad aliorum spirituum finitorum existentiam, ac ad Vaticiniorum indolem respicientia, quae mihi heic loci vix careri posse videbantur. Egi porro de veris Miraculorum characteribus, nonnullasque adposui observatiunculas, non quidem penitus novas, sed nunquam satis repetendas, Revelationis ac Christianae Religionis veritatem demonstrantes; ubi simul disquisivi, num Miracula, in Revelatione enarrata, directum suppeditent pro ipsius divina origine argumentum.*

Paucas admodum Observationes adjeci Capitibus octavo, nono & decimo, *in quibus Cl. Auctor fuse satis & perspicue agit* de Superstitione, *deque variis ejus generi-*

bus, causis, effectibus, proprietatibus & remediis: Superstitionis quidem species multiplices, ab Auctore non memoratas, vividis coloribus pingere, ac demonstrare potuissem, omnes, qui de Superstitione scripserunt, ab hocce mentis morbo non penitus fuisse immunes; sed, quia veritates maximi momenti in fulgentiori luce ponere easque contra Atheorum & Libertinorum tela defendere praecipuus mihi scopus fuit, consulto abstinui; praesertim cum, Superstitionis numerosa specimina proferens, satyram scribere nonnullis viderer, cumque sentirem ipse, quam & heic loci satyram non scribere *sit difficile.*

Plurimis in locis a Cl. Buddeo, *cujus memoriam veneror, recessi, meumque dissensum modeste significavi; quod opinor, vitio mihi vertet nemo; nec tamen, me in omnibus aliis locis placita Viri eximii mea facere, putandum est, licet nihil monuerim, quo meam circa res minoris momenti sententiam ab illa Auctoris diversam declararem; id quippe nec decens, nec utile existimavi, nisi ubi veritatis amor tacere prohibebat.*

Parcus admodum fui in proponendis observationibus, quae ad Theologiam revelatam pertinent, praesertim ad partem ejus exegeticam, falcem meam in aliorum messem immittere reformidans, sentiensque, quam curta sit mea supellex.

Non

Non omnia loca ab Auctore allata evolvere potui, aut volui; cum saepe pervocaverit ad scriptores, qui nostris in regionibus rarius sunt obvii; & si vel omnes fuissent ad manus, eorundem numerus adeo est ingens, ut nimium temporis insumere, dicam, an perdere debuissem, si ubique voluissem examinare, num consummatae eruditionis Buddeus, *eorum mentem recte fuerit adsecutus, num in numeros fortassis errores irrepserint, &c.; istiusmodi labor mihi, fateor, intolerabilis fuisset, atque a meo genio alienissimus; si quis alius a se impetrare possit, ut momentosum hoc scru tinium instituat, haud equidem invideo, miror magis, eumque vento suo navigare facile patior, dummodo mihi vitio non vertat, si paucis forte in locis numeros non satis exacte inveniat expressos sive ab ipso Cl.* Buddeo, *sive etiam a Typothetis.*

Stylo usus fui simplici, ac ab omni elegantiâ destituto; nec abstinere licuit a locutionibus, quas minime Latinas esse probe noveram: verum, si voces reperiantur in quavis fere pagina, quae delicatis Grammaticorum auribus sunt insuetae, ab altera parte Philosophis nostri aevi atque Theologis, qui istiusmodi maculis & styli sordibus non offenduntur, ingratum fuisset atque incommodum, si omnia vocabula barbara, quae technica *possunt haberi, rejecissem atque substituissem circumlocutiones, Latinas quidem, sed longius petitas & insolitas: &*

forte hac ratione in heterodoxiae ſuſpicionem, raro admodum noſtri ordinis hominibus honorificam, incurrere potuiſſem, ac ſero nimium fuiſſem expertus, & in ſtyli cultioris amore intempeſtivo dolorem eſſe poſſe, & fuco quandoque perfuſam eſſe purioris Latinitatis gloriam.

ILLUSTRISSIMO COMITI AC
DOMINO

DOMINO
ERDMANNO

SACRI ROMANI IMPERII COMITI DE PROMNITZ, LIBERO DYNASTAE IN PLESSE, SORAU, TRIEBEL, NAUMBURG ET KLITSCHDORFF, HEREDITARIO DOMINO IN HALBAU, KUNAU ET BURE, RELIQUA,

DOMINO SUO LONGE GRATIOSISSIMO.

ILLUSTRISSIME COMES,

DOMINE GRATIOSISSIME,

Cum praeteriti temporis rationes in memoriam mihi revoco, inter reliqua vitae, inter labores Academicos maximam partem transactae, gesta, nihil quod jucundius mihi sit, aut majori me voluptate perfundat, temere occurrit, quam quod TIBI quoque, DOMINE GRATIOSISSIME, visum fuerit, cum in Academia Hallensi, litterarum studiis, magna cum laude, immo cum admiratione maxima eorum omnium, quibus paulo propius TE intueri, contingebat, incumberes, mea quoque institutione uti. Eam namque Philosophiae partem, quae corrigere & emendare mentem, & ad praeclara quaevis atque egregia instruere docet, a me TIBI explicari tradive voluisti; quae, ut nobilissima omnium, longeque praestantissima est, ita

ita ſummam iſtam, in qua per proſapiam illuſtriſ-
mam Deus TE collocavit, vel maxime decet for-
nam. Neque promte tantum alacriterque eo tem-
pore, quae tradebantur, capiebas, retinebasque fir-
miter, ſed cum ſalutaribus inſuper doctrinis, quas
Scriptura ſacra continet, ad ſublimia & coeleſtia nos
erudiens, animum imbueres, indeque verae ac non
fucatae pietatis ſemina menti generoſiſſimae infige-
res, fieri aliter non poterat, quin iſta virtutis, qua
inter omnes, quos naſcendi conditio, generisque
ſublimitas, TIBI aequales fecit, emines, imago in
TE exſplendeſceret. In TUAS, enim vero, ILLU-
STRISSIME COMES, excurrere laudes, animus non
eſt. Etſi enim nihil, quam quod veriſſimum ſit,
dici poſſet, non magis tamen eos, qui hoc faciunt,
TIBI placere ſcio, quam id eos decet, qui ad Chri-
ſtianae doctrinae regulam, vitam ſuam moresque
componere, ſuarum ducunt eſſe partium. Summi
potius benigniſſimique Numinis gratiam atque favo-
rem ſingularem, devota mente celebramus, tam
largiter quod ſuas in TE contulerit dotes, ut nihil
TIBI prius, nihilque antiquius ſit, quam mentem a
ſeculi contagio puram & illibatam ſervare, amorem-
que erga Servatorem noſtrum ſincerum non verbis
tantum, ſed factis demonſtrare, omnia denique age-
re, quae ad divini Numinis gloriam propagandam

ac

ac amplificandam, facere aliquid videntur. Ego vero, ut ob istam felicitatem Tuam gaudio maximo perfundor, ita & hoc nomine beatum me judico, quod meae qualiscunque institutionis adeo non fueris immemor, ut subinde favoris Tui summi, gratiaeque documentum erga me extare volueris. Immo cum nuper in nostra urbe praesens esses, non tantum facultatem TE adeundi, TECUMQUE colloquendi, benignissime mihi concessisti, sed verbis quoque longe humanissimis TUUM ita erga me animum, TUAMQUE declarasti voluntatem, ut meis nihil amplius addi posse votis, cum laetus hilarisque a TE discederem, merito existimarem. Hinc vero cum studium in me sentirem singulare, animum devotum TIBI, obsequiumque demonstrandi, eam, quae nunc se offert, eo minus praetermittere volui occasionem, quo certior sum, TE ILLUSTRISSIME COMES, hoc, quicquid est officii genus, ex sincero quippe amore profectum, non aspernaturum. In lucem namque nunc tandem prodit, quam jampridem molitus sum, animoque volvi, commentatio mea de Atheismo & Superstitione, in qua id operam dedi, ut veram regiamque ad salutem viam monstrarem, quam evitatis duobus scopulis, impietate & superstitione, ad quorum alterutrum plerique mortalium naufragium faciunt, ingredi debent,

qui

qui ſuis rite conſultum rebus cupiunt. Atheismi nimirum ſeu impietatis, dum ſolide, ut puto, deſtruxi fundamenta, Chriſtianae ſimul religionis, quae ſola nos beatos reddit, & ab omni miſeria liberat, adſtruxi veritatem. Superſtitionem autem, alterum illud, nec minus noxium, dum rejeci monſtrum, luculenter oſtendi, ritus, & ceremonias, & externa quaevis, parum prodeſſe, niſi corde, per fidem in Chriſtum a peccatorum ſordibus purgato, Deum colamus. Quae dum copioſius ediſſerui, de maximi momenti rebus, praecipuisque quibusdam ſacrae doctrinae capitibus, verba mihi facienda fuere. Quod quidem argumentum, ut haud dubio TIBI, DOMINE GRATIOSISSIME, longe erit gratiſſimum, ita, licet ipſa tractatio nihil eximii contineat, ſolum tamen efficeret, quo minus non prorſus indignus liber hicce cenſeri debeat, qui in TUUM prodeat conſpectum. Non ergo, quae TUA eſt clementia & gratia ſingularis, aegre TE laturum confido, eum quod ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO ſacrum eſſe juſſerim; immo qua omnes homines ſoles, ac me ipſum quoque haud ſemel accepiſti, humanitate, & hunc libellum TE accepturum, prorſus mihi perſuadeo; idque ut facias, ea qua decet animi obſervantia a TE peto atque contendo. Hoc vero ſi impetravero, voti me da-

innatum cenſebo; qui, & quod mearum omnino partium eſſe exiſtimo, praepotentem Deum nunquam venerari deſinam, ut TE, ILLUSTRISSIME COMES, omni felicitatis genere auctum cumulate ac locupletatum, rebus mortalium, ſed ad aeterna ſemper & immortalia adſpirantem, quam diutiſſime intereſſe jubeat, tandemque curſu hujus vitae ex voto peracto, in beatorum ſedes translatum, coetui ob hoſtes Servatoris noſtri fortiter devictos, triumphanti adjungat. Haec votorum, haec precum ſumma eſt, quas nunquam non pro TUA ſalute fundet

TUUS

ILLUSTRISSIME COMES

DOMINE GRATIOSISSIME

devotiſſimus ſubjectiſſimusque

Jenae die XXVIII. Julii
M DCC XVI.

JO. FRANCISCUS BUDDEUS.

ADLO-

ADLOCUTIO AUCTORIS
AD
AUDITORES SUOS.

Quod Academiae noſtrae leges jubent, & res ipſa poſtulat, ut ad divinarum litterarum intelligentiam ſedulo & omni cura perducantur, qui docentium munere aliquando rite in Eccleſia fungi cupiunt, id a me quoque haud perfunctorie hactenus obſervatum eſſe, nemini veſtrum, Juvenes optimi, ignotum eſſe poteſt. Neque enim tantum in iis, quas privato ſtudio ſuſcepi, recitationibus id egi, ut ad Veteris Teſtamenti libros recte intelligendos viam vobis munirem, ſed in publicis quoque, eandem operam in novi foederis codicibus plerisque, non ſine inſigni, ut credo, quod ad plures inde redundavit, emolumento, collocavi. Primo enim cum ante undecim, & quod excedit, annos, in hanc Academiam concederem, *Joannis* Apoſtoli & Euangeliſtae ſanctiſſimi, *Euangelium* enarravi, ita quidem, ut nihil, quod difficile aut obſcurum videri poterat, praetermitterem, cuncta vero ad fidei atque vitae uſum transferrem. Deinde *acta Apoſtolorum* eadem ratione explicavi, & hiſce *introductionem ad Epiſtolas Paulinas* ſubjeci, in qua & vitam resque geſtas

 Pauli,

Pauli, & dicendi, quo uſus eſt, genus, occaſionem praeterea & argumentum ſingularum, quae eum auctorem agnoſcunt, epiſtolarum, ediſſerui, nec quidquam eorum, quae lucem Paulo obſcurius dictis affundere poterant, praetermiſi. Tum vero *harmoniam* quatuor *Euangeliſtarum* tradere aggreſſus ſum, ut ipſa ſimul eorum verba commentario illuſtrarem. Quod quidem & arduum admodum, & ob amplitudinem difficile videbatur opus; ſed per Dei tamen gratiam, propitiumque favorem, ſuffragante Auditorum conſtantia, animumque addente, & hoc feliciter ad finem perduxi. Jam animus erat, ad *acta* iterum *Apoſtolorum*, & tum porro ad *Epiſtolas*, tum Pauli, tum reliquorum Apoſtolorum progredi, cum veſtra, Commilitones, utilitas, noſtrique ſeculi ratio ſuadebat, ab iſto paulisper deflectere tramite, viamque mediam, quam homines inter Atheismum & Superſtitionem tenere debeant, monſtrare; eo vero cum defunctus labore eſſem, ſi vitam porro viresque Deus concederet, ad ſacri codicis interpretationem redire.

Iſtius vero conſilii non leves me habuiſſe rationes, ut ipſimet facile intelligitis, ita, ne praecipuae earum aut vos, aut quenquam alium lateant, efficere, id quidem mearum duco eſſe partium. Enimvero ſi quis noſtri ſeculi conditionem paulo accuratius contempletur, nihil aeque Eccleſiae doctoribus neceſſarium eſſe ſtatim perſpiciet, quam ut ſerpens indies latius Atheismi venenum detegant, & tela habeant in promtu, quibus monſtrum hoc conficere queant. Non equidem mihi perſuadeo, tantum eorum eſſe numerum, qui animum ad negandam diſerte Numinis exiſtentiam ſatis obfirmatum habent, quantum eum nonnulli faciunt; at opinionibus ad Atheismum ducentibus ſcatere orbem, qui Chriſtianus vocatur, quibus ſi vel maxime ad ſupremum ſtultitiae gradum non perducantur, quod tamen aliquando fieri poteſt, a recto

tamen

tamen & genuino ſalutis tramite abducti, aeternam perniciem ſibi attrahant, negari nequit. Sane id haud difficulter ejusmodi opinionibus, quae ſub ſpecioſa libertatis ſentiendi forma multis adblandiuntur, nec pauciores decipiunt, infernalis obtinet genius, ut, ſi non Numinis extinguere ſenſum omnem, quamvis fruſtra & irrito conatu, annitantur, dogmata tamen iſta, quibus omnis religio Numinisque cultus, ceu fulcris innititur, in dubium vocantes, aut pro non ſatis certis reputantes, tepidi in cultu divino fiant, hinc cupiditatibus pravis laxent habenas, & ita tandem agantur in praeceps. Cumque vera religio hominibus quandoque vel hoc nomine moleſta admodum videatur, quod pravis cupiditatibus frenum injiciat, legumque divinarum protervis contemtoribus incutiat terrorem, mirum non eſt, pronis hinc inde auribus excipi opiniones ad ſecuritatem carnalem ducentes, impunitatemque agendi quidlibet, ut miſeri quidem iſti ſibi perſuadent, concedentes, ſimulque a metu, quo tantopere excruciabantur, eos liberantes. Utinam vero inter ipſos ſapientiae & litterarum alumnos, qui in ſcholis & Academiis educantur, non reperiantur, qui, eodem morbo laborantes, eadem quoque opus habeant medicina! Reperiri vero experientia docet, eoque dolendum magis, quo graviora ab ejusmodi hominibus, niſi tempeſtive in rectam viam reducantur, & Eccleſiae & reipublicae imminent pericula. Quodſi etiam initio forte pauci ſint, qui eo usque progrediantur, mox tamen commercio ſuo venenum iſtud latius diffundunt, pluresque in partes trahunt, damnumque ſocietatibus litteratis adferunt, ſimulque orbi univerſo, quod non temere reſarciri queat. Hic, qui doctores Academicos rem ſupervacaneam agere putant, ſi foeditatem Atheismi demonſtrent, & impietatis iſtius fundamenta evertant penitus, & ſemina ejus, quae hinc inde ſparſa ſunt, ex animis tenerrimis juvenum evellere & eradi-

care anniantur, nae! eos quodnam veri doctoris officium sit, ignorare prorsus oportet.

Sed esto, non dari in scholis & Academiis, quorum animos venenum istud adflaverit, (quanquam optandam magis, quam sperandam hanc felicitatem existimem,) praemuniendi tamen sunt juvenum animi, ne ex Academiis discedentes, & peregrina, quod haud raro fieri solet, ora lustrantes, hominibusque nullius religionis admixti, impiis, qui in colloquiis & commerciis quotidianis spargi solent, erroribus locum relinquant, seque exemplis in devia quaevis ac praecipitia abripi patiantur. Accedit denique ad haec omnia, quod illi, qui in Academiis instituuntur, publicis aliquando praefecti muneribus, inter eos, quos ceu gregem sibi concreditum pascere debent, homines varios, non uno morbi genere laborantes, & hacce quoque Atheismi peste infectos, deprehendant; quos ut ad sanam eo rectius revocent mentem, rationes profecto, quibus erroris convinci possint, & quo pacto argumenta, quibus propugnare impia dogmata solent, infringere & labefactare debeant, ignorare eos non decet.

Haec vero omnia & quae reliqua sunt ejusdem generis, si rite ponderaveritis, vos mecum consensuros existimo, non negligendas esse in recitationibus Academicis, nec perfunctorie tractandas eas quaestiones, quibus Atheismus prosternitur, & errores cum eo connexi solide refutantur. Attingi sane quaedam hujus generis, in compendiis & systematibus Theologicis, iisque recitationibus, quibus aut thetica aut polemica Theologia explicatur, solent. Sed in tanta rerum, quas haec complectitur, gravissimarum multitudine, fieri vix potest, ut unicum hocce de Atheismo, dogmatibusque cum eo connexis, caput tam operose, tamque prolixe tractetur, prout & rei dignitas gravitasque, & lectorum aut auditorum uti-

utilitas, aut noſtri ſeculi conditio, id requirit. Accedit, quod plerique, revelatae Theologiae fundamenta tradentes, ea, quae ad naturalem ſpectant, adeoque & doctrinam de exiſtentia Dei jam ſupponant; & hactenus quidem non ſine ratione, quod abſonum eſſet, ſi ad reliqua dogmata, quae de voluntate & operibus divinis nos erudiunt, haurienda, accederent, qui aut ignorarent, Deum eſſe; aut hac de re dubitarent, vel omnino praefracte negarent. Soleo quidem & ipſe, uti plerisque veſtrum notum eſt, quoties theticam polemicamque Theologiam vobis trado, ea, quae ad Atheiſmum & dogmata connexa pertinent, haud indiligenter explicare; lubens tamen fateor, multa me ſemper ob rerum aliarum copiam temporisque penuriam, praetermittere, quae tamen vobis ſcitu & utilia & neceſſaria eſſe exiſtimo. Quod cum ſaepius mecum volverem, in eam tandem ingreſſus ſum ſententiam, non rectius rebus veſtris me conſulere poſſe, quam ſi aliquando in publicis recitationibus hoc argumentum ex inſtituto, & prout ejus dignitas gravitasque poſtulat, pertractarem. Ut autem eo commodius hoc fieret, vosque labore nimis multa calamo excipiendi ſublevarem, praecipua hujus tractationis capita theſibus ſuccinctis comprehenſa, & variis obſervationibus illuſtrata, typis tradere mecum conſtitui, quas etiam nunc publicae luci expoſitas videtis. Librorum ſane, quibus Atheismus refutatur & poſternitur penitus, haud exiguus eſt numerus; in quorum etiam praecipuis nec robur, aut nervum argumentorum, quibus veritas adſtruitur, nec ingenii acumen, in nebulis illis diſpellendis, quas luci clariſſimae offendit impius error, nec reliqua, quae ad cauſam hanc perorandam faciunt, requiras. Praeterquam vero, quod de omnibus hoc dici nequeat, inter eos etiam, qui ſuum in hoc genere locum tuentur, nullum, qui meo prorſus accommodatus eſſet inſtituto, invenire potui. Animus

mus nimirum erat, uno velut, ſed ſuccincto, ſyſtemate, omnia, quae de hoc argumento dici poterant, complecti, & dogmata cum Atheismo connexa, ſed diverſa tamen ab eo, rite quidem diſcernere, nec tamen praetermittere, cumprimis etiam controverſias recentiſſimas huc ſpectantes ſimul attingere. Qua quidem ratione qui argumentum hocce pertractaverit, mihi nemo innotuit. Quamobrem, ut neutiquam tam mihi ſuffenus ſum, ut praeſtantius, aut ſubtilius quid a me adferri poſſe exiſtimem; quam jam ab iis adlatum eſt, qui magna cum ingenii aut doctrinae laude in hocce argumento ſunt verſati; ita aequos tamen atque cordatos rerum exiſtimatores id mihi daturos, mihi perſuadeo, non prorſus ſupervacaneum laborem cenſendum, illis ſaltem eum inſervire, qui ſanis juſtisque principiis imbuendi ſunt, quibus eos inſiſtere decet, qui aliquando rite prodire in aciem contra divinae veritatis hoſtes, & feliciter contra eos pugnare cupiunt.

Eam praeterea ſecutus ſum tractandi rationem, quam res ipſa poſtulabat; quaeve, ut naturalis, minimeque coacta eſt, ita ne aut ſuperfluis laboraret, aut neceſſaria deeſſent, operam dedi. Dum vero celebrem quaeſtionem, an dentur Athei? primo ſtatim loco attigi, hiſtoriam Atheismi paulo plenius pertexere, deque iis, qui aut vero, aut falſo, Atheismi accuſati ſunt, verba facere operae duxi pretium. Nec enim ſine ratione, aut cauſa graviſſima, hoc a me factum exiſtimo. Primo namque eos, quos ceu hoſtes aggredi animus eſt, paulo accuratius noſſe, admodum conducit; quemadmodum & quo quisque habendus loco ſit, nos ſcire oportet, ut aciem rite inſtruamus, neve Andabatarum pugnemus more. Sane non tantum ſe ipſos, ſed ſaepe etiam cauſam, quam defendendam ſuſceperunt, aliorum ludibrio exponunt, qui magnos contra Atheismum clamores tollunt, & ipſi tamen, quinam Athei ſint, aut quid doceant, neſciunt, aut viros omnino inno-

centes

centes in Atheorum numerum referunt. Praeterea, dum de iis, qui jure Atheismi accusantur, exposui, simul operam dedi, ut integrum illorum systema paucis & in compendio exhiberem. Ita enim cuncta Atheorum fundamenta in apricum produxi, eo facilius deinceps evertenda, & simul eorum fraudes detexi. Occasio hinc mihi simul suppeditata est, de Graecorum Philosophis mentem meam aperiendi, eorundemque edisserendi sententiam; quam eo minus praetermittere visum fuit, quod videam, Viros doctissimos hac in re laborare, nec usque quaque inter se consentire. PETRUS namque BAELIUS ita censuit, & subinde operose docuit, Veterum Philosophorum, si non omnium, certe plerorumque systemata aut prorsus cum Spinozismo consentire, aut ad eum ducere, adeoque eos in Atheorum referendos esse numerum. Quae cum in plurimis, minime contemnendis rationibus mihi niti videretur sententia, eandem propugnare non dubitavi, in dissertatione de *Spinozismo ante Spinozam*, quae in *analectis historiae philosophicae* recusa prostat. Nec alios quoque viros ingenio & doctrina florentes ab ea alienos esse, notum est. Fuerunt tamen rursus, quibus durum nimis visum, tot philosophos, eos praesertim, quorum tanta inter ipsos Christianos fuit, aut adhuc est, auctoritas, Atheorum ordini adscribere, unde illorum in se suscipere patrocinium non dubitarunt. Fecit id cumprimis peculiari eaque elegantissima dissertatione de *Atheismi falso suspectis*, Vir Doctissimus, & cujus singularia in rem litterariam merita nemo ignorat, JOANNES CHRISTOPHORUS WOLFIUS, Gymnasii, quod Hamburgi floret, Professor longe dignissimus, celeberrimusque; quem & lucem subinde singularem argumento huic adfudisse, non temere quis inficiatus fuerit. Pro illorum equidem rursus sententia, qui antiquis Philosophis Atheismi crimen impingunt, JO. HENRICUM FOPPIUM, virum clarissimum, in aciem prodiisse,

& duas jam dissertationes, de *Atheismo philosophorum gentilium celebriorum*, reliquarum, quas pollicitus est, prodromos, in lucem emisisse, accepi; nec tamen ipsas istas dissertationes videre mihi contigit. Sed pro defensione rursus Philosophorum dissertatio de *Gentilium Philosophis*, *Atheismi falso suspectis*, Bremae hoc ipso anno M DCC XVI. sub praesidio Viri clarissimi, doctissimique, JACOBI HASEI, moralis Philosophiae in Bremensium Athenaeo Professoris celeberrimi, lucem adspexit publicam. Quae quidem praestantium doctissimorumque virorum erudita, sed amica certamina, cum mihi occasionem de re ista iterum cogitandi praeberent, mox deprehendi, facillime cuncta expediri, & quae se offerre videntur, difficultates superari posse, si modo diversi Atheismi gradus rite observentur, & a se invicem discernantur. Idque in hac ipsa a me ostensum est commentatione, ubi statim ab initio monui, posse duas Atheorum classes constitui, ad quarum unam qui referuntur, *Athei primi ordinis* dicantur, qui ad alteram, *secundi ordinis*. Prioris generis illi sunt, qui aut diserte & citra ambages, se nullum Deum credere, profitentur, aut systematis sui, ex quo hoc directe fluit, consequentias rite perspectas cognitasque habent. Posterioris generis illi sunt, qui ejusmodi philosophiae systema constituunt, quod, si non directe, saltem per consequentiam quandam, aut a creatione ac gubernatione mundi Deum removet, aut eum omni libertate privat, vel omnino cum natura ipsa confundit, adeoque revera Deum prorsus tollit, etsi ipsi systematis istius auctores consequentias istas forte non videant, aut etiam non admittant. Epicuraeos, ceterosque, qui diserte providentiam Dei impugnabant, vel etiam palam, Deum esse, negabant, quorum nonnullos in ipsa tractatione commemoravi, inter primi ordinis Atheos referendos esse, nemo negaverit. Aristotelem, Stoicos, aliosque, qui Deum

cum

cum materia arctiſſimo vinculo colligantes, omni libertate privabant, vel omnino cum materia confundebant, cum ea, quae ex hac ſententia fluebant, non ſatis perſpexiſſe videantur, ad ſecundi ordinis Atheos retulerim. Non aeque Benedictum de Spinoza, qui quidem omnia, quae ex ſyſtemate ejus ſequi poterant, accuratiſſime perſpecta & explorata habuit, & data opera, ſummaque & calliditate & malitia, cuncta ita inſtruxit, ut non alius, quam natura ipſa, Deus admitteretur, primum ideo praecipuumque locum inter Atheorum peſſimos merito ſibi vindicans. Atque haec ſi obſerventur, primo quidem auctoritati & dignitati Veterum Philoſophorum, quos ob ingenium & eruditionem merito maximi facimus, ita conſuletur, ut veritati ſimul locus relinquatur, nec alia iſtis tribuatur ſententia, quam revera habuerunt, nec, quae inde per pronam conſequentiam fluunt, diſſimulentur. Deinde, ipſimet ſecum philoſophi praeſtantiſſimi haud difficulter conciliabuntur, qui interdum tam praeclare de Deo rebusque divinis, de virtute, de ratione colendi Deum, loquuntur, ut rectam eos de his omnibus tenuiſſe ſententiam, vel jure jurando confirmares; alibi rurſus ejusmodi principia ponunt, quae priora effata evertunt penitus, & aut directe aut per ambages ad Atheismum, hoc eſt ſummam & impietatem & ſtultitiam ducunt. Inſita nimirum illa & tam alte cordibus mortalium infixa ſummi Numinis notitia, ſubinde vim ſuam in illorum animis ſeſe exerebat, unde effata iſta praeclara & veritati teſtimonium perhibentia. Dum vero rurſus rerum omnium inveſtigare principia, & rationis, imbecillitatis ejus immemores, ambitu cuncta complecti volebant, in praecipitia varia dati, talia aſſerebant, quae in ſupremum Numen erant injuria. Quod ipſum miſerrimam Gentilium, immo eorum omnium, qui revelationis lumine ſunt deſtituti, conditionem, revocare nobis in memoriam debet, ut noſtram

rite inde aeſtimare, gratoque agnoſcere diſcamus animo, felicitatem. Sibi ipſis enim contradicentes, & pugnantia ſecum aſſerentes, oſtendebant ſatis, ſe nihil, cui firmo inniterentur talo, inveniſſe. Idque cum praeſtantiſſimis Philoſophorum contigerit, quid de reliquis, qui ingenii acumine his multum cedebant, dicemus? Atheis denique hac ratione promte obviam iri poteſt, ne, quod cupiunt, Philoſophorum iſtorum exemplum in rem ſuam vertentes, inde, quod cauſae ſuae faveat, capiant. Poſitum namque ejusmodi hominibus in more eſt, ut mox omnes ab Atheismi ſuſpicione liberando, alios in eam inducant opinionem, nullos omnino dari Atheos, ut eo facilius impietatis & ipſi evitent ſuſpicionem; mox Atheorum ultra modum numerum augeant, ut & multitudine & auctoritate eorum, quos ſecum facere aut jactitant, aut tacite ſubinnuunt, alios eo facilius in partes ſuas pertrahant. Sed ut neutro aliquid efficiant modo, facile caveri poteſt, modo hic recta mediaque incedamus via, quod & in ipſa a me factum tractatione exiſtimo. Quaedam enim Atheorum cum in aprico poſita ſint exempla, ut exceptionem non admittant, ſe ipſum traducet turpiter, qui nullos dari Atheos aſſeruerit. Cum vero rurſus & illud demonſtratum ſit, multis perperam Atheismi crimen objectum, numerus eorum, qui in huncce cenſum referuntur, inſigniter imminuetur. Ad Philoſophos autem quod attinet, licet nonnulli Atheis primi ordinis annumerari queant, pauci tamen illi ſunt, & ſuo exemplo demonſtrant, praeſtantiſſima etiam ingenia, ſi caute non incedant, ruere in praecipitia, & ad abſona quaevis prolabi poſſe; plerique tamen, ſi Atheismi accuſandi ſint, Athei ſaltem ſecundi ordinis erunt, hoc eſt, qui directe Numinis exiſtentiam non negant, nec manifeſtiſſimam illam veritatem, quae omnium animis tam firmiter inhaeret, impugnant; talia autem cum doceant, ex quibus Atheismus ſequitur, inde id

pro-

provenit, quod falsas erroneasque de Deo habeant opiniones, & mentis quadam coecitate laborent, qua impediti, nec omnes systematis sui consecutiones pervident, nec quod secum pugnantia quandoque proferant, animadvertunt.

Expedita hunc in modum quaestione, an dentur Athei? quid & quotuplex Atheismus sit, edissero, simulque fundamenta cujusque Atheismi speciei indico, deinceps *cap. VI.* evertenda penitus atque destruenda. Dogmatici nimirum Atheismi, quem a Sceptico rite discerno, quatuor constitui posse classes, ostendo, ut alius sit Epicuraeus, Stoicus alius, alius Aristotelicus, & Eleaticus denique alius, quem recentiori aetate Benedictus de Spinosa restauravit. Ad unam enim ex hisce classibus Atheorum deliria ut referantur, necesse est, nisi ipsemet, se desipere prorsus, nullamque impietatis suae adferre rationem posse, fateri velint. Cum vero luculenter ostensum sit, quodcunque ex hisce systematibus ab Atheis assumatur, id aut collabascere sua sponte, aut ad evertendam potius, quam stabiliendam illorum impietatem aptius esse, sequitur inde, ineptam stolidamque istorum hominum esse impietatem, omni quippe fundamento destitutam. Cum hominibus, qui brutorum instar vivunt, & quam phaenomenorum, quae in hoc rerum universo quotidie se offerunt, rationem reddant, parum sunt soliciti, nobis nunc res non est, quippe qui nec hominum nomine digni sunt, sed cum iis, qui Philosophorum sibi vindicant nomen, adeoque, si istud tueri volunt, ejusmodi eligere systema debent, per quod universi hujus phaenomena rite explicare queant. Quodsi nullum inveniant, quod cum illorum consistere errore possit, explicandisque naturae phaenomenis, si Deus orbis conditor inde removeatur, sufficiat, victas tandem eos dare manus, si modo a pertinacia sua hoc impetrare queant, necesse est. Quae ut expeditissima Atheos convincendi mihi videtur ratio,

ita, an ab alio eo modo, quo id a me factum, adhibita sit, mihi quidem ignotum esse, libere profiteor. Nec id sine ratione a me factum puto, quod dogmata cum Atheismo conjuncta, aut ad eum ducentia, ab ipso Atheismo discreverim. Cum enim nihil solemnius sit, quam ut Atheismi postulentur, qui ejusmodi dogmata fovent, aliis rursus quovis modo repugnantibus, negantibusque, Atheismi statim reos esse, qui talia asserunt, tutissima rectissimaque mihi via visa est; ab Atheismo equidem in se spectato ista discernere, simul tamen, quam arcto cum eo connexa sint vinculo, ostendere. Quemadmodum autem *cap. III.* de auctoribus & fundamentis istorum dogmatum disserui, ita *cap. VII.* eadem ex instituto confutavi. Ut autem *cap. IV.* de causis, proprietatibus & effectibus Atheismi quaedam subjungerem, & res ipsa postulavit, & eo etiam lubentius feci, quo controversias quasdam, quae nostra aetate agitantur, attingendi mihi suppeditaretur occasio, an e. gr. Atheus vir honestus, virtutique deditus, esse queat? majusne ab Atheismo, an a Superstitione, reipublicae immineat periculum? & quae reliqua sunt ejusdem generis.

In probanda Numinis existentia, quod praecipuum causae momentum est, cui *cap. V.* destinatum, ita versatus sum, ut argumentis non inusitatis quidem, solidis tamen, perspicuis, & ad omnium captum accommodatis, uterer. Qui enim ingenii ostentandi causa a via recepta discedunt, hoc demum obtinent, ut causam optimam pessime agentes, Atheis vel inviti, si modo non interdum data opera, victoriam tradant. Plenissime autem persuasus sum, rationes hasce ita comparatas esse, ut non possint non quemlibet in veritatis consensum pertrahere, nisi ad neganda manifestissima quaeque animum obfirmaverit ipse.

Cum Atheismi refutatione quod doctrinam de Superstitione con-

conjunxerim, id non ſine cauſis graviſſimis a me factum, quilibet paulo accuratius rem omnem penſitans, intelliget. Primo namque ob ipſorum hoc factum eſt Atheorum fallaciam, qui Religionem cum Superſtitione data opera confundentes, contra hanc ita diſputant, ut illam ſimul evertant, caliginem ita imperitorum hominum animis offundentes. Oſtendendum itaque fuit, quid Superſtitio ſit, ut omnes maximum illud, quod inter eam & religionem intercedit, diſcrimen intelligentes, fraudes iſtas atque fallacias hominum impiorum eo facilius evitare poſſint. Deinde plerisque mortalium contingit, ut alterum extremum, quod impietatis eſt, declinaturi, in alterum, quod Superſtitionis eſt, incidant. Certe longe plures Superſtitionis morbo laborare, quam Atheismi, negare nequit; a quo & interdum eo difficilius liberari poſſunt, quo ſpecioſior eſt Religionis, quo Superſtitio haud raro tegitur, titulus. Non minus tamen noxia eſt, immo pro quadam animorum peſte habenda; ut in ea, aeque ac impietate eradicanda, & ex animis mortalium evellenda, cordatis Eccleſiae doctoribus elaborandum eſſe exiſtimem. Ita namque etiam vera & regia ad veritatem ac ſalutem panditur via, quam religio, purusque ac genuinus Numinis cultus, medium inter Superſtitionem & impietatem locum tenens, exhibet. Nullam etiam hac ratione aliis conquerendi dabimus occaſionem, quod aliquando factum memini, ac ſi Theologi contra Atheos equidem diſputent, at de Superſtitione ex animis hominum evellenda parum ſint ſolliciti.

Ultimo loco & hoc addere operae fuerit pretium, nonnulla, quae in ſcriptis meis Philoſophicis brevius aut obſcurius, quam ut ſtatim ab omnibus intelligi poſſint, dicta erant, data hic commoda occaſione, luculentius explicata eſſe; ut recte adeo facturi ſint, qui hancce commentationem ſcriptis meis Philoſophicis ceu *ſupplementum aliquod* ſint adjuncturi.

Multa

Multa namque etiam ad hiſtoriam Philoſophicam, cujus ſynopſin Philoſophia inſtrumentalis continet, itemque ad Philoſophiam theoreticam ſpectantia longe copioſius hic, quam in *elementis* a me editis pertractantur; ne dicam, quod fructus praecipuus Philoſophiae, maxime Theoreticae, qui eſt Creatoris ex operibus creationis agnitio, hic luculentiſſime exhibeatur, & oculis ſubjiciatur. Quae autem adhuc addi poterant, ea recitationibus publicis, quibus huncce libellum explicare animus eſt, reſervavi. Hiſce vero ut non tantum frequentes interſitis, ſed animum quoque attentum, qualem rei dignitas & argumenti gravitas poſtulat, vobiscum adferatis, id quidem eſt, quod a vobis precibus meis contendo. Deum, quod ſupereſt, ſupplex veneror, ut tum ad vos, optimi juvenes, tum ad alios quoque lectores fructus uberrimus, ampliſſimusque, ex qualicunque labore hocce redundet, ut, qui in errore conſtituti ſint, ab eo liberati in rectum tramitem reducantur, qui autem veritatem agnoverunt, in ea confirmentur corroborenturve, & ad vitam ſimul doctrinae veritatis conſentaneam, moresque Chriſtiano homine dignos induendos, perducantur. Jenae die XXV. Julii anno MDCCXVI.

IN-

INDEX CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

An denter Athei? ubi & Historia Atheismi succincte traditur, & ab ejus suspicione Viri quidam innocentes liberantur. Pag. 1-118

CAPUT SECUNDUM.

Atheismus quid & quotuplex? ubi & praecipua Atheismi fundamenta exhibentur. 119-141

CAPUT TERTIUM.

De Dogmatibus, quae cum Atheismo conjuncta sunt, aut ad eum ducunt. 142-184

CAPUT QUARTUM.

De Atheismi causis, proprietatibus & effectibus. 185-223

CAPUT QUINTUM.

Deum esse, demonstratur. 224-318

CAPUT SEXTUM.

Fundamentorum Atheismi eversio; ubi & ad praecipua Atheorum argumenta respondetur. 319-385

CAPUT SEPTIMUM.

Refutatio Dogmatum cum Atheismo conjunctorum aut ad eum ducentium. Pag. 386-481

CAPUT OCTAVUM.

Superstitio quid & quotuplex? speciatim de iis Superstitionum generibus, quae directe circa Numinis cultum versantur. 482-499

CAPUT NONUM.

De Superstitionum generibus, quae indirecte circa Numinis cultum versantur. 500-547

CAPUT DECIMUM.

De caussis, effectibus, proprietatibus & remediis Superstitionis. 548-568

Q. D. B. V.

CAP. I.

AN DENTUR ATHEI?

UBI ET HISTORIA ATHEISMI SUCCINCTE TRADITUR, ET AB EJUS SUSPICIONE VIRI QUIDAM INNOCENTES LIBERANTUR.

Σύνοψις.

Atheos dari, experientia & historia docet, §. *I.*

Jam ante diluvium quosdam fuisse atheos, probabile est, §. *II.*

Post diluvium superstitio invaluit, cui, ut & atheismo, apposita fuit religio Israëlitarum; Mosen fuisse pantheistam, execrabilis est calumnia, §. *III.*

Inter Israëlitas quosdam fuisse atheos, dubitari nequit, §. *IV.*

Salomoni tamen aut Prophetis, non nisi per turpissimam calumniam atheismus tribuitur, §. *V.*

Recentiorum kabbalistarum impia dogmata, ex veteri & genuina Israëlitarum doctrina, neutiquam sunt derivanda, §. *VI.*

De Zabiorum seu Sabaeorum atheismo nihil certi adfirmari potest, §. *VII.*

Orpheus an pantheista? §. *IX.*

Poëtae Graecorum superstitioni,

ni, Philosophi atheismo favere creduntur; speciatim, qui Ionicae sectae primam classem constituunt, atheismi accusantur, §. X.

Socrates ab atheismi suspicione liberatur, §. XI.

Critias contra, Socratis discipulus, impietatis hujus reus judicatur, §. XII.

Plato perperam atheismi accusatur, etsi omnia ejus neutiquam probanda sint dogmata, §. XIII.

Academici & Sceptici, an & quousque inter atheos referendi? §. XIV.

Aristoteles an Atheus? §. XV.

Strato Lampsacenus in quibusdam ad Spinozam, in quibusdam ad Epicurum, accedit, §. XVI.

Ex Cyrenaicis Theodorus & Bion Boristhenites, ex Megaricis Stilpo, inter atheos referuntur, §. XVII.

Cynicis & Stoicis an & quousque atheismus tribui queat? §. XVIII.

De Eleatica secta idem quaeritur; & speciatim, quibus ex ea atheismus objectus fuit, recensentur, quove id factum jure, disceptatur, §. XIX.

De Heraclito, Hippocrate, & Euhemero disquiritur, §. XX.

Item de Graecanicis quibusdam philosophis, qui post Christum natum vixerunt, speciatim de Plutarcho atque Luciano, §. XXI.

Inter Romanos praeter alios Ciceronem, Livium, atque Plinium in atheismi suspicionem adductos; quo id jure factum? §. XXII.

Inter Christianos primis seculis non fuit, qui jure atheismi accusari potuerit; in ipso tamen deinceps scholasticorum regno extiterunt, qui hoc nomine non sine ratione male audiunt, §. XXIII.

Post bonarum litterarum restaurationem, magna erupit atheorum cohors, praesertim in Italia; quorum nonnulli, vita tamen moribusque potius, quam doctrina se tales demonstrarunt, §. XXIV.

Non

Non minus tamen & in Gallia extiterunt, qui ejusdem impietatis notam subierunt, §. XXV.

De Benedicto de Spinoza ex instituto agitur, ejusque sectatoribus, quos praesertim in Belgio habuit, §. XXVI.

De atheis, quos Anglia protulit, atque Germania, §. XXVII.

Colligitur ex hactenus dictis, dari omnino atheos, etsi nonnullis per calumniam atheismus tribuatur, quod aliquot insuper exemplis ostenditur, §. XXVIII.

§. I.

Etsi Deum esse tam manifestum sit, ut nemo nisi reluctante animo hoc negare queat; fuisse tamen subinde homines, qui sibi ipsis velut vim inferendo, eo usque progressi sunt, ut hoc diserte in dubium vocarent, idque aliquando aperte profiterentur, * aut talia docuerunt, ex quibus, Deum non esse, directe sequitur, ** experientia docet, rerumque gestarum annales veteres ac recentiores, nos nulla ratione dubitare sinunt. ***.

* Fuerunt, qui omnino dubitarent, an athei theoretici & proprie sic dicti, dentur? Immo, non dari, nonnulli sibi persuaserunt. Quod si de illis intelligatur, qui nullum unquam Numinis sensum habuerunt, nec unquam reluctantis animi vim experti sunt, praesertim si non omni de Deo rebusque divinis informatione fuere destituti, rectissime se habet. Eoque sensu admittenda, quae hac de re disputat GISBERTUS VOETIUS, *disputat. de atheismo, disputation. selectar. part. I. pag.* 143. 144. Fuisse autem homines, qui conscientiae dictamen quovis modo supprimere allaborarunt, & ad veritatem manifestissimam impugnandam animum obfirmarunt, hinc &, saltem ad tempus, testimonium conscientiae suffocarunt, cum experientia hoc doceat, nulla negari ratione potest.

** Cum vox *atheus*, diversimode sumatur, & diversa etiam dentur atheorum genera; hic tamen eam proprie accipimus, prout primo eos, qui aperte & citra ambages Deum esse negant, deinde eos, qui talia docent, quibus directe natura & existentia Numinis evertitur, denotat.

Illos *primi ordinis* atheos, hos *fecundi*, dixeris. Utrique nobis in hocce capite, in cenfum veniunt. (1)

(1) *Diftinguuntur Athei etiam ab ipfo* Cl. BUDDEO Cap. II. §. 6. *in Theoreticos & in Practicos; ubi per* Theoreticos, *fi de* primae *claffis Atheis agatur, intelliguntur, qui Dei exiftentiam negant, atque argumenta pro momentofiffima illa veritate militantia enervare, & elidere ftudent.* Practici *vero, qui ita fuos componunt mores, totamque vivendi rationem inftituunt, acfi de exiftentia Dei non effent perfuafi, imo acfi de abfentia Numinis ex hoc Univerfo penitus forent certi. De* hifce *nulla unquam lis fuit mota, de* illorum *exiftentia difceptatio magnam partem abit in Logomachiam. Si, fcilicet, quaeratur,* an exftent vel exftiterint unquam, qui bona fide Dei exiftentiam negant, de hacce opinione abfurdiffima fibi penitus videntur perfuafi, ac, rationes pro fententia oppofita exceptiunculis fuis enervaffe fe, ftatuere audent? *a me impetrare vix poffum, ut adfirmando refpondendum effe credam; nec facile iftiusmodi hominum, etiam ex hiftoria Monftrorum, exempla produci poterunt. Verum fi quaeftionis cardo in eo verfetur,* an non reperti fuerint plurimi, qui ore fcriptisque exiftentiam Dei impugnarunt, qui blafphemias in O. M. rerum Conditorem evomuerunt, quique, furore adfectuum abrepti, vel infana fuperbia ducti, poftquam confcientiam per diuturna conamima ad breve filentium coëgerant, jufto Dei judicio ita fuerunt indurati, ut fe ipfi deceperint, & in lacrymabili errore ad finem vitae perfeveraffe vifi funt? *adfirmantem fententiam tenere nullus dubito, utpote per Hiftoriarum monumenta confirmatam. De* fecunda *Atheorum claffe, fi ad definitionem Auctoris refpiciamus, nulla unquam controverfia agitata fuit, licet plurimi nimium faciles fuerint in augendo hocce Atheorum catalogo. Videantur ea, quae ad Cap. II.* §. 1. *notabo.*

*** Patebit hoc ex mox dicendis, ubi atheorum utriusque ordinis exempla adferemus, fed ea ratione, ut ab atheis veris falfo fufpectos difcernamus. Caute nimirum hac in re verfandum. Qui enim atheos vere tales excufant, hoc agere videntur, ut fecuritatem, impunitatemque iis, qui eorum veftigia premunt, concilient, inducendo homines in eam opinionem, fruftra aliquem atheismi accufari, cum nulli dentur athei. Rurfus tamen, qui viros innocentes in atheorum numerum referunt, non tantum magnam illis inferunt injuriam, fed ipfis atheis rem minime ingratam faciunt, cum illis honorificum valde fit, & ad decipiendos incautos plurimum faciat, fi viri ingenio & doctrina praeftantiffimi, vel inviti in illorum focietatem pertrahantur. Laudanda itaque illorum opera, qui hanc calumniam a viris recte fentientibus depellunt, quod peculiari, eaque erudita differtatione *de atheismi falfo fufpectis* fecit vir clariffimus, JO. CHRISTOPHORUS WOLFIUS.

§. II.

§. II.

Qui ante diluvium in omne se dederunt flagitiorum genus, & hac ratione ultimam orbi primo attraxere perniciem, vita moribusque, nullo se Numinis metu ductos, satis superque testati sunt. Vix autem dubitare licet, quin & nonnulli eo usque insaniae progressi sint, ut nullum se credere Deum ore profiterentur. *

* Primi orbis incolas ad atheismum fuisse pronos, & res ipsa docet, & recte observavit JO. DE HISPANIA, in *annotationibus ad decalogi praeceptum I. operum*, quae lingua Germanica prodierunt, *pag.* 107. Contrarium ex *Genes. IV.* 25. evinci non posse, jam demonstratum est in *histor. ecclesiast. vet. test. period. I. sect. I. ad* §. *XXXVI & XXXVIII. pag.* 155 & 159. Legenda &, quae de atheismo hominum ante-diluvianorum copiose disserit ANTONIUS REISERUS, in *dissertat. epistolari ad Theophilum Spizelium, de origine, progressu, & incremento antitheismi seu atheismi*, qui & speciatim *pag.* 26. Cainum primum atheum fuisse existimat. Quod de atheismo theoretico vix probabitur; etsi hominem impium & fratricidam fuisse, satis constet. (2) Colloquium inter Cainum & Abelem, quod in targum Hierosolymitano legitur, eo minus hoc evincet, quia ex zelo pharisaico contra Sadducaeos istud confictum esse, constat, ideoque & ceu spurium merito a viris doctis rejicitur. Observare ὡς ἐν παρόδῳ juvabit, eundem virum doctum ANTONIUM REISERUM, aliosque, voce athei, in latiori subinde significatione uti, multosque ideo inter atheos referre, qui accurate loquendo, inter eos non sunt collocandi.

(2) *Quis quaeso* Cainum *inter Atheos Theoreticos referret, qui attendit ad narrationem Mosaicam, ex qua heic loci unice sapere licet? Dei alloquio, & sententia judiciali, eâque justissima & severissima fuit perterritus, postquam sacrificia Ipsi obtulerat, sed minus grata* Gen. IV: 3, 6, 9. seqq. *Attamen, illum, exilio punitum, castigationibus Divinis in melius non mutatum, ac justitiae non fuisse studiosum, narrat* Josephus *Hist. Jud. Lib. I. C.* 2. *ex traditionibus Veterum; ast exinde nequaquam exsculpere licet, eum inter Atheos fuisse numerandum; neque hoc ex* Judae *epistola vs.* 10. & 11. *probabile redditur, ubi per* viam Caini *potius intelligendae sunt actiones injustae, ex odio aliorum hominum, fratrum instar spectandorum, profluentes.*

§. III.

Ut autem homines facile ab uno extremo ad alterum procurrunt, ita post diluvium superstitio & idololatria universum fere orbem occupavit. In Abrahami vero posteritate, cumprimis in gente Israelitica, vera conservata & propagata est religio, atheismo aeque ac superstitioni opposita. Quam cum in scriptis Mosaicis deprehendere luculenter liceat, nihil aliud agunt, quam ut summam stultitiam cum maxima improbitate conjunctam prodant, qui Mosen in Pantheistarum referre numerum non erubescunt. *

* Hoc tamen citra ambages JOAN. TOLANDUS asseruit, atheorum, quos nostra aetas tulit, facile impudentissimus, in *originibus judaicis*, ejus *adeisidaemoni* additis, *pag.* 155. 156. castigatus ideo ex merito a JACOBO PAYO, in *defensione religionis, nec non Mosis ac gentis Judaicae, &c. part. II. cap. IV. p.* 194. *seqq.* itemque ab ELIA BENOIST, dans la *melange des remarques critiques, historiques, philosophiques, theologiques sur les deux dissertations de M. Tolland, &c. pag.* 250. *seqq.* Immo non tantum Mosen, aut, si mavis, Scriptorem Pentateuchi, hunc enim subinde a Mose distinguit, sed & universam fere scripturam sacram pantheismi ream agit, dum hasce loquendi formulas: *ens summe perfectum; alpha & omega; quod principio caret & fine; quod fuit, quod est, quod erit; omne in omnibus; illud, in quo vivimus, movemur ac sumus,* ceu aequivocas, atheismo aeque ac theismo congruere, cum de praesupposita universi aeternitate sint verissimae omnes, stolide non minus, quam audacter pronuntiat. (3)

(3) *Licet turpissimus* Tolandus *plurima habeat in* Adeisidaemone, *& in* Originibus Judaicis, *quae ab omni ratione sunt alienissima, & sacrae scripturae adversa, hoc tamen in loco, si separatus a reliquis foret, non ea profert, ex quibus, eum inter Pantheistas numerasse Mosen, concludere liceret; cum dicat:* qui & ipse (*Auctor scil. Pentateuchi*) in sententia Pantheistarum fuisse nonnullis videtur propter certas phrases non probe intellectas, & quod animorum immortalitatis, aut praemiorum & cruciatuum post mortem futurorum nullam fecerit mentionem *&c. Neque expressis verbis* universam fere scripturam sacram *Pantheismi ream agit: adfirmat solummodo,* loquendi formulas: ens summe perfectum; alpha & omega, quod principio caret & fine *&c.* aequivocas

vocas esse, quae Atheismo aeque ac Theismo apprime congruant, cum de praesupposita universi aeternitate sint verissimae omnes. *Et certe, si, more Naturalistis Deistisque consueto, ad corticem verborum unice velimus attendere, & ea cum aliis scripturae locis conferre negligamus, contextum orationis & scopum flocci facientes, omnino iisdem hisce formulis uti potuisset* Spinosa *& cum* Spinosa *tota eorum Cohors, qui Deum a rerum universitate non distinguunt, aut seriem causarum & effectuum admittunt in infinitum excurrentem. Verumtamen, si simili modo interpretari & applicare vellemus dicendi formulas in profanis scriptoribus occurrentes, vel injustitiae, vel dementiae accusaremur ab ipsis Deistis.*

§. IV.

Gentem Israeliticam ad superstitionem maxime pronam fuisse, tot scriptorum sacrorum de idololatria Gentilium in ea recepta, & subinde invalescente, totque sanctissimorum vatum hac de re querelae, nos dubitare non sinunt. Fuisse tamen & in ea, qui ad alterum extremum procurrerent, & non tantum vita moribusque, sed animi quoque sententia se atheos profiterentur, ex variis Scripturae locis haud difficulter colligitur. *

* Cumprimis hoc liquet ex *Psalm XIV. vers.* 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Recte ejusmodi homines *insipientes* dici, ex infra dicendis patebit. Cum vero non semper, quod cogitant, aperte profiteri audeant, *in corde suo* hoc dicunt, quamvis aut factis, aut alia ratione animi sententiam satis prodant. Non autem id sibi vult sanctissimus Vates, ac si plane pleneque convicti sint, non dari Deum; sed quod hoc sibi quavis ratione persuadere annitantur, & animum ad omnem Numinis sensum extinguendum, renitente licet & reluctante conscientia, obfirment. (4) Errant itaque, qui ex hisce verbis colligunt, nullam dari notitiam Dei insitam; quod pluribus ostendit ABRAH. CALOVIUS, ad *h. l.* item *system. theol. tom. II. pag.* 35. 77. add. JOANNES MULLERUS, in *atheismo devicto pag.* 96. AUGUSTUS PFEIFFERUS, *dub. vexat. centur. II. loc. XIV. pag.* 566. *seqq.*

(4) *Dissolutioris vitae homines inter Israelitas fuisse, imo inter hosce non paucos esse inventos, qui in corde suo dicerent, hoc est,* optarent, *non esse Deum, dubitari non potest: exinde tamen inferre non licet,* eosdem il-

los animi quoque ſententiâ ſe Atheos fuiſſe profeſſos: *recte hinc dixit* Bentlejus *de ſtultitia Atheimi Orat. I.* haec verba *Pſalmi XIV.* intelligenda eſſe non de iis, qui exiſtentiam Numinis ſimpliciter, atque omnino negant, ſed de illis, qui, cum exiſtere Deum ſtatuant, a regendis tamen mundi negotiis Eum ſecludunt, obſervareque & judicare Facta hominum, eunt inficias. *Hoc agnoſcere videtur ipſe Cl.* BUDDEUS; *adeoque non ſatis ſolide demonſtravit id, quod in §. continetur. Quid vero de notitia Dei inſita ſit judicandum, videbimus infra* n. 158.

§. V.

Interim turpiſſima iterum eſt calumnia, aut Salomonem, aut Prophetas, qui poſt eum vixerunt, talia docuiſſe, quae atheorum placitis ſpeciem ullam aut colorem conciliare queant, aut ad ea ulla ratione accedant. Idque qui aſſerunt, aut in re apertiſſima coecutiunt, aut proterviam calumniandi, cauſſamque deſperatam atheorum utcunque adjuvandi ſtudium, luculenter oſtendunt. *

* Notandus itaque merito hic nobis venit ANTONIUS COLLINUS, JOANNIS TOLANDI, ſi non diſcipulus, certe amicus, qui in libro notiſſimo, de *libertate cogitandi*, inter *libere cogitantes*, quo nomine, ſi citra ambages dicere velis, quod res eſt, aut atheos, aut eorum patronos, vel tales, qui, quae proxime ad atheismum accedunt, docent, intelligit, Salomonem pariter ac Prophetas refert *pag.* 218. *ſeqq.* Et Salomonem quidem huc refert, quod mundi aeternam atque animae immortalitatem in dubium vocet, *Kohel. cap. I. verſ.* 4. 5. 6. 7. 9. *III.* 18. 19. *ſeqq. VII.* 14. *IX.* 5. & 10. (5) Prophetas autem, quod cultum externum eo tempore ſtabilitum ſumma cum libertate reprehendant, & tantum non ceu meram impoſturam rejiciant, etſi a populo pro divinitus inſtituto haberetur. Qua in re quantopere auctor fallatur, quamvis quilibet facile intelligat, uberius tamen in ipſis recitationibus, ſeu theſium harum explicatione, oſtendemus. Nunc id ſaltem addimus, nos neutiquam illi facere injuriam, dum aſſerimus, eum libere cogitantes atque atheos, ipſumque adeo Salomonem, uno eodemque habere loco. Hoc vel inde patet, quod ſententiam, quam Salomoni de aeternitate mundi tribuit, cum Maniliana aeternitatis mundi deſcriptione plane conſentire exiſtimat, quae hiſce verſibus clauditur:

Non

Non alium videre patres, aliumve nepotes
Aspicient; DEUS EST, qui non mutatur in aevum.

Quibus verbis haud obscure innuere videtur, se non alium, quam mundum, Deum agnoscere. (6) Proxime huc accedere videntur, qui Salomonem scepticis annumerant, contra quos erudite disputat JOANNES ALBERTUS FABRICIUS, *cod. pseudepigrapho vet. test. num. CCIV. pag.* 157. *seqq.*

(5) *Observatum fuit ab Eruditis,* Salomonem *non de incertitudine cognitionis intellectus humani, sed de vanitate voluntatis humanae fuisse locutum; ita ut demonstrare voluerit, omnia, quae in mundo sunt, etsi magnifica & decipiendis humanis desideriis apta, vana esse & inania, ita ut desideria summi boni, quae mentibus nostris insunt, explere, animumque ad veram perpetuamque tranquillitatem perducere nequeant: sic homines ad quaerendum summum bonum incitare potentissimis rationibus studuit; quod vel maxime patebit ex totius operis conclusione* Eccles. XII: 15. seq. summa rei est, his omnibus auditis: Deum ipsum reverere & praecepta Ejus observa, quia hoc est totum hominis: nam omne opus Deus ipse adducet in judicium cum omni re occulta, sive bonum, sive malum; *quae verba nec ex homine Sceptico, nec ex Epicuraeo provenire potuerunt; ita ut absurdissima sit sententia* Collinsii, *quando* Discours sur la liberté de penser pag. 219. *statuit, Salomonem loqui* de judicio in hoc mundo, & *non in altero; cum sit certissimum, Deum non omnia opera in judicium adducere hisce in terris.*

(6) Manilium *mundum aeternum statuisse, aut eundem cum Deo confudisse, non adeo liquido ex allato ejus loco apparet, nisi conferatur cum aliis ejusdem Poetae Astronomi dictis. Dubitat quidem de universi origine Lib. I. vers.* 120. seqq. *sed vers. non tantum* 247. seqq. *saniora docet, verum etiam vers.* 499. seqq. *Epicurum impugnat, ex fortuito Atomorum concursu enatum esse hunc mundum, somniantem. Ast licet in hoc loco, qui habetur vs.* 529. seq., *constantiam legum naturalium asseruisse videatur, vs. tamen* 490. *apertius docuerat, mundum ipsum esse Deum, quum canit*

Ac mihi tam praesens ratio non ulla videtur
Qua pateat mundum divino numine verti,
Atque ipsum esse Deum.

conf. de Manilii *doctrina* Cudworthi *Syst. Intell. pag.* 438. seq. *ibidemque* Moshemius.

§. VI.

Ipsa autem Israelitarum doctrina, quam in Mosis aliorumque veteris testamenti scriptorum θεοπνεύστων libris legimus, ut purissima est, & atheorum stultitiae ac impietati e diametro opposita, ita sequiori aetate per philosophematum a gentilibus acceptorum admixtionem, aut alia ratione, eadem ita corrupta & depravata fuit, ut, quae in Kabbalistarum, quos vocant, scriptis, extant asserta, atheorum, speciatim Spinozistarum impietati patrocinari, non sine ratione credantur; certe ceu absona, erronea, & maximo cum periculo conjuncta, merito rejiciantur. *

* Fallitur itaque maximopere JOANNES GEORGIUS WACHTERUS, dum recentiorum, Judaeorum, seu Kabbalistarum, sententiam de emanatione rerum omnium a prima causa, & retractione in primum ens, quae in turpem naturae ἀποθέωσιν desinit, pro antiquae philosophiae Ebraeorum genuino & principali fundamento venditat, in *elucidario kabbalistico cap. III.* Recentiorum Ebraeorum seu Kabbalistarum commenta, cum vera ac genuina gentis hujus doctrina non esse confundenda, saepius jam monui; praesertim & in *introduct. ad histor. philos. Ebraeor. pag.* 325. Interim cum, tum *eodem* in *loco*, tum in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam* §. XXI. docui, discrimen aliquod inter Spinozismum & Kabbalistarum doctrinam intercedere, neutiquam id eo comparatum, ac si Kabbalistarum extenuare aut excusare errores velim. Etsi enim vel maxime haec sententia de emanatione rerum creatarum a Deo, ceu fonte, a Spinozismo differat, est tamen falsa, erronea, absona, & ita comparata, ut facile ad atheismum ducat. Nec etiam de eo, an Kabbalistarum sententia a Spinozismo differat, cum quoquam magnopere contendere velim, etsi non ignorem, viros eruditissimos hac in re mecum consentire, quos inter etiam est JOANNES CHRISTOPHORUS WOLFIUS, in *dissertatione de atheismi falso suspectis, sect. II.* §. *IV.*

§. VII.

Inter reliquas gentes, & quidem antiquissimas, quarum quaedam ad nos notitia pervenit, eminent Zabii, sive Sabaei,

baei, qui ſi nonnullis credimus, idololatria, ſeu ſuperſtitione totum repleverunt orientem. Simul vero talia docuiſſe perhibentur, quae ad Spinozismum quodammodo accederent. Quod licet fidem non plane ſuperet, quia per gentilium idololatriam facili negotio ad pantheismum iri poterat, non tamen pro certo adfirmari poteſt. *

* Zabios ſeu Sabaeos talia docuiſſe, quae ad Spinozae ſententiam quodammodo accederent, innuere videtur MOSES MAIMONIDES, *moreh nevochim part. III. cap. XIX.* Hoc jam indicavi, in *diſſertatione de Spinozismo ante Spinozam*, §. *XX.* Non autem pro certo hoc ibi adfirmavi, ſed dubitanter locutus ſum: *Zabiorum forte eodem collimavit ſententia, ſi credendum MOSI MAIMONIDI, &c.* Fieri ſane potuit, ut Zabiismus tandem in Spinozismum evaderet. Multi enim veterum per varia, quae apud Gentiles colebantur, idola, nihil aliud, quam partes hujus univerſi intelligebant. Unde ſummus ille Deus, qui per partes colebatur, non alius erat, quam τὸ πᾶν, *hoc univerſum*, Quo minus tamen certi quid hac de re ſtatuere liceat, non tantum non adeo clara MAIMONIDIS verba, ſed id cumprimis obſtat, quod cuncta, quae de Zabiis ſeu Sabaeis, antiquis ſcilicet illis, dicuntur, incerta fide auctorum, qui nihil fere certi de iis prodere potuerunt, nitantur. Qua de re ex inſtituto dictum in *hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti, period. I. ſect. III. ad* §. *XXII. pag.* 417. *ſeqq.* (*)

(*) *De Sabaeorum origine, ſcriptis, Diis & ritibus prae reliquis videndus eſt* Stanley *Hiſt. Philoſ. Part. XV. pag.* 1168-1175. *quem in plerisque ſecutus fuit* Bruckerus *Hiſt. Crit. Phil. Tom. I. pag.* 217. ſeqq.

§. VIII.

Quod de Zabiis diximus, idem & de Chaldaeis obſervandum, eos talia docuiſſe, quae nonnullorum judicio pantheismo favere videntur; nec ab invaleſcente apud ethnicos ſumma impietate, cum abſurdiſſima ſuperſtitione conjuncta, hoc prorſus alienum eſſe; caute tamen & hac in re incedendum, ne ſine ſufficienti ratione atheismus iis tribuatur, quanquam a ſententiis eo ducentibus, vel illorum, qui eos defendere annituntur, judicio, abſolvi nequeant.

 * Chal-

* Chaldaeos eandem cum Stoicis, mundum ipſum pro Deo habentibus, foviſſe ſententiam, PHILONIS quodam teſtimonio comprobat JUSTUS LIPSIUS, *phyſiolog. ſtoic. lib. II. cap. X.* idque ex eodem repetii in *diſſertat. de Spinozismo ante Spinozam* §. XX. *analector. hiſtor. philoſ. pag.* 348. Excuſare tamen Chaldaeos annititur vir doctiſſimus JOAN. CHRISTOPHORUS WOLFIUS, eo quod ex fragmentis doctrinae Chaldaicae & oraculis, quae ſub Zoroaſtris nomine circumferuntur, pateat, omnino Chaldaeos diſtinxiſſe inter principium omnium rerum, & res ipſas, quae ex eo manarint, quod adductis teſtimoniis quibusdam confirmat. Non magnopere, haec ita ſe habere, repugnabimus, nec inficiati fuerimus, veſtigia doctrinae de rerum creatione apud Chaldaeos permanſiſſe: ipſum ſaltem Virum doctiſſimum tandem fateri, obſervamus, doctrinam de rerum creatione apud Chaldaeos minime incorruptam manſiſſe: idque vel inde conſtare, quod, *res omnes ex eſſentia Dei fluxiſſe*, exiſtimaverint. *Hoc enim*, inquit, *volunt variae loquendi rationes, quae in oraculis Zoroaſtris leguntur, ex quibus tantum provocabimus ad verſ.* 17. *ſeqq. ubi de principiis ſermo eſt:*

Καὶ πηγὴ πηγῶν καὶ πηγῶν πέρας ἁπασῶν.
Μήτρα συνέχουσα τὰ πάντα·
Ἔνθεν ἄρδην θρώσκει γένεσις πολυποικίλου ὕλης·

Et fons fontium, & fontium terminus omnium,
Matrix continens omnia;
Inde affatim exilit origo variae materiae.

Referamus itaque Chaldaeos inter eos, qui communi gentibus errore, Deum hujus univerſitatis auctorem ita ſtatuerunt, ut ex eo emanaſſe is exiſtimetur, l. c. §. *V.* Ad minimum itaque Chaldaeorum ſententia inter eas referenda, quae ad Spinozismum ducere poſſunt. Addi his merentur, quae idem Vir doctus de Aegyptiis, *l. c.* §. *VI.* commentatur. (7)

(7) *Pluribus docuit* Bruckerus *Hiſt. Crit. Philoſ. Tom. I. pag.* 132. *ſeq. Chaldaeorum doctrinam ab Atheismi labe eſſe liberandam; licet nullius ponderis habeat argumentum, quod ex oraculis Chaldaicis peti ſolet; cum haec ſint ſuppoſititia; quod & ante eum notaverat* Reimannus *Hiſt. Atheismi Sect.* 2. *C.* 6. §. 2. *Haec certe oracula ab uno eodemque homine proficiſci minime potuerunt, cum in iis talia reperiantur, quae manifeſto inter ſe pugnant. Caeteroquin, ſi unum locum, a reliquis ſeparatum, reſpicere liceret, recte ſenſit Oraculorum Zoroäſtris ſcriptor Cap. VII.* (*apud* Stanley *Hiſt. Philoſ. pag.* 1184.) ὁ ποιητὴς ὃς αὐτουργῶν τεκτήνατο τὸν κόσμον. *per ſe ipſe operans Opifex mundum fabricavit.*

§. IX.

§. IX.

A barbaris, quas vocant, gentibus, ad Graecos si transeamus, primum ORPHEUS se nobis offert, theologiae & religionis, seu superstitionis potius, graecanicae, primus praecipuusque auctor. Hic vero τελεταῖς, ritibus, ac ceremoniis, quas instituit, sacris, nihil aliud sibi voluisse videtur, quam ut sapientiae studium, rerumque naturalium scrutinium hac ratione commendaret, & ad alios propagaret, simul tamen homines, qui hacce cognitione ad pessima quaeque abuti poterant, inde arceret. Nec tamen desunt, qui omnia eo tandem rediisse autumant, ut illis, qui ad mysteria capienda & propaganda idonei judicabantur, impium & monstrosum dogma, naturam ipsam Deum esse, committeretur. *

* Non nescio, viros quosdam doctos omnem Spinozismi suspicionem ab Orpheo amoliri. Nec is ego sum, qui vel obtorto collo aliquem atheorum cohorti adscribere cupiam. Largior etiam, inter fragmenta Orphica occurrere quaedam, quae nos mitius de eo sentire jubeant. Quicquid autem de ipso Orpheo sit, disciplinam ipsam arcanam Graecorum atque πλειστῶν eo tandem collimasse, non omni prorsus verosimilitudine caret. Idque si ita se habeat, patet, quo pacto infernalis genii fraude res toto coelo distantes, summa superstitio & summa impietas, seu atheismus, mirabili artificio inter se connecti queant. Conferenda, quae de Orpheo dixi in *histor. ecclesiast. vet. testam. period. II. sect. II. §. XVIII. pag.* 1003. *seqq.* (8)

(8) *Mea hic facere liceat aequissima* Reimmanni *verba in Hist. Atheismi* S. 2. C. 16. §. 2. Periculosae plenum opus est aleae, Atheismi crimine postulare quendam, & postulationis aliam causam non habere, quam solam conjecturam. *Equidem*, Orphei *doctrinam de Deo non magni fecisse* Diogenem Laertium *Lib. I. pag.* 2. (*in Edit.* Menagii), *haud ignoro; quum eum ne quidem inter Philosophos numerare voluerit. Verum, si attendamus ad ea, quae*, Pythagoram *ab* Orpheo *didicisse, refert* Jamblichus *de vita Pythag. passim, sed praesertim* Cap. 28. *nequaquam adserere licebit*, eum impium commisisse atque monstrosum dogma, naturam ipsam esse Deum; *contrarium etiam evincitur ex locis* Timothei *Chronographi, qui brevem disciplinae Orphicae summam pro-*

 posuit

posuit in Cosmopoeia *sua; reperiuntur collecta apud* Cudworth *in Syst. Intell. pag.* 346. *seq. conf.* Moshemius *in notis, &* Burnet, *Archaeol. Philos. L.* 1. *C.* 9. *pag. m.* 162-186. *Edit. Lond.* 1733. *Neque exceptio* Bruckeri *in Hist. Crit. Philos. Tom. I. pag.* 387. *ac si* Timotheus *ille fidem mereretur nullam, rem conficere potest; licet enim nonnullorum Veterum verba ad firmanda sua detorserit; in hac tamen parte conspirant* Timothei *illius dicta cum iis, quae habet* Suidas *in Voce* ορφευς. *Verum, si ex carminibus Orphicis judicium ferre velimus, ipsum a Systemate emanativo, seu a sententia eorum, qui, omnia ex Deo emanasse, statuunt, non alienum fuisse, concludere liceret; dum tutissimi eunt, qui, vix aliquid circa sententiam* Orphei, *determinari posse, censent, quippe qui nihil reliquit scriptum, ex quo vel levior conjectura posset formari.*

§. X.

Divinarum naturaliumque rerum scientia apud Graecos tum per poëtas, tum per philosophos, sed diversa ratione propagata est. Illi ex voluntate divina rerum ortum derivantes, indeque *Theologi* dicti, simulque populi captui se accommodantes, polytheismo patrocinati sunt; * hi vero ad ipsam naturam attendentes, indeque *physici* adpellati, magis ad atheismum inclinare nonnullis visi sunt. Saltem, qui primam Ionicae sectae classem constituunt, THALES MILESIUS, ANAXIMANDER & ANAXIMENES, nonnullis valde atheismi suspecti videntur, etsi non desint, qui, eos ab hac accusatione liberari posse, contendant. **

* Poëtas Graecorum veteres *Theologos* dictos constat, aliisque jam saepe observatum est; idque eam maxime ob causam, quod θεογονίας describerent. Has vero θεογονίας non ipsi invenerunt, ut HERODOTUS innuere videtur, *lib. II. cap. LIII.* sed ab orientis populis, speciatim Phoeniciis, eas acceperunt. Qua de re nemo dubitabit, qui legerit, quae ex Sanchuniathone refert EUSEBIUS, *praeparat. euangel. libr. I. cap. IX. pag.* 31. Quodsi primam originem spectes, probabile, fuisse, antiquissimis temporibus, qui ad imitationem Mosis de prima rerum omnium hominumque origine commentarentur, ac *genealogias* scriberent, quae deinceps in θεογονίας facile commutari potuerunt. Jungenda, quae hac de re dixi *histor. eccles. veter. testam. ad period. II. sect. II. §. XVIII. pag.* 986. 987.

** Fue-

** Fuerunt jam pridem, qui sectam Ionicam atheismi ream agerent; cumprimis tamen hoc egit auctor observationis, quae *de primo rerum ortu philosophorum Ionicae sectae dogmata inter se, & cum dogmatibus praecedentium & sequentium philosophorum Graecorum collata*, exhibet, *tom. I. observation. Hallens. observat. XXI. pag.* 445. Nimirum tres is constituit atheismi gradus. Primum atque supremum illorum, qui, nullum plane Deum esse, contendunt: alterum, qui, Deum quidem esse, fatentur, sed mundum ab eo conditum negant, qualis sit Deus Epicuri; tertium denique, seu infimum illorum, qui, Deum quidem produxisse mundum, concedunt, verum non voluntate sua libere motum, sed necessitate velut naturae coactum, quam Aristotelis atque Stoicorum fuisse sententiam, existimat. Jam ad Ionicae sectae philosophos quod attinet, eos in duas classes dispescit. Ad priorem Thaletem, Anaximandrum & Anaximenem refert, qui, cum in quibusdam dissentiant, in eo tamen conveniunt, res omnes sua sponte nulla Dei intercedente opera extitisse, adeoque ad secundum gradum atheismi referendi sint. Anaxagoras, Diogenes Apolloniata, & Archelaus, alteram Ionicae sectae classem constituunt, quod materiae caussam efficientem Deum adjunxerint, adeoque a secundo atheismi gradu liberandi sint, ad tertium tamen referri posse, quod Deum cum materia arctissimo vinculo colligaverint. Haec omnia AUGUSTINI cumprimis auctoritate confirmantur. Repetitque ea PETR. BAELIUS, *diction. histor. crit. voc. Thales, p.* 2857. ut non tantum calculum adjiciat, sed testimonium contrarium, quod ex Cicerone adferri poterat, removeat. Alii contra Ionicos philosophos, praesertim Thaletem, ab ista atheismi suspicione liberare annituntur, eumque in finem varia ejus adferunt effata, quibus haud obscure Deum mundi auctorem profiteri videtur. Haud ultimum in ea est, quod DIOGENES LAERTIUS inter apophthegmata Thaletis refert: πρεσβύτατον τῶν ὄντων θεὸς, ἀγέννητον γὰρ κάλλιστον κόσμος, ποίημα γὰρ θεοῦ *Antiquissimum eorum omnium, quae sunt, Deus: ingenitus enim. Pulcherrimum, mundus, a Deo enim factus est; lib. I. sect. XXXV.* Addenda, quae pro secta Ionica, speciatim Thalete Milesio, contra atheismi imputationem disputant RUDOLPHUS CUDWORTHUS, *system. intell. libr. I. cap. I.* §. *XII.* SAM. PARKERUS *de Deo & providentia divina, dissertat. I. sect. V.* JOANNES CHRISTHOPHORUS WOLFIUS, de *atheismi falso suspectis* §. *IX.* Licet vero Ionici, qui Thaletem secuti sunt, in explicandis rerum naturalium caussis, Dei, seu caussae efficientis, nullam fecerint mentionem, inde tamen, eos Deum non agnovisse, tuto inferre non licet. Namque & multos recentiorum in rerum naturalium consideratione materiae tantum habere rationem, constat, caussae efficientis primae, seu Dei, nulla injecta mentione, quos tamen ideo inter atheos referre nefas fuerit. Hoc etiam olim monui in *elem. philos. instrum. part. I. cap. IV.* §. *VI.*

Ibi

Ibi enim, poſtquam obſervaveram, materiae fluidae, ſed inerti, mentem praefeciſſe Anaxagoram, tanquam motus principium, & ordinis quoque omnisque ſtructurae elegantioris auctorem addidi: *Quod tamen non ita capiendum, ac ſi Thales ceterique Ionici fuerint athei, ſed quod inter rerum naturalium cauſas ſolam materiem conſideraverint.* Conſentiunt, quae hac de re ſcripſi, *in ſapientia veterum*, ſeu *dictis illuſtrioribus ſeptem Graeciae ſapientum explicatis*, & quidem *in ethica Thaletis*, §. *X.* (9) Interim non negandum, ſyſtema ejusmodi rerum naturalium, ex quo cauſa efficiens aut excludatur, aut in quo nulla ejus habeatur ratio, atheismo alendo & promovendo valde accommodatum eſſe. (10) Quod ex dicendis luculentius patebit. De Anaximandro dubitat SAMUEL PARKERUS, cum, ut materiam quandam immenſam rerum initium eſſe, dixerit, ita aliud quodvis principium admiſiſſe, non plane conſtet; interim eum pariter, ac Anaximenem, eadem ratione, qua Thaletem defendi poſſe diximus, defendit, *loc. cit. diſput. I ſect. VI. pag.* 15. Non deſunt tamen, ne quid diffitear, dubitandi rationes. Certe de Anaximene AUGUSTINUS: *omnes rerum cauſas infinito aëri dedit, nec Deos negavit aut tacuit; non tamen ab ipſis aërem factum, ſed ipſos ex aëre ortos credidit. de civitat. Dei libr.* VIII. *cap.* II. Quales vero illi Dii, qui ex aëre facti ſunt? Diogenes vero Apolloniates, Anaximenis diſcipulus, teſte eodem AUGUSTINO, *loc. cit. aërem quidem* dixit, *rerum eſſe materiam, de qua omnia fierent, ſed eum eſſe compotem divinae rationis, ſine qua nihil ex eo fieri poſſet.* Quo ipſo innuere videtur, aërem ipſum eſſe Deum. Ita certe mentem Diogenis expreſſit CICERO: *Quid? aër quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem ſenſum habere poteſt, aut quam formam Dei? de natura deor. lib.* I. *pag.* 46. add. MINUTIUS FELIX, in *Octavio, cap.* XIX. *pag. m.* 61. Jungenda, quae de hocce philoſopho diſputat PETRUS BAELIUS, *diction. hiſtor. crit. voc. Diogenes Apolloniates, pag.* 1054. Ad Anaxagoram quod attinet, eum primum materiae mentem adjeciſſe, auctor eſt DIOGENES LAERTIUS, *lib.* II. *ſect.* VI. *pag. m.* 82. Idemque praeter alios confirmat CICERO: *Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene diſciplinam, primus omnium rerum deſcriptionem, & modum mentis infinitae vi ac ratione deſignari & confici voluit;* de *natura Deor lib.* I. add. SAM. PARKERUS, *loc. cit. pag.* 17. 18. Nec id negat auctor obſervationis antea laudatae, adeoque Anaxagoram ejusque ſucceſſores ab atheismo ſecundi generis abſolvit; eos vero mentem cum materia indiſſolubili vinculo conjunxiſſe, contendit. Id vero probari poſſe, abnuunt alii. Certe loca veterum in contrarium adduxit vir clariſſimus JOAN. CHRISTOPHORUS WOLFIUS, *loc. cit.* §. X. Jungenda, quae de hocce philoſopho diſputat PETRUS BAELIUS, *diction. hiſtor. crit.* voc. *Anaxagoras, lit. D. & E. pag.* 228. *ſeqq.* item *lit. K. pag.* 224. Hinc vero &, quid de reliquis Ionicae ſectae philoſophis cenſendum ſit, patet.

(9) *Nescio, quae prurigo Atheorum catalogum amplificandi* Thaletem *inter Atheos referre sustinuerit; cum unice ex Historiarum monumentis sapere liceat: locus autem* Laertii Diogenis, *quem ipse adducit Cl. Auctor, eum ab ista suspicione posset liberare: & quomodo, quaeso! Atheismi insimulabitur, qui (secundum* Valerium Maximum *Lib. VII. C. II. num.* 8. *Extern.) interrogatus,* an facta hominum Deos fallerent? nec cogitata, *inquit: eadem fere refert* Diogenes Laërtius *l. c. Licet vero Philosophi Gentiles praesertim antiquissimi non ubique sanas ac cohaerentes de Deo foverint opiniones, id equidem mirari aut aegre ferre non licet; cum a fulgentiori Revelationis lumine fuerint destituti cui nos maximam partem debemus saniora nostra Theologiae Naturalis systemata: quod semel monuisse sufficiat. conf.* Reimmannus *Hist. Ath. S. II. C. XIX.* §. *II.* Bayle *Dict. Crit. in V.* Thales *lit. A. & praesertim* Bruckerus *l. c. Tom.* 1. *pag.* 467. seq. Moshemius *ad* Cudworthi *Syst. Int. pag.* 122. seq.

(10) *Causam mundi efficientem non exclusisse* Thaletem, *liquere potest ex* Cicerone *de Nat. Deor. Lib.* 1. *Cap.* 10. Thales enim Milesius, *inquit,* qui primus de talibus (*alii legunt* naturalibus) rebus quaesivit, aquam dixit esse initium rerum; Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret.

§. XI.

Ex Ionica schola prodiit SOCRATES, novam tamen melioremque faciem philosophiae inducens. Missis enim vanis speculationibus, vitam potius ad rectae rationis ductum componere, veraeque litare sapientiae mortales docuit. Ut autem aliorum vitia libere reprehendendo, malevolorum odia evitare non potuit, ita rejecta ab eo superstitio, *πρόφασιν* atheismi crimen ei objiciendi illis praebuit, * a quo tamen non minus, ac a superstitione, eum alienum fuisse, satis constat. **

* Inter capita enim accusationis, a Melito contra Socratem prolata, hoc quoque fuit: Ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς, οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος. *Jura violat Socrates, quos ex majorum instituto suscepit civitas, Deos esse, negans, alia vero nova daemonia inducens;* apud DIOGENEM LAERTIUM, *lib.* II. *sect.* XL. *pag. m.* 104. conf. & XENOPHON, *memorabil. Socratis lib.* I. *cap.* I. Licet autem, quantum ex hacce accusationis formula patet, non tam negati Dei, quam mu-

tatae religionis reus ageretur, hoc tam apud homines imperitos & coeco zelo furentes, ſatis erat, ut pro atheo haberetur. Eum autem non fuiſſe atheum, ſatis patet ex iis, quae XENOPHON, *l. c.* diſſerit, ex quibus etiam intelligitur, eum rectius de Deo, quam & plebejos, & multos Philoſophorum, ſenſiſſe. Ad Philoſophos namque pertinet, quod *ibid. num.* XI. *pag.* 5. dicitur: οὐδὲ γὰρ περὶ τῆς τῶν πάντων φύσεως, ᾗπερ τῶν ἄλλων οἱ πλεῖστοι διελέγετο, σκοπῶν ὅπως ὁ καλούμενος ὑπὸ τῶν σοφιστῶν κόσμος ἔφυ, καὶ τίσιν ἀνάγκαις ἕκαστα γίνεται τῶν οὐρανίων· ἀλλὰ καὶ τοὺς φροντίζοντας τὰ τοιαῦτα μωραίνοντας ἀπεδείκνυε. *Nec enim de rerum omnium natura ſic diſſerebat, uti complures alii, nimirum conſiderans, quo pacto is, qui a profeſſoribus ſapientiae mundus appellatur, ortus ſit: quibusque de cauſis neceſſariis, ſingulae res coeleſtes fiant. Imo eos, qui his rebus occuparentur, fatuos eſſe, demonſtrabat.* Lectu etiam digna ſunt, quae *num.* XIX. *pag.* 9. adfert, ubi docet, plerosque putare, Deos quaedam ſcire, quaedam neſcire, at Socratem arbitratum, Deos omnia, quae vel dicerentur, vel agerentur, vel clam deliberarentur, ſcire, eosdem ubique adeſſe, ac de rebus humanis omnia hominibus ſignificare. Haec vero Socratis ſententia, quae ab atheismo aeque ac ſuperſtitione eum liberat, cum antiquis eccleſiae doctoribus perſpecta eſſet, parum abſuit, quin, eum Chriſtianum fuiſſe, aſſererent, certe non majori jure, quam Chriſtianos, atheismi accuſatum, contenderunt. Nota ſunt iſta JUSTINI martyris: οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες, χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς. *Quicunque cum ratione vixerunt, chriſtiani ſunt, quamvis athei habiti ſint, quales inter Graecos fuere Socrates & Heraclitus, atque iis ſimiles; apol.* I. *pro chriſtianis, pag.* 91. edit. JOAN. ERNESTI GRABII. Jungenda & quae idem habet *apol.* II. §. XI. *pag.* 26. *ſeqq.* & *cohort. ad Graecos* §. XIX. *pag.* 85.

** Quam alienus a ſuperſtitione fuerit Socrates, tum tota vita ejus, tum ipſa adverſariorum ejus accuſatio ſatis ſuperque teſtatur. Nec contrarium ex iis, quae de Genio ſuo dixit, evinci poteſt. Sive enim hoc nomine ipſam animam vel mentem Socratis, quae quorundam eſt ſententia, ſive, quod fere probabilius, angelum quendam bonum intelligas, nihil in eo deprehenditur, ut jure ſuperſtitionis argui queat. (11) Legenda autem hac de re erudita GOTTFRIEDI OLEARII diſſertatio, de *genio Socratis*, THOMAE STANLEII, *hiſtoriae philoſophicae* inſerta, *part.* III. *cap.* VI. *pag.* 130. *ſeqq.*

(11) *Ab Atheismi crimine facile abſolvitur* Socrates, *ab omni ſuperſtitione difficulter; ut taceam enim ejus* Genium, (*de quo elegans habetur* Olearii *Diſſertatio, Auctori laudata, quae inſerta eſt* Stanleyi *Hiſtoriae Philoſ. T.* 1. *p.* 130. ſeqq. *vide* Plutharchi *de genio Socratis oper. T.* 2. *pag. m.* 575. ſeqq.) *moribundus juſſit, ut Aeſculapio Gallus offer-*

offerretur, *vel* (*quemadmodum loquitur* Lactantius *de falsa sapientia Cap.* 20.) ut Aesculapio Gallum, quem voverat, pro se sacrarent. *vid.* Plato *in Phaedon. in fine. Neque eo nomine excusari potest, acsi hoc ipsum ab amicis exigens veneni efficaciâ delirasset; cum* Plato *id ipsum notare non neglexisset, nec* Crito *respondisset:* fiet, quod jubes; sed vide, num quid aliud velis, *manifesto satis supponens*, Socratem *mente esse integra.*

§. XII.

Priusquam de Philosophis, qui ex Socratis schola prodierunt, novasque condiderunt sectas, dicamus, commemorandus nobis est CRITIAS, degener Socratis discipulus, ingratus injuriusque in patriam, & inter triginta tyrannos, qui Athenis, a Lysandro Lacedaemoniorum duce subjugatis imperarunt, pessimus. * Hic enim inter eos referri solet, qui aperte & citra ambages Numinis existentiam negarunt; ** quod & a protervia hominis, summaque iniquitate, non alienum est.

* Vid. PHILOSTRATUS, in *vitis Sophistar. lib.* I. *num.* XVI. *pag. m.* 501. Fuerunt, qui Socrati vitio verterent, quod ex schola ejus prodiissent Critias & Alcibiades. Sed defendit eum XENOPHON, de *factis & dictis Socratis lib.* I. *pag.* 415. *seqq.*

** Testis hujus rei est SEXTUS EMPIRICUS: Θεὸς γὰρ οἱ μὲν πολλοί φασιν εἶναι· τινὲς δὲ οὐκ εἶναι· ὥσπερ περὶ Διαγόραν, τὸν Μήλιον, καὶ Θεόδωρον, καὶ Κριτίαν τὸν Ἀθηναῖον; *plerique hominum Deos esse credunt, nonnulli autem, ut Diagoras Melius, & Theodorus, & Critias Atheniensis, non credunt; Pyrrhoniar. hypotypos. lib.* III. *pag.* 155. Prolixius integrum velut Critiae systema idem exhibet, *advers. mathemat. pag.* 318. quod ex eodem repetit, & varia de eo observat, reliqua simul de Critia memoratu digna exhibens PETRUS BAELIUS, *diction. histor. crit. v. Critias, pag.* 982. *seqq.* (12)

(12) *Dicebat* Critias (*secundum* Sextum Empiricum *Adversus Physicos* Num. 54. *in Edit.* Fabricii) quod antiqui legislatores finxerint Deum, inspectorem rerum, quae bene & male fiunt ab hominibus, ut nemo proximum suum clanculum injuria adficiat, cavens ne a Deo puniatur; *adjicit dein ipsa ejus verba ligato sermone enuntiata;*

verum de controversia, quam hi versus excitarunt, (cum a Plutarcho *de Plac. Philos. Lib.* 1. *Cap.* 7. *pag. m.* 880. Euripidi *tribuantur), agere supervacuum duco; quia satis fuse de illa disseruerunt* Fabricius *in Not. ad* Sexti *locum pag.* 562. *& ante eum ab Auctore laudatus* Bailius *Dict. Crit. in V.* Critias. *conf. Cl. Auctor ad* §. *XX. hujus Capitis.*

§. XIII.

De PLATONE, qui primum praecipuumque inter Socratis discipulos locum tenuit, diversa extant eruditorum hominum judicia. A nonnullis namque enthusiasmi & superstitionis arguitur, * ab aliis vero atheismi, speciatim Spinozismi. ** Sunt contra, qui eum omnino, quae christianae religioni consentanea sint, docuisse perhibent. *** Id certum est, ab atheismo alienum fuisse; placita autem ejus, seu dogmata philosophiae Platonicae, non uno omnia habenda sunt loco. *

* Praeter alios hoc ex instituto egit EHREGOTT DANIEL COLBERGIUS, in *Christianismo Hermetico Platonico, cap.* I. §. III. *pag.* 8. quem & alii secuti sunt. Jesuita quoque doctissimus P. BALTUS polytheismum & superstitionem Platoni multis exprobrat, quanquam simul fateatur, eum veri Dei notitia imbutum fuisse, sive ab Ebraeis eam acceperit, sive rationis rectae usu assecutus sit, dans la *defense de SS. Peres accusez des Platonisme libr.* III. *pag.* 244. *seqq.* Nonnulla tamen pro defensione Platonis moneri possent; hoc vero cum instituti ratio nec requirat, nec patiatur, id saltem addere liceat, Patribus jam observatum, Platonem, etsi de Deo recte sentientem, exemplo Socratis tamen deterritum, de diis ita subinde locutum, ne a recepta apud Ethnicos sententia discedere videretur. Lectu digna sunt, quae hanc in rem disserit JUSTINUS martyr, *cohortat. ad Graecos.* §. XIX. *pag.* 85. ex editione HUTCHINI.

** Ita auctor doctissimus *otiorum*, anno M DCC VI lingua germanica editorum, *part.* II. *cap.* III. *pag.* 86. hoc praecipue argumento nixus, quod Deus ex mente Platonis cum materia conjungatur, quod etsi libere fiat, non tamen ideo Spinozismi suspicionem eum effugere.

*** Plu-

*** Plures tum inter veteres, tum inter recentiores fuisse, qui consensum Platonis cum doctrina christiana demonstrare aggressi sunt, constat. Dixi ipse olim aliquid hac de re, in observatione de *conciliatione philosophorum cum scriptura sacra*, quae extat *observation. Hallens. tom.* III. *num.* XIII. §. III. IV. *pag.* 235. *seqq.* Jungendi de eodem argumento auctores laudati JOANNI ALBERTO FABRICIO, viro doctissimo, *biblioth. graecae lib.* III. *c.* I. *p.* 39. Quantopere autem conciliatores isti fallantur, alibi ostenditur. (13)

(13) *Eousque progressa est quorundam audacia, ut statuerint*, CHRISTUM, *ex inferno reducem, secum tulisse* Platonem, *atque in coelum evexisse*. *Vid.* Acta Philosophorum *Part. XIII. pag.* 243. seqq.

* Ab atheismo alienum fuisse, tot praeclara ejus, quae passim extant, de Deo effata vix quenquam dubitare sinunt. Ad argumentum autem, a Viro doctissimo, anteaque jam laudato, allatum, quod attinet, non quaelibet, sed necessaria mentis cum materia conjunctio ad Spinozismum ducit. Si enim Deus libere ad mundum ex materia creandum accessit, distinctus sane & separatus a materia fuit, nec una substantia est, ut SPINOZA vult, sed duae, distinctae prorsus, atque a se invicem separatae. Praeterquam vero, quod ipse Vir doctissimus fateatur, Deum libere, sine necessitate, ex Platonis mente, ad materiam accessisse, ita eundem Platonem Deum pro principio a materia distincto & prorsus separato habuisse, veterum testimoniis comprobat JO. CHRISTOPHORUS WOLFIUS, de *atheismi falso suspectis*, §. XII. *pag.* 37. *seqq.* qui & in *Manichaeismo ante Manichaeos, sect. II.* §. *XXXIV. pag.* 142. *seqq.* erudite Platonis causam egit, ubi & ostendit, quo sensu Deus a Platone in *Parmenide* ἀνώνυμος, dicatur. Jungenda, quae non minus erudite hac de re disserit B JAC. THOMASIUS, de *exust. mundi stoica, dissertat. II.* §. X. *dissert. XIV.* & quae nos diximus, in *dissert. de Spinozismo ante Spinozam*, §. XIII. XIV. Interim, etsi ab atheismi suspicione liberari queat Plato, non tamen ideo omnia ejus asserta probanda sunt; quaedam enim ad enthusiasmum ducere, negari nequit. (14)

(14) *Licet* Platoni *summa inferatur injuria, si inter Atheos numeretur, diffiteri tamen non licet, eum adeo obscure de creatione hujus Universi ex nihilo disseruisse, ut, mundum ex praeexistente materia a Deo productum, statuisse videatur; cum ipsam materiam exstitisse docuerit, priusquam omnia fierent. Vid.* Bruckerus *Hist. Crit. Phil. Tom. I. pag.* 676. seqq. *& praesertim* Moshemii *Dissertatio de Creatione ex Nihilo* §. *XV*, *quae inserta* Cudworthi *Syst. Intell. pag.* 973. seqq. *qui duo Platonem inter illos censere recusant, qui, mundum ex nihilo creatum esse, existimarunt; neque sic dissentiunt a* Laertio Diogene *in Vita* Platonis

Lib. 3. *pag. m.* 85. seq. *in Edit.* Menagii, *cujus observationes sunt consulendae pag.* 97. *Platonem vero immortalitatem animorum quidem docuisse, eandem tamen non credidisse demonstrare allaboravit* Warburton *Goddelyke zendinge van Moses 2de Deel. pag.* 220. *enz.* (*qui recte in plerisque refutatur ab eruditissimo* Geddes *an Essay on the composition and manner of writing of the Antients, particularly Plato pag.* 148. seqq.) *Male saltem Ill.* Warburton, *ut suum assertum probaret, provocat ad* Strabonem *Geogr. Lib.* 15. *pag.* 1040. *in Edit.* Almelovenii, *cum Geographus minime adfirmet, Platonem non credidisse animorum immortalitatem, sed monstrat, se illam numerare inter Fabulas: dicit enim de Brachmanis:* παραπλέκουσι δὲ καὶ μύθους, ὥσπερ καὶ Πλάτων περί τε ἀφθαρσίας ψυχῆς, καὶ τῶν καθ' ᾅδου κρίσεων, *&c.* contexere etiam Fabulas, quemadmodum Plato, de immortalitate animae, & de judiciis apud inferos, *&c.*

§. XIV.

Qui Platonis scholam continuarunt, cum de certa rerum cognitione non unum idemque sentirent, in diversas abierunt classes. Qui primam academiam constituerunt, ut XENOCRATES, POLEMO, & reliqui, de multis quidem rebus in utramque disputabant partem, in multis tamen etiam certi quid definiebant. * At, qui secundae academiae auctor fuit, ARCESILAS, eo usque progressus est, si nonnullis credimus, ut, nihil omnino comprehendi aut sciri posse, doceret; ** quod &, qui eum secuti sunt, LACYDES Cyrenaeus, TELOCLES, & reliqui fecerunt. CARNEADES Cyrenaeus, tertiae academiae conditor, in rebus ipsis verum quidem admittebat, at negabat, in nobis esse facultatem illud cognoscendi, probabilia interim multa esse, concedens, quod eodem tandem redibat. *** Haec autem secundae & tertiae academiae dogmata recta ad atheismum ducere, nemo non intelligit; * unde & nonnullis, speciatim CARNEADI, ** ejusque discipulo CLITOMACHO, *** eum objectum fuisse, non est, ut quis miretur. De PYRRHONE, ejusque sectatoribus, quos Scepticos dicere moris est, idem sentiendum. *

* Hanc

* Hanc Platonis, quem & prima academia fecuta eſt, ſententiam ita exprimit DIOGENES LAERTIUS: ὁ πλάτων περὶ μὲν ὧν κατείληφεν, ἀποφαίνεται, τὰ δὲ ψευδῆ διελέγχει, περὶ δὲ τῶν ἀδήλων ἐπέχει; *Plato quae percepit, aſſerit; at falſa diluit; de incertis definire ſuperſedet*, *libr.* III. *ſect.* LII. add. GERH. JOANNES VOSSIUS, de *philoſoph. ſectis*, *cap.* XII. §. XXIII.

** Primus hic mediam invexit academiam, ἐπισχὼν τὰς ἀποφάσεις διὰ τὰς ἐναντιότητας τῶν λόγων, *adſenſum continens propter ſermonum contrarietates*, ut loquitur DIOGENES LAERTIUS, *lib.* IV. *ſect.* XXVIII. CICERO in libro de *oratore* ita de eo loquitur: *Arceſilas primum, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris ſermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil eſſe certi, quod aut ſenſibus aut animo percipi poſſit, &c.* Unde & POMPONIO MELAE, *nihil affirmantis academiae clariſſimus antiſtes*, audit, *lib.* I. *cap.* XVIII. add. EUSEBIUS, *praepar. euang. lib.* XIV. *cap.* II. AEGIDIUS MENAGIUS, ad *Diogen. Laërt. loc. cit.* GERHARDUS JOANNES VOSSIUS, *loc. cit. cap.* XIII. §. II.

*** Diſcrimen, quod inter Arceſilam & Carneadem, ſeu ſecundam & tertiam academiam interceſſiſſe, nonnulli putant, duobus abſolvitur capitibus: primo namque Arceſilas in rebus ipſis nullam eſſe veritatem, dixiſſe perhibetur, cum Carneades contra fateretur, aliquid verum aut falſum eſſe, ſed negaret, eſſe in nobis κριτήριον ſive artem judicandi, verumque a falſo diſcernendi. Deinde, cum Carneades aſſenſum cohiberet ob rei incertum, non tamen negaret, aliquid probabile eſſe, aut contra, Arceſilas horum nihil admittebat, vid. GERH. JOAN. VOSSIUS, *l. c. cap.* XIV. §. II. III. CICERONIS loca, ex quibus hocce, quod inter Arceſilam & Carneadem intercedere diſcrimen dicitur, probari ſolet, adfert PETRUS BAELIUS, *dict. hiſt. crit. voc. Carneades, lit. B. p.* 810. qui tamen in eo totus eſt, ut evincat, Carneadem idem prorſus cum Arceſila ſenſiſſe, cum revera apud eum cuncta eo tandem redierint, nihil plane certi eſſe. Interdum equidem eum prae ſe tuliſſe, ac ſi probabilitatem admitteret, ſed hoc eum ſaltem in finem feciſſe, ut adverſariorum objectionibus, quibus academicos riſui exponere annitebantur, eo facilius occurrere poſſet. Digna haec ſunt, quae accuratius expendantur.

* Certe inter eum, qui, Deum eſſe, diſerte negat, & qui omnia, adeoque & hoc, quod Deus ſit, incerta adfirmat, aut nullum aut exiguum admodum diſcrimen intercedit. Quaeſitus enim, an Deus ſit? non aliter reſpondebit, quam: non liquet. Sed hac de re in ſequentibus erit dicendi locus.

** Inter

** Inter eos, quibus atheiſmus objectus fuit, & Carneadem, & diſcipulum ejus Clitomachum refert vir clariſſimus, JO. ALBERTUS FABRICIUS, *biblioth. graec. lib.* II. *cap.* XXXIII. *pag.* 817. Nec ſine omni id fieri ratione, ex dictis patet. Qui uno die juſtitiam laudavit, ſed altero eam non minori facundia evertit, ad idem de Deo faciendum aeque promptum paratumque fuiſſe, ut credamus, par eſt. CICERO equidem, cum, quae contra Stoicorum de religione placita Carneades diſputasſet, retuliſſet, addit: *Haec Carneades agebat, non ut deos tolleret, quid enim philoſopho minus conveniens? Sed ut, Stoicos nihil de diis explicare, convinceret; de natura deor. lib.* III. *pag.* 625. Non tantum autem Stoicos haec argumenta feriebant, ſed omnem Gentilium religionem penitus evertebant. Et hactenus quidem bene. Fateor etiam, nihil minus Philoſopho eſſe conveniens, quam deos tollere: ſed inde, Carneadem id non feciſſe, nondum ſequitur. Profecto, cui omnia incerta ſunt, illi nec, Deum exiſtere, certum eſſe poteſt.

*** Clitomachus, Diogneti filius, Carthaginienſis, patria lingua Asdrubal dictus, in qua & apud ſuos philoſophari conſueverat, ut auctor eſt DIOGENES LAERTIUS *libr.* IV. *ſect.* LXVII. Carneadis diſcipulus fuit, & in Athenienſi ſchola ſucceſſor, ſcripſitque ultra cccc volumina, in quibus magiſtri ſui potiſſimum dogmata illuſtravit. (15) CICERO, qui ſubinde ejus meminit, eum quatuor libros περὶ ἐποχῆς ſcripſiſſe, teſtatur: *A Clitomacho ſumam, qui usque ad ſenectutem cum Carneade fuit, homo & acutus, ut Poenus, & valde ſtudioſus, ac diligens, & quatuor ejus libri ſunt de ſuſtinendis aſſenſionibus, &c. in Lucullo.* Legendus & de illo EUSEBIUS, *praeparat. euangel. libr.* XIV. *cap.* II. Cum magiſtri in omnibus veſtigia preſſerit, quae de Deo ejusque cultu ſententia ejus fuerit, facile intelligitur. Atheiſmum ei diſerte objicit THEOPHILUS Antiochenus, *libr.* III. *ad Autolycum, p. m.* 120. Nec id ſine omni ratione fieri, tum ex hactenus dictis conſtat, tum & THOMAS REINESIUS confirmat, qui de hocce THEOPHILI loco verba faciens, *diu*, inquit, *haeſi, num fuiſſet in eadem haereſi, donec ſoriticam ejus argumentationem, qua, nihil eſſe deos, mirifice conficit, in Sexti Empirici commentariorum adverſus mathematicos octavo, edit. lat. Pariſ. fol.* 282. *reperirem; eamque ipſam Theophilus h. l. innuit, laborioſum impietatis & vanitatis opus, collectionem admiratus. var. lection. libr.* III. *cap.* VI. *pag.* 446.

(15) Clitomachi *placita illuſtrare quodammodo poſſunt doctrinam* Carneadis, *ipſius Praeceptoris, cujus objectiones colligit contra doctrinam Stoicorum de Deo, tradente* Sexto Empyrico *adv. Phyſicos L. IX. num.* 140. ſeqq. *praeſertim Num.* 182. ſeq. *Concluſio fere omnium rationum, quae ſic ſatis frigidae ſunt, haec eſt:* dicendum ergo, non eſſe Deum.

Verum

Verum ipſe Carneades *nihil ſcripſiſſe videtur; adeoque, quid de Deo ipſe ſenſerit, dijudicari nequit; & certe parum de eo ſumus ſolliciti, ubi non agitur de amplificando Atheorum catalogo; conf. ea, quae dixi ad* §. *IX. hujus Capitis.*

* *Vetus quaeſtio*, inquit AULUS GELLIUS, *& a multis ſcriptoribus Graecis tractata eſt, in quid & quantum Pyrrhonicos & Academicos philoſophos interſit. Utrique enim* σκεπτικοί, ἐφεκτικοί, ἀπορητικοί *dicuntur; quoniam utrique nihil adfirmant, nihilque comprehendi putant, &c. Noct. Atticar. lib.* XI. *cap. V. pag.* 265. Quodſi Aſcanio Abderitae credimus, nullum revera inter Pyrrhonios & Academicos interceſſit diſcrimen. Auctor hujus rei eſt DIOGENES LAERTIUS: γενναιότατα δοκεῖ φιλοσοφῆσαι, τὸ τῆς ἀκαταληψίας καὶ ἐποχῆς εἶδος εἰσαγαγών, ὡς Ἀσκάνιος ὁ Ἀβδηρίτης φησί; *Nobiliſſime philoſophiam tractaſſe videtur, commentus multum, quo de omnibus nihil decerneret, neque quidquam comprehendi poſſe diceret, ut Aſcanius Abderites auctor eſt, libr.* IX. *ſect.* LXI. Alii tamen diſcrimen aliquod ſibi inveniſſe viſi ſunt, aſſerentes, Pyrrhonicos non negaſſe, aliquid comprehendi poſſe, interim judicium de omnibus ſuſpendiſſe, adeo ut nec illud, nihil eſſe incomprehenſibile, affirmare ſuſtinuerint. Atque hoc etiam AULUS GELLIUS innuit. Cum enim in reliquis eos convenire docuiſſet, diſcrimen, quod inter eos intercedit, ita exponit: *Quum haec conſimiliter tam Pyrrhonii dicant, quam Academici, differre tamen inter ſeſe, & propter alia quaedam, & vel maxime propterea exiſtimati ſunt, quod Academici quidem, ipſum illud nihil poſſe comprehendi quaſi comprehendunt, &, nihil poſſe decerni, quaſi decernunt: Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri verum dicunt, quod nihil eſſe verum videtur.* (16)

(16) *Aliae etiam differentiae inter Scepticos, ſeu Pyrrhonios & inter Academicos recenſentur apud* Bruckerum *Hiſt. Crit. Phil. Tom.* 1. *pag.* 133. ſeq. *verum haec pertinent ad Hiſtoriam Philoſophiae antiquae, nequaquam vero ad Catalogum eorum, qui Atheiſmi fuere accuſati.*

§. XV.

Referri etiam ad Atheos ſolet ARISTOTELES. * Certe, quae de Deo, ejusque cum materia nexu neceſſario, mundi quoque aeternitate, docet, ejusmodi philoſophiae ſyſtema exhibent, quod cum atheismo conſiſtere queat. ** A Spinozismo diverſam ejus ſententiam fuiſſe, nonnulli exiſtimant, quia duas

ſubſtantias, etſi neceſſario vinculo inter ſe conjunctas, agnovit, aliis tamen & hunc recte illi tribui, contendentibus. *** Interim, in magno errore eos verſatos eſſe, patet, qui Ariſtotelis cum Scriptura Sacra conſenſum demonſtrare aggreſſi ſunt. *

* De atheiſmo Ariſtotelis extat peculiaris liber VALERIANI MAGNI, anno M DC XLVII editus. SAMUEL PARKERUS eum *atheorum omnium principem, atque ipſo Epicuro apertiorem religionis hoſtem*, pronuntiat, *de Deo & providentia divina diſputat.* I. *ſect.* XXIV. *pag.* 65. idque deinceps fuſius demonſtrat *diſputat.* IV. *ſect.* III. *ſeqq. pag.* 355. *ſeqq.* GUIL. POSTELLI verba, quibus atheiſmum Ariſtoteli exprobrat, refert JO. LAUNOIUS, de *varia Ariſtotelis in academia Pariſienſi fortuna, cap.* XIV. *pag.* 155. apud quem & aliorum, de Ariſtotele non adeo praeclare ſentientium, judicia legi poſſunt. Sed idem quoque ex inſtituto ſibi evincendum ſumſit auctor *obſervationis* X. *tom.* VIII. *obſervation. Hallenſ. pag.* 209. *ſeqq.* (17) Sunt equidem, qui pietatem Ariſtotelis nimis evehunt, eumque tantum non pro homine ſancto, Deoque admodum grato, venditant. Utrorumque ſententias cum recenſuiſſet vir doctiſſimus, JOANNES ALBERTUS FABRICIUS, ſuam hac de re ἐπίκρισιν hunc in modum ſubjungit: *Mihi quidem non videtur temere inter atheos rejiciendus eſſe Ariſtoteles; etſi mundum aeternum à Deo naturaliter emanaſſe ſenſit, etſi multos docuit graves atque maximos errores, quorum vim ſi omnem penetraſſet, vel conſecutiones univerſas fuiſſet amplexus, in* ἀθεότητα *forte potuiſſet incidere, vel ſaltim perinde omni ſe exolvere religione, ut Epicurus fecit. Neque diſputo, quali ipſe fuerit animo erga Deum, vel num omnem ejus conſcientiam amoremque mente eliminaverit, in cujus operibus contemplandis per omnem fere vitam tam aſſidue fuit verſatus. Hoc ſaltim adfirmo, ex ſcriptis Ariſtotelis, qualia hodie extant, hoc neutiquam conſtare, nec poſſe firmiter concludi, Ariſtotelem fuiſſe Atheum, neque adeo Hippocratem ex ſcriptis &c. Nam quod non plura de Deo dixerit uterque, ferendum in Philoſophis, qui rationes proximas rerum naturalium exponere volebant, non ad cauſam primam, quam praeponebant, tanquam ad aram ſemper confugere &c. biblioth. graec. lib.* III *cap.* VI. *pag.* 177. Quod moderatum Viri ſummi judicium uti neutiquam diſplicet; ita id, puto, haud difficulter concedet, ipſum philoſophiae, quod Ariſtoteles conſtituit, ſyſtema, ita comparatum eſſe, ut quilibet Atheus hoc admittere queat. Hoc & ex mox dicendis patebit. Jungenda, quae nuper hanc in rem diſſeruit JENKINUS THOMASIUS, in *hiſtoria philoſophica de atheiſmo cap.* II. *pag.* 48. *ſeqq.*

(17) Aristotelem *inter Atheos primi ordinis referri non posse, haud difficulter ex ipsius scriptis demonstratur, cum variis in locis Deum ab Universo, vel mundo distinguat; imo totum mundum omniaque, quae in eo reperiuntur, ei subjiciat: loca a* Fabricio *collecta in Bibl. Graec. Tom. II. p.* 177. *memorare supervacuum esset. conf. ipsius Delectus Argumentorum pro veritate Relig. Christ. pag.* 307. Jonsius *de Scriptoribus Hist. Philos. pag.* 9.

** Summa sententiae Aristotelicae de Deo huc redit: mundum aeternum esse, adeoque nec initium habuisse, nec habere finem; eum a Deo necessario productum, qui cum eo non equidem per modum *formae informantis*, sed *assistentis*, vinculo prorsus necessario sit conjunctus; cumque variae sint sphaerae coelestes, quae ab intelligentiis moveantur, Deum coelo supremo praesidere, seu intelligentiam primam atque motorem primum esse, cui adeo cura sit primi mobilis, quod Veteribus est orbis stellarum fixarum, seu octava sphaera; secundorum autem mobilium, hoc est, orbium, in quibus planetae septem volvuntur, intelligentias secundas curam gerere; unde & sequitur, primum illum motorem, quem Aristoteles Deum vocat, rerum sublunarium nullam curam gerere. Genuinam hanc esse Aristotelis sententiam, luculenter demonstravit B. JACOBUS THOMASIUS, de *exustione mundi stoica dissert.* II. §. XI. XVII. *dissert.* IV. §. I. cumprimis autem *dissert.* XIV. §. CXXXIX. *seqq. pag.* 210. *seqq.* add. SAM. PARKERUS, *loc. cit. disputat.* IV. *sect.* III. *seqq. pag.* 355. *seqq.* (18) itemque MICHAEL MOURGUES, qui mentem Aristotelis accurate exhibet, *dans le Plan theologique du Pythagorisme, &c. tom.* I. *epist.* II. *pag.* 75. *seqq.* ut & *observatio decima tomi* VIII. *observation. Hallens.* §. XIII. *p.* 237. nec non, quae diximus, in *dissert. de Spinozismo ante Spinozam* §. XV. Haec autem Aristotelis doctrina an procul ab atheismo absit? aliis dijudicandum relinquo. Bene, ni fallor, de mente Aristotelis judicavit B. LUTHERUS, apud VITUM LUDOVICUM SECKENDORFIUM, *histor. Lutheranismi libr.* III. §. LXXXI. *num.* XVII. *pag.* 304. *Aristoteles in eam fere delabitur sententiam, ut, etsi Deum non appellet stultum, tamen ignarum rerum omnium statuat, qui nihil negotiorum nostrorum intelligat, & videat, nihil consideret, praeter se ipsum, & tantum consideret in speculatione sui ipsius. Hoc autem etsi non est stultitiam tribuere, tamen certe est adimere scientiam, & constituere ignarum rerum humanarum.* Recteque addit: *Sed quid ad nos talis Deus, aut quis ejus est usus.*

(18) *Nimium acriter in* Aristolem *invehitur* Parkerus *l. c. pag.* 156. *quando perhibet, illum, cum, teterrimam impietatis rationem in animo habuisse se, noverit, in alios eâ causa, quos insontes esse sciebat, magno animi ardore exarsisse simulasse, addens,* qua quidem astutia, quanquam

 quam

quam omnium fortaſſe nemo animo tam malevolo bellum omni Numini indixerit, tamen etiam apud doctiores quosque, ab ipſa criminis ſuſpicione plerumque elapſus eſt: *nec benigne ſatis de* Ariſtotele *ſenſiſſe videtur* Moshemius *ad* Cudworthi *Syſt. Intell. pag.* 500. ſeq. *Fatendum equidem, ex toto complexu ſyſtematis Ariſtotelici judicium eſſe ferendum, non vero ex locis quibusdam ſeparatis; attamen ex pluribus locis, quae congeſſit* Jonſius *l. c. pauca quaedam demonſtrare videntur, ipſum ab impietate illa inſigni, quam ei tribuit* Parkerus, *eſſe abſolvendum. Conſulendus iterum* Bruckerus *l. c. pag.* 832. ſeqq. & Fabricius *de Ver. Rel. Chr. C.* 8. *p* 307. ſeq. *Conſ. infra Cap. II.* §. 10.

*** A Stoicorum ſententia in eo differebat ſententia Ariſtotelis, quod illi Deum pro *forma* mundi *informante*, ut in ſcholis loqui ſolent, habebant, hic autem pro *forma adſiſtente*, etſi vinculo neceſſario cum mundo conjuncto; ut B. JACOBUS THOMASIUS ſolide demonſtrat, *loc. cit. diſſert.* XIV. *per integr. pag.* 177. *ſeqq.* Et hactenus quidem ſententia Ariſtotelis, a ſententia Spinozae, diverſa eſſe videtur. Sunt nihiloſecius, qui, a Spinozae impietate, ſententiam Stagiritae non differre, autumant. Etſi enim intelligentias ſphaerarum motrices, & inter has primam ſeu ſupremam quandam, quam Deum vocat, admittat, has tamen omnes unius ſubſtantiae univerſalis, quae ſit anima mundi, arctiſſimo vinculo cum materia connexa, ex ejus ſententia, eſſe partes. Ita PETRUS BAELIUS, qui paſſim Ariſtoteli Spinozismum objicit, in *dictionar. hiſtor. crit. voc. Ariſtoteles pag.* 351. *voc. Caeſalpinus, pag.* 875. item *voc. Spinoza, pag.* 2780.

* Prae ceteris hoc ex inſtituto egit JOAN. ZEISOLDUS, celeberrimus quondam Academiae noſtrae Philoſophus, ſed conatu haud adeo felici, in *tractatu de Ariſtotelis in illis, quae ex lumine naturae innoteſcunt, cum Scriptura Sacra conſenſu, ab eaque apparente diſſenſu;* Jenae M DC LXVII. 4to. Legenda autem, quae hac de re dixi in *obſervatione de conciliatione philoſophorum cum ſcriptura ſacra, obſervation. Hallenſ. tom.* III. *obſervat.* XIII. §. V. & VI. *pag.* 239. *ſeqq.*

§. XVI.

Ex ſchola Peripatetica prodiit STRATO LAMPSACENUS, THEOPHRASTI diſcipulus, magni nominis inter Peripateticos Philoſophus, ob diligentem rerum naturalium inveſtigationem *Phyſicus* dictus. * Hic non tantum atheismi accuſatur, ſed pro-

proxime etiam ad Spinozismum accedere videtur, etsi in quibusdam a Spinoza in diversum abeat. **

* Vitam ejus DIOGENES LAERTIUS exhibet *lib.* V. *sect.* LVIII. *seqq. pag.* 298. *seqq.* Docet itidem, eum *Physicum* appellatum, quod in ea speculatione prae ceteris diligentissime versatus esset. Circa finem vero, αὐτὸς δὲ ὁ Στράτων, inquit, ἀνὴρ γέγονε (καθάπερ καὶ ἄνω δεδήλωται) πολλῆς τῆς ἀποδοχῆς ἄξιος, διαπρέψας ἐν παντὶ λόγων εἴδει, καὶ μάλιστά γε ἐν τῷ καλουμένῳ φυσικῷ, ὅπερ εἶδος ἀρχαιότερόν τι καὶ σπουδαιότερον. *Ceterum Strato ipse, sicut & supra declaratum est, vir insignis & summa admiratione dignus fuit, in omni disciplinae genere versatus, sed physicae maxime studiis excellens, quod genus & antiquius est, & multorum praeclara ingenia exercuit.* Idem vero PLUTARCHO audit: τῶν ἄλλων περιπατητικῶν ὁ κορυφαιότατος Στράτων, *Peripateticorum reliquorum summus Strato, adversus Colotem pag.* 115. (19)

(19) Bruckerus *in Miscell. Historiae Philosophicae pag.* 154. seqq. *fuse egit de* Stratone, *eumque quodammodo defendere studuit contra intentatam Atheismi accusationem; sed quaedam eorum, pro candore suo, mitigavit in Hist. Crit. Philos. Tom. I. pag.* 846. seqq.

** CICERONIS pariter atque PLUTARCHI loca, ex quibus sententia ejus colligi queat, recitavi in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam* §. VI. Haec vero eo redit, systema mundi consistere posse, etsi nullus admittatur Deus. Negavit enim, teste CICERONE, se Deorum opera uti, ad fabricandum mundum. Hoc ipso vero, ut satis demonstrat, nullam illi fieri injuriam, si in Atheorum classem referatur; ita, quae Spinozismo consentanea sunt, docuit, dum ipsam materiam, ex qua mundus hic compositus est, pro Deo habuit, vel, ut CICERO loquitur, *omnem vim Divinam in natura sitam esse*, censuit. In eo tamen a Spinoza dissentit, quod cum Epicuro materiam in plurimas particulas discerpat, cum Spinoza contra unam hujus universi substantiam statuat; quemadmodum rursus ab Epicuro in eo discedit, quod pro materia stupida vitaque omni destituta, substituat, vita quadam naturali & plastica instructam, sensus tamen omnis atque cognitionis expertem, ut pluribus a me *loc. cit.* ostensum; add. PETRUS BAELIUS, *dictionar. historico-crit. voc. Spinoza, pag.* 2767. (20)

(20) *Conf. ea, quae habet Auctor Cap. II.* §. 9. & Moshemius *ad* Cudworth *Syst. Intell. pag.* 101. seqq. *qui mediam inivit viam, non omnia agnoscendo, quae a* Cudwortho Stratoni *exprobrantur; nec tamen hominem ab Atheismi crimine absolvendo:* Qui se negat, *inquit*, opera

Deorum uti ad mundum fabricandum; qui Deum sine mente fingit; qui omnem Divinam vim in natura sitam putat; qui, naturam sensu & figura carentem, nullo artifice, nec auctore, comparasse, quae videmus omnia, judicat, is qualem Deum colere possit, equidem nulla cogitatione consequor.

§. XVII.

Inter reliquos Socratis discipulos & ARISTIPPUS fuit, Cyrenaicae sectae conditor, & EUCLIDES Megarensis, a quo Megarici originem ducunt. Et Cyrenaici quidem cum in corporis voluptate summum hominis bonum collocarent, * mirum non est, extitisse inter eos, quibus atheismus non sine omni, ut videtur, ratione objectus fuit, ut THEODORUS, cognomine ἄθεος dictus, ** ejusque discipulus BION BORISTENITES. *** Megarici autem cum ex Socratica disciplina nihil praeter acumen disputandi retinuissent, cavillationibusque logicis toti dediti essent, ad eandem facile progredi stultitiam poterant. Certe STILPONEM, qui ex hac schola fuit, inter Atheos referri, constat. *

* Aristippum ceterosque Cyrenaicos in voluptate corporis summum hominis bonum collocasse, testatur DIOGENES LAERTIUS, *lib.* II. *sect.* LXV. & LXXXVII. XENOPHONTEM librum contra voluptatem, ad refellendam Aristippi sententiam scripsisse, idem DIOGENES auctor est, *l. c.* add. CICERO, de *officiis lib.* III. *cap.* XXXIII. Atheismum itaque, quem vocant, practicum, Cyrenaicis eminentiori quadam ratione recte tribui, nemo inficias iverit. Hinc vero facilis ad theoreticum transitus. SAM. PARKERUS, de Theodoro atque Bione verba faciens, & *utrosque quidem*, inquit, *longe scelestiores fuisse, quam fuisse accusantur, hac sola ratione, etiamsi nullo veteris auctoris testimonio evinci posset, non dubito, quod Aristippi disciplinam secuti fuerint, cum is nihil novi sibique peculiare introduxerit, aut introducere sudaverit, quam philosophiam a pietate disjunctam; de Deo & providentia, dissert.* I. *sect.* VIII. *pag.* 20. (21)

(21) Parkerus *temere nimium scelestiores judicat discipulos* Aristippi, *vel qui ejus Doctrinam sunt secuti, quam fuisse accusantur; ideo tantum, quia* Ari-

Ariſtippi *fuerunt ſequaces. Quis, obſecro!* Ariſtippum *inter Atheos referret, cum neque a Stoicis, aliisque ſectae Cyrenaicae oſoribus, neque ab antiquis Eccleſiae Patribus inter Atheos fuerit numeratus? ad ſummum autem inter Atheos Practicos poſſet cenſeri, ſi vel omnia in malam partem ſint ſumenda, quae de ejus placitis refert* Diog. Laert. *Lib.* 2. *pag.* 54. ſeq.; *& certe non benigne ſentire licet de homine, qui voluptatem bonam eſſe docet,* etiamſi exiſtat ex rebus turpiſſimis.

** Non tantum Deos eſſe negavit Theodorus, ſed & librum ſcripſit, quibus omnia, quae contra urgeri ſolent, refutaret, ex quibus plurima Epicurum deſumſiſſe perhibent. Hoc DIOGENES LAERTIUS nos condocet *libr.* II. *ſect.* XCVII. ubi librum Theodori οὐκ εὐκαταφρόνητον *minime contemnendum* vocat, quia ſcilicet & ipſe ſectae Epicureae addictus fuit. SUIDAS auctor eſt, eum multa ſcripſiſſe, ad ſectam ipſius ſpectantia, voc. Θεόδωρος *pag. m.* 176 edit. KUSTERI. Praeter alios Theodorum hunc inter Atheos & CICERO refert: *quid? Diagoras atheus, qui dictus eſt, poſteaque Theodorus, nonne aperte deorum naturam ſuſtulerunt? libr.* I. *de natura deorum, cap. XIV.* Sane aliter de eo ſentit STRABO (22), *geograph. libr. XIII. pag.* 625. &, qui ex recentioribus eum ſequitur, IS. CASAUBONUS ad *Diogenis loc. cit.* Sed & GERHARDUS JOANNES VOSSIUS Theodorum ob rejectam gentilium deorum multitudinem, inter atheos relatum, haud obſcure innuit, de *origine & progreſſu idololatriae libr. I. cap. I.* quod & MICHAEL MOURGUES facit *dans le Plan theologique du Pythagoriſme tom. I. epiſtol. III. pag.* 96. Nullas autem, quae ab hac ſuſpicione Theodorum liberare queant, a Viris eruditiſſimis allatas rationes video. (23) Patrum quorundam, teſtes veritatis contra polytheiſmum Gentilium undique conquirentium, & ab Atheiſmi ſuſpicione facile abſolventium, quorum teſtimonia ſibi uſui eſſe putabant, effata, hic in cenſum non veniunt. Quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

(22) *In* Strabone *nihil invenire potui, quod* Theodorum *excuſat cum loc. cit. in Edit.* Steph. *vel pag.* 927. *in Edit.* Almelov. *tantum memoret ſectam Theodoraeam, de qua judicium ſuſpendere videtur.*

(23) *An non* Athei *nomen accepit a Sacerdotibus, cum, Graecorum Deos potentes fuiſſe homines, demonſtrare allaboraverit? an quidem ex aliorum ſcriptis judicium ferre licet de* Theodoro, *ejusque dogmatibus, cum nihil ipſe in tabulas retulerit, quod ad nos pervenit? an non* Epicuri *doctrina de Deo, quam ex* Theodoro *hauſit, manifeſto evincit, ipſum ſaltem inter primi ordinis Atheos referri non poſſe, vid.* Diog. Laert. *Lib. II. pag.* 57. *qui tamen ibidem teſtatur,* Theodorum opinio.

niones de Diis omnino ſuſtuliſſe (ἦν δὲ, (*inquit*) ὁ Θεόδωρος παντάπασιν ἀναιρῶν τὰς περὶ Θεῶν δόξας).

*** Etſi Bion praeter Theodorum, de quo jam dictum, alios quoque magiſtros habuerit, Theodoricae tamen ſectae ſe addictum eſſe, tota vitae ratione ſatis ſuperque teſtatus eſt. Legi ea poteſt apud DIOGENEM LAERTIUM, *lib. IV. ſect. XLVI. ſeqq.* In morbum graviſſimum cum incidiſſet, idem illi contigit, quod ſubinde impiis hominibus contingere ſolet, ut ad alterum extremum procurreret, & in anilem ſuperſtitionem prolaberetur; verſibus quibusdam ideo agitatus a DIOGENE LAERTIO, *loc. cit. ſect. XV.* Sed legi quoque atque expendi merentur, quae hac de re habet PETRUS BAELIUS, *diction. hiſtor. crit. voc. Bion. pag.* 602.

* Paſſim & hic inter Atheos refertur. Auctor eſt DIOGENES LAERTIUS, de Phidiae Minerva hanc eum propoſuiſſe quaeſtionem: *Num Minerva Jovis filia Deus eſt?* cumque ille, qui interrogabatur, annuiſſet, dixiſſe: *at iſta non Jovis, ſed Phidiae eſt.* Concedente illo, *non ergo,* inquit, *ipſa Deus.* Qua ex re cum in Areopagum pertractus fuiſſet, nihil inficiatum ferunt, immo recte ſe locutum aſſeruiſſe; *non enim Deum eſſe, ſed Deam; Deos quippe mares eſſe.* Areopagitas tamen nihilo placatiores factos, juſſiſſe eum urbe excedere, *libr. II. ſect. CXVI.* Ex quibus licet ſophiſticum Stilponis ingenium facile agnoſcas, atheismi tamen nondum convinci poteſt, cum nihil aliud inde ſequatur, quam quod Gentilium, ſtatuas ab hominibus factas pro diis colentium, ſtultitiam irriſerit. Majoris momenti eſſe videtur, quod idem DIOGENES, *loc. cit.* refert, a Cratete eum interrogatum: *an dii precationibus ac divinis honoribus gaudeant?* reſpondiſſe: *noli me, fatue, in via de hiſce rogare, ſed ſolum ac ſeorſum.* Licet vero inde ſatis conſtet, Stilponem palam ſuam de diis ſententiam prodere noluiſſe; poteſt tamen & hoc de ſuperſtitione Gentilium intelligi: quam rejicere non minus periculoſum erat, quam veri Numinis exiſtentiam in dubium vocare. AEGIDIUS MENAGIUS tamen hinc infert: *Fuit Stilpon parcus deorum cultor, & infrequens; immo* ἄθεος; quem in finem & ad ATHENAEI quandam narrationem de Stilpone provocat, quae extat *libr. X. cap. V.* de qua tamen, ut & reliquis, quae de hocce Philoſopho moneri poterant, vid. PETRUS BAELIUS, *dictionar. hiſtor. crit. voc. Stilpon. pag.* 2794. *ſeqq.* (24)

(24) *In omnibus, quae protulit Cl. Auctor, Deorum Gentilium, ſtatuarum, & cultus ſuperſtitioſi irriſorem, non Atheum video; ita ut* Menagius *a temeritate abſolvi non poſſit, quando eum* ſine ambagibus *Atheum appellat, in Obſerv.* ad Diog. Laert. *pag.* 77. *nec narratio* Athenaei,

ad quam provocat Menagius, *rem conficit, cum manifestissime sit fabulosa. vid.* Bayle *l. c. lit. E, qui observat, hanc ipsam historiolam ab* Athenaeo *esse propositam, ut temperantiam* Stilponis *demonstraret.*

§. XVIII.

Praeter Aristippum, aliosque, & ANTISTENES ex Socratis disciplina prodiit, a quo *Cynici*, ut ab his *Stoici* originem ducunt. * Inter Cynicos DIOGENES ille Sinopensis eminet, *qui*, ut omnem operam navavit, ne aliquid pudoris retinuisse videretur, ita a summa haud procul absuisse impietate, conjecturae haud adeo incertae indicant. ** Ad STOICOS autem quod attinet, licet splendida passim & magnifica eorum de Deo, ejusque providentia, virtutibus sectandis, vitiisque fugiendis extent effata; *** ipsum tamen philosophiae, quam professi sunt, systema, si paulo accuratius consideres, ad Spinozismum proxime illud accedere, deprehendes. Interim fuisse inter eos viros honestatis & externae virtutis studiosos, non negaverim.

* Zeno namque Citticus, Cratetis Thebani, philosophi Cynici, discipulus fuit, quamvis idem Academicos quoque, Xenocratem, Polemonem, aliosque, audiverit. vid. DIOGENES LAERTIUS, *Lib. VIII. sect. I.*

** Inter rationes, quibus Cynicus hicce philosophus in atheismi suspicionem adducitur, eminet illud, quod de eo memoriae prodidit CICERO: *Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpagum, qui temporibus illis praedo felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret;* & iterum: *Improborum igitur prosperitates secundaeque res redarguunt, ut Diogenes dicebat, vim omnem deorum ac potestatem; de natura deor. lib. III. cap. XXVII.* At inde id quidem sequitur, Divini Numinis providam curam Diogenem non credidisse, quippe quam hac ratione ludibrio exponere voluit, Atheum stricte sic dictum inde conficere nondum licet, etsi conjecturam haud levem praebeat. Alias rationes, quibus idem probari queat, adfert PETRUS BAELIUS, qui, licet simul ostendat, quid ad eas pro liberando ab hac suspicione Diogene responderi possit, eum tamen absolvere non audet, sed rem

in medio relinquit, *dictionar. histor. critic. voc. Diogenes, pag.* 1053. (25) Eum sub ἀδελφοθεΐας praetextu non decori modo, sed honestatis limites proterve migrasse, certum, adeoque exiguum Numinis sensum in animo habuisse, necesse est.

(25) *Dicere non licet*, conjecturas haud adeo incertas *indicare* Diogenem *non procul abfuisse a summa impietate, cum ipse Cl.* Buddeus *fateatur*, Atheum stricte dictum inde conficere non licere, etsi conjecturam haud levem praebeat; *si per* Atheum stricte dictum *intelligat primi ordinis Atheum, conjectura satis est levis; si vero Atheum secundi ordinis designet, facile Auctori accedo. Fatendum tamen, ea, quae protulit* Bailius *l. c. Lit. N. ad excusandum* Diogenem, *rem conficere non posse, & magnam partem sic satis esse frigida.*

*** Haec magno numero apud SENECAM, EPICTETUM, M. AURELIUM ANTONINUM, deprehenduntur, sed ita comparata sunt, ut aut documento sint, posse quandoque ex falsis principiis veram deduci conclusionem, aut ostendant, Stoicos non semper principiis suis consentanea docuisse, quod & aliis Philosophis quandoque contigit; conf. PETRUS BAELIUS, *diction. hist. & critic. voc. Spinoza, pag.* 2768. *col.* 1. *circa fin.*

* Non tantum enim Deum supremum pro anima mundi habebant, sed indissolubili vinculo cum materia conjungebant. Cumque Aristoteles Deum tantum pro forma mundi *assistente* haberet, Stoici omnino eum formam mundi *informantem* esse statuebant, ut luculenter evicit B. JACOBUS THOMASIUS, de *exust. mundi Stoica, dissert. XIV.* cui titulus: *Stoicus Deus forma mundi informans, pag.* 177. *seqq.* add. *dissert.* de *Spinozismo ante Spinozam*, §. XVIII. Quo ipso profecto propius adhuc ad Spinozismum accedunt, quam Aristoteles. Luculentissime etiam hoc ex illorum de summo bono doctrina patet. Cum enim Zeno Citticus finem bonumque ultimum dixisset ὁμολογουμένως ζῆν, *convenienter vivere*, quod de virtute, utpote quae sibi semper constat, capit SENECA, *ep.* LXXIV. Cleanthes vocem *naturae* addidit, asseruitque, ultimum finem esse, ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν vel συμφώνως τῇ φύσει ζῆν, *convenienter vel conformiter naturae vivere.* Quodsi quaeras, quid *naturae* voce sibi velint Stoici? respondebit SENECA: *Quid aliud est natura, quam Deus, & divina ratio toti mundo & partibus ejus inserta? libr. IV. de benefic. cap. VII.* Et alibi idem SENECA: *vis Deum naturam vocare, non peccabis: est enim, ex quo nata sunt omnia, lib. II. quaest. natural. cap.* XLV. Deus ergo & natura Stoicis unum idemque. (26) Unde & patet, quo pacto intelligendum sit, quando docebant, summum bonum in eo positum esse, ut *Deum sequamur*, item *sapientem virum cum diis vivere;* & quae reliqua erant ejusdem commatis. Eo nimirum cuncta redibant,

fati

fati legibus, quibus tota natura regeretur, obediendum esse. Quod simul documento esse potest, quam impia dogmata haud raro sub splendidissimis effatis tegantur. Non itaque quenquam etiam eorum de providentia dicta morabuntur. Praeterquam enim, quod antea jam observatum sit, Philosophos non semper, quae principiis suis consentanea sunt, docere, cuncta tandem in fatum aliquod resolvuntur, quo nomine ut ipsimet, quid sibi voluerint, non satis intellexerunt, ita *fati Stoici malignitatem* satis demonstravit B. JACOBUS THOMASIUS, de *exust. mundi Stoica dissertat.* XIII. *pag.* 166. *seqq.*

(26) *Nondum video, ex solius* Senecae *locis concludi posse, Deum & Naturam Stoicis unum idemque fuisse; cum posterior locus explicet priorem; sano sensu dicere licet* ex Deo nata esse omnia. *Verum deceptricibus locutionibus usos fuisse Stoicos, in confesso est penes eruditos, idque pluribus monstravit* Bruckerus *l. c. pag.* 920-938. *conf.* Reimannus *in Hist. Ath. pag.* 190. seqq. & Cudworth *Syst. Intell. p.* 502. seqq. *ibidemque* Moshemius, *praesertim ad pag.* 507. *addatur ipse Cl. Auctor* de erroribus Stoicorum *in* Analectis Hist. Phil. *praesertim pag.* 171. seqq. *Id unum observasse sufficiat, de Placitis Stoicorum judicium ferendum non esse, ex hoc vel illo loco seorsim considerato, sed ex toto complexu Dogmatum; caeteroquin plurima in Stoicorum scriptis reperirentur laudabilia, imo cum Christianorum doctrina amice satis consentientia.*

** Plerosque Stoicorum maximos in vita fuisse hypocritas, constat, idque vel HORATIUS omnes condocere potest, tum alibi, tum maxime *libr. II. sat. III.* conf. FRIDERICUS RAPPOLTUS, *commentar.* ad *libr. II. sermon. cap. IX. pag.* 310. *seqq.* Fuisse tamen & inter eos viros honestos, & externae virtutis studiosos, exemplum SENECAE, EPICTETI, M. AURELII ANTONINI, & aliorum quorundam nos dubitare non sinit. Etsi enim isti secundum sectae suae principia de Deo non poterant non perversissime sentire, externam tamen virtutem sectati sunt, sive animi tranquillitatem inde sperarent, sive quod alias ob rationes id sibi expedire crederent.

§. XIX.

Jam, si ad Eleaticam sectam accedamus, huic Atheismus velut proprius fuisse videtur. * Immo cum Spinozae deliriis prorsus illorum convenerunt dogmata. XENOPHANES namque Colophonius, unum omnia esse, docuit. ** Nec alia ratione

PARMENIDES, *** MELISSUS, * atque ZENO Eleatès, ** ut omnem motum, omnesque adeo generationes atque corruptiones negarent, inducti videntur, quam quod unicam tantum crederent ſubſtantiam. LEUCIPPUS *** atque DEMOCRITUS, * ex fortuito atomorum concurſu mundum conſtruentes, Dei in eo producendo & conſervando, operam ſibi minus neceſſariam videri, teſtabantur. Hunc equidem, ſed ad mortem ſaltem, ut videtur, declinandam, in ſyſtema ſuum introduxit EPICURUS, at talem, qui nulla rerum humanarum cura tangeretur. ** Ne quid nunc de DIAGORA, *** PROTAGORA, * hujusque diſcipulo, PRODICO CEO, ** atque ALEXANDRO Epicuraeo *** dicamus, quibus Atheismum non ſine ratione, ut arbitror, objectum fuiſſe, conſtat.

* Nomen habet Eleatica ſecta a Lucaniae urbe, quae Romanis *Velia*, Graecis autem Ἐλέα dicebatur, Parmenides namque & Zeno, quibus haud exiguum haec ſecta incrementum debet, Eleatae fuerunt. Sunt, qui putant, Eleaticam ſectam a Pythagora originem ducere, cujus tamen veſtigia in doctrina de Deo Leucippus, Democritus, aliique, minime ſecuti ſint, immo quae ab illo recte tradita ſint, in Atheismi patrocinium arripuerint. Ita SAM. PARKERUS, qui de Italicae ſucceſſionis Philoſophis, quorſum Eleaticos refert, verba faciens, multo magis perſpicuam eorum cauſam eſſe, pronunciat, *cum plane quidem conſtet, Leucippum & Democritum, qui a Pythagora, aliisque ſuae ſectae antiquioribus genuinam philoſophandi rationem acceperunt, ea non magis improbe, quam indocte in Atheismi patrocinium uſos fuiſſe; de Deo & provident. Divina diſput. I. ſect. X. pag.* 24. Ad Pythagoram equidem quod attinet, eum inter illos quoque, quibus Atheismus objectus fuit, referendum, vel ex THEOPHILO Antiocheno conſtat, cujus *libr. III. ad Autolycum pag. m.* 120. haec de eo extant verba: Πυθαγόρας δὲ τοσαῦτα μοχθήσας περὶ θεῶν, καὶ τὴν ἄνω κάτω πορείαν ποιησάμενος, ἔσχατον ὁρίζει φύσιν καὶ αὐτοματισμὸν εἶναι, φησί τε τῶν πάντων θεὺς ἀνθρώπων μηδὲν φροντίζειν. Quae verba ita vulgo vertuntur: *Pythagoras magno labore ſumma imaque perſcrutatus, extremum Naturam Deum eſſe autumat, adſtruitque, omnia fortuito fieri, & Deum mortalium nullam curam gerere, &c.* Sed ita potius reddenda, recte obſervavit THOMAS REINESIUS: *Pythagoras, poſtquam adeo de diis laboraſſet, & huc illuc* (apud varias Gentes peregrinatus) *diſcurriſſet, ultimum* (tandem) *determinat, eum Naturam eſſe, fierique omnia fortuito, dicit*

dicit etiam, deos hominum nullam habere curam. Ad rem ipſam vero quod attinet, Pythagoram ab ea, quam THEOPHILUS illi tribuit, ſententia, longiſſime abfuiſſe, idem, quem jam laudavimus, REINESIUS, docet: *de Deo enim,* inquit, *eum longe alia ſenſiſſe, vel ſexcenti teſtes ſunt: nimirum in ejus ſchola Deum eſſe effectorem mundi, non negandum eſt; cum enim Deum adpellavit* ψύχωσιν, *quid aliud, quam auctorem vitae, motuum, caloris, lucis faciebat? idemque dogma non ſolum notarum obſcuritate obduxit alias, ſed etiam diuturno ſilentio involvi curavit; ne profanis temeritatibus contaminaretur, ſi proſtaret publica rei omnium abſconditiſſimae notitia. Providentiam etiam Divinam, quae ſpem omnem potentiamque hominum ſuperet, habito coram Phalaride cum Abaride colloquio, adſtruxit, Jamblichus lib. I. de vita Pythag. cap. XXXIII. &c. variar. lection. lib. III. cap. VI. pag.* 445. Dubium tamen alicui movere poteſt, quod CICERO de eo perhibet: *Pythagoras, qui cenſuit* (Deum) *animum eſſe per naturam rerum intentum & commeantem, ex quo noſtri animi caperentur, non vidit, diſtinctione animorum humanorum diſcerpi & dilacerari Deum, &c. de natura deor. libr. I. pag.* 9. Quod ejusmodi profecto eſt, ut, ſi haec mens ejus & ſententia fuit, ab omni errore, etiam tali, qui ad Spinozismum ducit, non prorſus abſolvi queat: nec tamen cum Spinozismo ideo prorſus convenit, cum Deum a materia diſtinguat. Idque & inde porro liquet, quod Naturam in duo principia diviſit, *cauſam effectricem,* quae eſt mens ſeu Deus, & *materialem,* ſeu paſſionibus ſubjectam, quae eſt mundus viſibilis; apud PLUTARCHUM, de *placitis philoſophorum libr. I. cap. III.* add SAMUEL PARKERUS, *loc. cit. pag.* 24. (27) Alii contra in contrarium currentes, ſuperſtitionis, ſpeciatim magiae Pythagoram accuſant; a qua tamen criminatione eum liberare annititur GABRIEL NAUDAEUS, *apologie pour les grands hommes, ſoupçonnés de magie, cap. X. p. m.* 136. *ſeqq.* An autem, & quousque, Magia cum Atheismo conſiſtere queat, ex infra dicendis patebit.

(27) *De Theologia* Pythagorae *videndus omnino laudatus ſaepius, ſaepiusque laudandus* Bruckerus *l. c. p.* 1074-1081. *qui recte demonſtrat, eum quidem temere inter Atheos referri, ſed facilem eſſe ab ipſius Doctrina de Deo & de origine mundi tranſitum ad Spinoſismum.*

** Teſtis hujus rei eſt CICERO, qui, cum Anaxagorae adduxiſſet ſententiam, de Xenophane addit: *Xenophanes paulo etiam antiquior, unum eſſe omnia, neque id eſſe mutabile, & id eſſe Deum, neque natum usquam & ſempiternum conglobata figura; quaeſtion. academ. libr. II. pag.* 1044. Alibi equidem idem CICERO ſententiam Xenophanis ita exprimit, ut mentem ab infinito, hoc eſt, Deum ab hoc univerſo, ſecernere videatur, *de natura deorum, libr. I. pag.* 44. Sed ibi eum parum accurate locu-

locutum, oſtendit PETRUS BAELIUS, *dictionar. hiſtor. critic. voc. Xenophanes, pag.* 3034. ubi & ARISTOTELIS de Xenophane teſtimonia adfert, & ſub examen revocat. Addantur, quae dixi in *diſſertat.* de *Spinozismo ante Spinozam* §. *VII.* Nec abludunt, quae de Xenophane refert DIOGENES LAERTIUS, de Deo eum ita exiſtimaſſe: *Dei ſubſtantiam globoſam eſſe, nihilque cum hominibus habere commune. Totum cernere, totumque audire, non tamen reſpirare.* Συμπαντά τε εἶναι, *ſimulque omnia, mentem, prudentiam, aeternitatem; lib. IX. ſect. XIX. pag.* 558. Quae verba ut eo rectius intelligantur, conferenda, quae ad *h. l.* notavit THOMAS ALDOBRANDINUS. Idem, quem jam laudavimus, PETRUS BAELIUS ex DIOGENE LAERTIO, *loc. cit.* & EUSEBIO *praeparat. euangel. lib. XIV. cap. XIV.* docet, totam ſectam Eleaticam, unitatem rerum omnium, atque earum immobilitatem ſtatuiſſe; quorum prius Atheismi, poſterius Scepticismi primum fuit principium. (28) Plenius idem nexum totius ſyſtematis horum Philoſophorum exhibet, *l. c. p.* 1042. add. THOMAS STANLEJUS, *hiſtor. philoſoph. part. X. cap. II. pag.* 874. ubi, quae BAELIUS hac de re dixit, repetuntur.

(28) *Nimius ubique fuit Cl.* Buddeus *in augendo numero Spinoſiſtarum, ante Spinoſam viventium: licet enim* Xenophanes, *Deum ineſſe rebus omnibus, aſſeruiſſe videatur, nequaquam tamen unicam tantum admiſit ſubſtantiam eo ſenſu, quo* Spinoſa; *materiam univerſi unam crediſſe, probabile eſt, cui inhaereat, adſectionis inſtar, vis divina, nec univerſum ex ipſius opinione perſectum foret, niſi haecce vis cum materia coaleſceret, Vid.* Bruckerus *l. c. pag.* 1148. ſeqq. *Et ſic intelligetur, quo ſenſu Dei ſubſtantiam globoſam ſtatuerit: conf. omnino* Fabricius *ad Sext. Empyr. Pyrrhon. Hypotyp. pag.* 59. *ſive Lib. I. ſect.* 225.

*** Parmenides Eleates Xenophanis, teſte CLEMENTE Alexandrino *lib. I. ſtrom. p.* 301. auditor, teſte autem THEODORETO, *lib. II. de curat. Graecar. affection. p.* 159. ſocius ejus, inter praecipuos Eleaticae ſectae Philoſophos locum obtinet. Eum in multis a Xenophane diſceſſiſſe, Veteres tradidere; ſpeciatim DIOGENES LAERTIUS, *lib. IX. ſect. XXI. pag.* 560. In eo tamen, quod caput cauſae erat, eum conſenſiſſe, eodemque adeo jure Atheismi argui, vel ex EUSEBIO patet, *praeparat. euangel. libr. I. cap. VIII.* cujus, quae huc ſpectant, verba recitavi, in *diſſertat.* de *Spinozismo ante Spinozam*, §. *VIII.* add. PETRUS BAELIUS, *voc. Xenophanes, pag.* 3035. & 3042. Teſtis quoque hujus rei ipſe eſt ARISTOTELES, ſecundum quem Parmenides docuit, *omnium rerum unum eſſe principium, & id immutabile quidem. Unum omnia & ens infinitum eſſe, quicquid vero eſt praeter ens, id non ens eſſe, atque nihil. Ens vero unum eſſe, quicquid ergo eſt praeter unum, id eſſe nihil; omnia igitur unum ſunt; phyſ. lib. I. cap. II.* Quem ARISTOTELIS locum etiam

THO-

THOMAS STANLEJUS laudat, *hist. philosoph. part. X. cap. II. pag.* 877. Luculenter vero inde patet, & Parmenidem unam tantum admisisse substantiam.

* Melissus Samius fuit discipulus Parmenidis, & cum Heraclito etiam versatus est. vid. DIOGENES LAERTIUS, *libr. IX. sect. XXIV.* Parmenidem quoque secutus, principium rerum unum & immutabile statuebat, unum scilicet haec omnia esse, & ens infinitum. Idque, ut ARISTOTELES *loc. cit.* auctor est, sequenti ratione evincere annisus est: *Id quod factum est, principium habet; id quod non factum est ergo, neque principium habet. Universum vero, sive hoc quod est, factum non est; principium ergo non habet; immo nec finem. Infinitum ergo est, adeoque & unum; infinita enim plura dari, repugnat; ergo & immutabile erit; omnia enim occupat, neque quippiam est, a quo moveatur.* Nec praetermittendum, quod DIOGENES LAERTIUS, *loc. cit.* de eo refert: ἀλλὰ καὶ περὶ θεῶν ἔλεγε, μὴ δεῖν ἀποφαίνεσθαι, μὴ γὰρ εἶναι γνῶσιν αὐτῶν. *De diis nihil definiendum dicebat, neque enim illorum certam esse cognitionem.*

** Zenonem Eleatem consentanea doctrinae Xenophanis & Parmenidis docuisse, vel ex iis patet, quae ex ARISTOTELE refert THOMAS STANLEJUS, *hist. philos. part. X. cap. III. pag.* 883. Summa eo redit, non multa, sed unum esse, idque unum esse Deum. Non tantum discipulus, sed &, juxta quosdam, filius adoptivus Parmenidis fuit. vid. DIOGENES LAERTIUS, *lib. IX. sect. XXV.* Quemadmodum autem jam antea observavimus, sententiam de una, eaque immobili & immutabili substantia, quae Eleaticis propria fuit, eosdem ad ἀκαταληψίαν, adeoque Scepticismum perduxisse, ita, si SENECAE, *epist. LXXXVIII.* fidem adhibere velimus, Zeno ad summum Scepticismi gradum progressus est, asserendo, in hoc universo nihil esse. Quod tamen cum ingenii acumine, quo Zeno claruisse dicitur, vix conciliaveris; adeoque post JUSTUM LIPSIUM, *manuduct. ad philosoph. Stoic. lib.* II. *dissertat.* IV. non sine ratione in dubium vocatur a PETRO BAELIO, *voc. Zenon. pag.* 3058.

*** Leucippum Zenonis auditorem fuisse, testatur DIOGENES LAERTIUS, *lib.* IX. *sect.* XXX. Atomorum primum eum inventorem esse, idem DIOGENES auctor est: πρῶτός τε ἀτόμους ἀρχὰς ὑπεστήσατο, *primus hic atomos principia subjecit.* Sunt equidem, quibus doctrina de atomis antiquior videtur. Posidonius namque Moschum quendam, hominem Sidonium, qui ante belli Trojani tempora vixerit, ejus inventorem praedicat apud STRABONEM, *lib.* XVI. *pag.* 512. & apud SEXTUM EMPIRICUM, *advers. mathem. pag.* 367. Sed infirmo hanc Posidonii traditionem niti talo, gloriamque inventae bujus hypotheseos Leucippo eripi non posse, osten-

oſtendit THOMAS BURNETIUS, *archaeolog. philoſoph. libr.* I. *cap.* VI. cui & ſuffragatur PETRUS BAELIUS, *voc. Leucippus pag.* 1803. *&* 1804. Quicquid hujus ſit, ob hypotheſin de atomis in ſe ſpectatam non reprehendendus, ſed laudandus potius eſt LEUCIPPUS: quippe quae ſi recte adhibeatur, doctrinae naturali accuratius excolendae mirifice inſervit (29); ſed hoc potius nomine culpandus venit, quod hoc de atomis principio ita uſus ſit, ut omnem cauſam effectricem excluderet, & aeternitatem atomorum aſſerens, & ex fortuito illarum concurſu, ſine moderatore, cuncta producta, contendens, & hac ratione Deum ex hacce mundi machina removens. Et hac quidem ratione CICERO, Democriti, & ante eum Leucippi flagitium fuiſſe, recte dicere potuit: *e corpuſculis effectum eſſe coelum ac terram, nulla cogente natura, ſed concurſu quodam fortuito; libr.* I. *de natura deorum.* Refutare Leucippum aggreſſus eſt LACTANTIUS, *Divin. inſtitut. lib.* III. *cap.* XVII. (30) Sed non in omnibus aeque feliciter, ut oſtendit PETRUS BAELIUS, *loc. cit. pag.* 1804. add. JENKINUS THOMASIUS, in *hiſtoria philoſophica de atheiſmo, cap. V.* §. II. *pag.* 84. *ſeqq.*

(29) *Quid per Atomos intellexerit* Leucippus, *in anteceſſum ſtatuendum, antequam dijudicare licet, an laudandus ſit propter hanc hypotheſin: Atomi ſunt procul dubio particulae materiae minimae & indiviſibiles, omnibus qualitatibus, praeter figuram & motum, privatae. Attamen adſignavit atomis* Democritus, Leucippi *diſcipulus & ſocius, magnitudinem variam & ſoliditatem, ſecundum* Diog. Laert. *Lib.* 9. *pag.* 248. *ſi ſimpliciter particulas haſce minimas, ex minoribus partibus non conſtantes, conſideremus unice in relatione ad corpora, quae per ultimam analyſin ex iis conſtare cenſuit, nihil periculoſi huic doctrinae eſt admixtum; (de ejus veritate autem non diſputo); verum quando etiam animam ex hujusmodi levibus an rotundis conſtare cenſet, ſecundum teſtimonium* Diogenis Laertii *l. c. minime laudandus.*

(30) Lactantius *l. c. & de Ira Dei Cap.* 10. *Hypotheſin Atomicam phyſice conſideravit & refutare ſtuduit; hoc vero non in omnibus aeque feliciter, imo ſatis abſurde peregiſſe* Lactantium, *demonſtrare allaboravit* Bayle; *Theologiam* Leucippi *uterque reliquit intactam, cum tamen verba Auctoris ita poſſent intelligi, acſi etiam geneſin hujus univerſi ſecundum mentem* Leucippi *pertractaſſent.*

* Cum Democritus hypotheſin de atomis eadem ratione, qua Leucippus, aſſumſerit, de Deo quoque eum non ſenſiſſe rectius, inde liquet; conf. DIOGENES LAERTIUS, *lib.* IX. *ſect.* XLIV. Diffitendum tamen non eſt, Veteres in ſententia Democriti de Deo exprimenda, non prorſus inter ſe convenire. CYRILLUS Alexandrinus, cum de Thalete Mileſio adſeruiſſet,

ſcruiſſet, eum Deum pro mente mundi habuiſſe, Democritum Abderitem ei quodammodo aſſentiri, ait, ſed & aliud adjicere: νοῦν μὲν γὰρ εἶναι τὸν θεὸν ἰσχυρίζεται καὶ αὐτὸς πλὴν ἐν πυρὶ σφαιροειδεῖ, καὶ αὐτὸν εἶναι τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν; *contendit enim & ipſe, Deum eſſe mentem, verum ipſam in ſphaera ignea eſſe, videlicet mundi animam; libr.* I. *contra Julian. pag. m.* 28. Quod ex PLUTARCHO deſumſiſſe videtur, de *placitis philoſophorum, libr.* I. *cap.* VII. ubi eandem de Deo ſententiam Democrito tribuit. Aliter adhuc mentem ejus de Deo exprimit VELLEJUS apud CICERONEM: *Quid? Democritus, qui tum imagines, earumque circuitus in deorum numero refert, cum illam naturam, quae imagines fundat, ac mittat, tum ſcientiam intelligentiamque noſtram, nonne in maximo errore verſatur? cumque idem omnino, quia nihil ſemper ſuo ſtatu maneat, neget, quicquam eſſe ſempiternum, nonne Deum ita tollit omnino, ut nullam opinionem ejus reliquam faciat? de natura Deorum libr. I. pag.* 46. Quae ſi Democriti ſententia fuit, inter eos profecto, qui craſſiſſima quadam ratione Atheismum profeſſi ſunt, referri meretur. (31) Natura enim, quam vocavit, ex ipſius ſententia nec una, nec aeterna, nec immutabilis eſt, nec reliquis divinae eſſentiae attributis gaudet. Immo Dei nomen imaginibus, & ideis objectorum, & actui intellectus, quo objecta haec cognoſcimus, tribuit. Quantumvis autem PETRUS BAELIUS hanc Democriti ſententiam ob ſubtilitatem laudet, eamque non niſi a magno ingenio proficiſci poſſe, contendat, immo CICERONI, *haec omnia patria Democriti* (Abdera) *quam Democrito digniora eſſe,* pronuntianti, iraſcatur, ipſe tamen diffiteri tandem nequit, abſona ea eſſe; quemadmodum & revera ſunt; *voc. Democritus, pag.* 1030. Quamcunque autem ex hactenus allatis Democrito ſententiam tribuas, id inde patet, nullam ei fieri injuriam, ſi in Atheorum numerum referatur. Jungenda, quae de Leucippo pariter ac Democrito graviter pronuntiat SAM. PARKERUS, de *Deo & providentia diſput. I. pag.* 26. Referuntur equidem de Democrito etiam talia, quae eum Magiae, adeoque ſuperſtitionis, ſuſpectum reddunt; quod cum Atheismo ejus non videtur conſiſtere poſſe. Sed ſi recte cuncta ponderentur, aut de Magia naturali, ſeu curioſa occultarum rerum inveſtigatione, intelligenda ſunt, aut nullo certo fundamento innituntur; ne dicam ſcripta quaedam, ex quibus ejusmodi quid colligi queat, perperam Democrito tribui; conf. JOANNES ALBERTUS FABRICIUS, *bibliothec. graec. libr.* II. *cap.* XXIII. *pag.* 809. ubi ſcripta, quae Democriti nomen mentiuntur, recenſet; itemque GABRIEL NAUDAEUS, *apolog. pour les grands hommes ſoupçonnez de Magie, cap.* XII. *pag.* 187. *ſeqq.*

(31) *Exiſtimat* Reimmannus *Hiſt. Atheismi S.* 2. *C.* 30. §. 7. *ex hoc loco* Ciceronis *nequaquam poſſe exſculpi, illum craſſiſſima ratione Atheismum fuiſſe profeſſum, niſi adjiciatur id, quod* Sextus Empiricus *de eodem ſcribit*

ſcribit adverſus Phyſicos pag. 552. ſeq., *ubi dicit*, Democritus autem ait, quaedam ſumulacra (εἴδωλα) appropinquare hominibus, & ex iis alia quidem eſſe benefica, alia vero malefica. Hinc etiam optat, ut bona ſibi ſimulacra occurrant. —— Unde ea viſione apprehendentes antiqui Deos eſſe exiſtimarunt; cum praeter haec non ſit alius Deus, qui habeat naturam, in quam non cadat interitus, *Conf.* Fabricius *ad illum locum. Si autem vera memoriae prodidit* Sextus, *ſummopere deformata eſt* Democriti *Theologia a* Cicerone, *vel potius minus turpis eidem conciliata eſt facies; cum ex ſolo* Sexto *ejus Atheiſmus fiat conſpicuus.*

** Providentiam Divinam negaſſe Epicurum, & plurimi Veterum tradidere, & non ſemel ei a Stoicis, licet re ipſa non rectius de Deo ſentientibus, aliiſque, exprobratum fuit. Nec aliter ſentire poterat, qui, deos in intermundiis poſitos vitam beatam agere, exiſtimabat; immo, ut naturae divinae nihil convenientius, quam vitam beatam, ita vitae beatae nihil adverſum magis, quam curis variis, rerumque aliarum adminiſtratione turbari, arbitrabatur. Hinc SENECA ex mente Epicuri: *Itaque non dat Deus beneficia, ſed ſecurus & negligens noſtri, averſus a mundo aliud agit, aut, (quae maxima Epicuro felicitas videtur) nihil agit, nec magis illum beneficia, quam injuriae tangunt; de benefic. lib. IV. cap. IV.* Et *cap. XIX.* ejusdem libri: *Tu denique, Epicure, Deum inermem facis. Omnia illi tela, omnem detraxiſti potentiam, & ne cuiquam metuendus eſſet, projeciſti illum extra mundum. Hunc igitur inſeptum ingenti quodam & inexplicabili muro, diviſumque a contactu & a conſpectu mortalium, non habes, quare verearis, nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia eſt. In medio intervallo hujus & alterius coeli deſertus, ſine animali, ſine homine, ſine re ruinas mundorum, ſupra ſe circaque ſe cadentium evitat, non exaudiens vota, nec noſtri curioſus.* Similia apud CICERONEM, *lib. I. de nat. deorum, pag.* 281. aliosque, paſſim occurrunt. Sed ſuffragatur quoque DIOGENES LAERTIUS, ex mente Epicuri ita pronuntians: οὐ γὰρ συμφωνοῦσι πραγματεῖαι καὶ φροντίδες καὶ ὀργαὶ καὶ χάριτες μακαριότητι, ἀλλ' ἀσθενείᾳ καὶ φόβῳ καὶ προσδεήσει τῶν πλησίον ταῦτα γίνεται. *Neque enim beatitati conveniunt negotia & curae, & irae, & gratiae, ſed ob infirmitatem, ac timorem, & indigentiam proximorum iſta fiunt; libr.* X. *ſect.* LXXVII. Hanc quoque Epicuri mentem fuiſſe, adeo non dubitat PETRUS GASSENDUS, magnus caeteroquin ejus admirator, ut potius eam in illo ceu erroneam refellat, in *notis ad libr. X. Diogenis Laërtii, tom. V. opp. pag.* 128. & *Phyſicae ſect. I. lib. IV. cap. VI. pag.* 319. In aliam nihiloſecius ſententiam abiit JACOBUS RONDELLUS, in *libro de vita & moribus Epicuri*, Amſtelodami, anno MDCXCII edito, negatam ab Epicuro Providentiam abnuens. Statuiſſe equidem eum, deos non curare tempeſtatum ſerenitatisque vices, generationes meteorum & corruptiones, alia-

aliaque phyſices innumera, quippe qui, mundo ſatis virium ac roboris ad ſemet ſuſtentandum ineſſe, crediderit. Non debere tamen eum ideo tantopere vituperari, cum & inter ipſos Chriſtianos effati hujus propugnatores nonnulli inveniantur; nec deſint inter Theologos, qui Providentiam divinam tantum ad res morales & theologicas reſtringant. Verum, haec an omnibus perſuaſurus ſit RONDELLUS, valde dubito. Quod enim Epicurus Providentiam Divinam a rebus humanis etiam removerit, vel inde patet, quod beatitati, ut DIOGENES LAERTIUS docet, nec *curas, nec iram, nec gratiam, convenire*, exiſtimaverit. Ira autem ac gratia Numinis, quo pacto in res inanimatas cadat, profecto non capio. Praeterea Providentiae Divinae negatio cum ſyſtemate Epicuri prorſus conſentit, praeſertim cum primo ejus principio, in animi voluptate, ſeu tranquillitate, ſummum hominis conſiſtere bonum. Haec enim tranquillitas cum nulla alia re magis, quam Numinis metu turbetur, nec homo ethnicus, quod ei opponeret, remedium invenire poterat, nihil aliud ei relictum erat, quam ut Numinis providentiam in dubium vocaret. Impiam hanc ſententiam eſſe, & ad omnem Numinis cultum evertendum comparatam, adeoque ad Atheismum proxime accedere, nemo temere dubitaverit. Nihiloſecius nonnulli nobis multa de pietate Epicuri, & Numinis veneratione, narrant. Qua in re, ut ſibi conſtaret, *propter majeſtatem Dei eximiam, ſingularemque naturam ejus* illud ſe colere, videri volebat; conf. SENECA, *lib. IV. de beneficiis, cap. XIX.* (32) Jungenda, quae hanc in rem collegit PETRUS GASSENDUS, de *vita & moribus Epicuri, lib. IV. cap. III. tom. V. opp. pag.* 201. *ſeqq.* Sane quidem generoſo admodum animo fuiſſe Epicurum oportet, ſi Deum tantum ob naturae praeſtantiam coluit, probe ſciens, eum nulla ſui cura tangi. Qua in re an multi ejus exemplum imitaturi ſint, valde dubito. Multo autem magis dubito, an ſerio & ex animi ſententia hoc egerit. Certe ad poenam evitandam, pietatem deorumque cultum eum prae ſe tuliſſe, diſerte innuit CICERO, de *nat. deor. libr. I. pag.* 123. Eſtque hoc principiis Epicuri longe convenientiſſimum, a quibus tam acuti ingenii virum in vita diſceſſiſſe, non eſt veroſimile. PETRUS BAELIUS ſuſpicionem CICERONIS, ad poenam evitandam Epicurum Numinis cultum prae ſe tuliſſe, non prorſus rejicere audet, aequitati tamen & charitati conveniens eſſe putat, ut de occultis aliorum ſententiis in meliorem pronuntiemus partem, remque omnem Deo cordium ſcrutatori permittamus, *voc. Epicurus, pag.* 1133; quod lubens concedo, modo rationes graviores non obſtent. Quod vero idem addit, nullam eſſe cauſam, cur credere non debeamus, Epicurum ideam de cultu Numinis, qui ſola ejus praeſtantia, inſuper habita Providentia, nitatur, habuiſſe, cum Theologi ὀρθοδοξότατοι eandem quotidie commendent, aſſerentes, colendum amandumque Deum eſſe, etſi nulla ſpes coeli, nullus inferni metus ſit, hoc ſerio & ex animi

ſententia eum dixiſſe, vix credo. Immo, niſi me omnia fallunt, myſticorum quorundam huc collimantes ſententias, exagitare hac ratione voluit. (33) Minus adhuc ab Atheismi ſuſpicione eum liberari poſſe, idem Vir doctus cenſet *loc. cit.* ſi aſſeruiſſet, deos, ut reliqua omnia, ex atomis eſſe compoſitos: hac enim ratione mortales & corruptioni obnoxios, hoc eſt, non deos ſtatuiſſet; ſed cum inter κυρίας ejus δόξας apud CICERONEM referatur, *quod beatum & immortale eſt, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium, de nat. deor. libr. I. pag.* 284. quod DIOGENES LAERTIUS ita effert, Deum eſſe, ζῶον ἄφθαρτον καὶ μακάριον, *animal immortale ac beatum, lib.* X. *ſect.* CXXIII. inde colligit, eum diis immortalitatem tribuiſſe. Quod recte quidem ſe haberet, ſi jam certo conſtaret, eum Deum aut Deos credidiſſe, & non potius ad poenam evitandam talia docuiſſe. Quod ſi revera Deos immortales, & ex atomis non compoſitos credidit, in eo ſane a ſententia Democriti diſceſſit: a quo & in eo diſſenſit, quod atomos anima deſtitutas ſtatuit; cum Democritus contra anima praeditas admittat, qua quidem ratione hic facilius variis, quae illi objici poterant, dubiis ſatisfacere potuit; ſimul tamen negandum non eſt, ſyſtema Democriti Atheismo defendendo hac ratione longe eſſe accommodatius, quam ſyſtema Epicuri. Legenda, quae hanc in rem diſſerit PETRUS BAELIUS, *loc. cit. pag.* 1132. *lit. E.*

(32) *Vel turpiſſimus fuit hypocrita* Epicurus, *vel eousque ſaltem ab Atheismi crimine eſt abſolvendus, ut inter eos, qui primi ordinis ſunt, non referatur; cum libros conſcripſerit de pietate adverſus Deos, ita editos,* quaſi Sacerdos ſcripſiſſet, *referente* Cicerone *de Nat. Deorum L.* 1. *Cap.* 41. *Quin imo! ex ipſis illis, quae* Cicero *contra* Epicurum *diſputavit (aſt quis inter Veteres infenſus magis* Epicuri *fuit adverſarius?) liquere poteſt, illum ore ſaltem & corporis habitu Deos coluiſſe, & pietatem commendaſſe aliis. Nec benigne ſenſit de hocce Philoſopho* Seneca, *qui tamen* de Benef. *L.* 4. *C.* 19. *agnoſcere videtur,* Epicurum *Deos coluiſſe inſtar parentum, grato, ſcilicet, animo. Verum* gratus animus *fons iſtius cultus eſſe non poterat, ſi Dii nec res hominum curarent, nec in totum Univerſum exercerent regimen; adeoque beneficia non conferrent in ſuos cultores: Manifeſta nimium ſunt verba* Laertii Diogenis *loco ab Auctore citato, quam ut defendi poſſit contra illos, qui eum Providentiam omnem negaſſe contenderunt.*

(33) *Ulterius progreſſus fuit Cl.* Geulinx *paſſim in ſua Ethica, praeſertim Tract.* 1. *ſect.* 2. §. 1. ſeq. *qui, intuitu propriae ſalutis & Divinae remunerationis ſpe Deum colere, non licere, ſtatuit; imo* §. 11. *adjicit,* illud volui dicere, non aucupandam, non ſtudio venandam eſſe felicitatem; *cum antea in eadem* §. *ſcripſerat:* non alia de cauſa infelices

felices omnes ſunt & miſeri, quam quod felices omnes & beati eſſe volunt: umbra eſt felicitas, fugit te, cum ſequeris eam; —— nemo unquam felicitatem adſecutus eſt, qui ad illam aſſequendam aliquid fecit. *Licet autem* Ruardus Andala *in Examine Ethicae Cl.* Geulingii *Diſſ. II. propter hanc doctrinam nimis acriter in Virum Celeb. invehatur, acſi in* Spinoſae *caſtris militaret, certiſſimum tamen eſt, obedientiam Divinis praeceptis praeſtitam, cultumque Numinis ſincerum a vera felicitate ſeparari non poſſe; quod expoſuiſſe ſuſius hujus non eſt loci.*

*** Diagoram hic commemoramus, quod Democriti ſervus & diſcipulus fuiſſe feratur. Hic enim ex numero ſervorum, qui venum exponebantur, eum mille drachmarum pretio redemiſſe, & non tantum pro ſervo uſum, ſed & inter diſcipulos recepiſſe, dicitur; vid. SUIDAS & HESYCHIUS ILLUSTRIUS voc. Διάγορας. Patria fuit Melius, & Atheismi magno Veterum conſenſu accuſatur, adeo ut cognomine *Atheus* dicatur, ut apud CICERONEM, de *natura deor. libr. I. & III.* DIODORUM SICULUM, *libr. XIII. cap. VI.* LACTANTIUM, de *ira Dei, cap. IX.* aliosque, videre licet. Nimirum, cum alii, qui in eadem erant ſententia, per ambages incederent, hic tanta impudentia fuit, ut aperte ſine ulla diſſimulatione, Deum eſſe, negaret. Idque CICERO nos condocet; cautiorem hac in re Protagoram fuiſſe, perhibens; *in hac quaeſtione plerique, quod maxime veriſimile eſt, & quo omnes duce natura vehimur, deos eſſe dixerunt: dubitare ſe, Protagoras, nullos eſſe omnino, Diagoras Melius, & Theodorus Cyrenaicus putaverunt, de nat. deor. libr. I. circa init.* Athenis itaque, ut ſupplicium effugeret, diſcedere coactus fuit *Olymp.* XCI. Athenienſibus nihiloſecius certam pecuniae ſummam in caput ejus conſtituentibus, ſi quis eum aut interficeret, aut vivum traderet. CLEMENS Alexandrinus eum ideo ſaltem inter Atheos relatum putat, quod Gentilium ſuperſtitionem damnaverit, *adm. ad gentes, pag.* 15. quem hac in re etiam ſequitur M. ANTONIUS MURETUS, *variar. lection. lib.* X. *cap.* XVII. & THEOPHILUS RAYNAUDUS, *tom.* XIII. *opp. pag.* 411. Sed, quae eum Atheismi damnant, Veterum teſtimonia, nimis luculenta ſunt. Patet hinc, eccleſiae Patres, Gentilium ſuperſtitionem impugnantes, faciliores ſaepius, quam decebat, in excuſandis Philoſophis, qui Atheismi ſuſpecti erant, fuiſſe, ſaltem ut inter ipſos Ethnicos, veritatis teſtes & confeſſores contra Ethnicos invenirent. Quae res dici non poteſt, quantum veritati damnum adferat. Quae de occaſione, qua inductus Diagoras ad ſummam hancce impietatem proceſſit, commemorantur, fere demonſtrant, hominem non ſatis compotem mentis fuiſſe. Legi merentur, quae hac de re obſervat PETRUS BAELIUS, *voc. Diagoras, pag.* 1039. ubi & reliqua, de hocce auctore ſcitu digna, perſequitur, de quo & in compendio differit JOANNES

ALBERTUS FABRICUS, *biblioth. graec. libr.* II. *cap.* XXIII. §. XVI. *pag.* 817. add. & MICHAEL MOURGUES, dans *le Plan theologique du Pythagorisme tom.* I. *epist.* III. *artic. I. pag.* 93. *seqq.* (34)

(34) *Loca Veterum, qui* Diagoram *Atheismi accusarunt, dedit* Reimmannus *Hist. Ath. pag.* 213. seq., *ubi etiam, sed sine praegnanti ratione, periculosam censet observationem* Buddei *circa morem Ecclesiae antiquae Patribus consuetum. conf.* Bruckerus *l. c. pag.* 1204. seqq. *Ad summam illam impietatem, ut, si non Deitatis existentiam, saltem providentiam negaret, devenisse perhibetur a* Diog. Laertio *Lib.* 9. *pag. m.* 561. seq. *quia injuria adfectus ab aliquo, qui pejeraverat, & propterea nihil passus fuerat, eo deductus est, ut diceret, non esse Deum: paullo aliter id narratur ab aliis, quos vide apud* Bailium *l. c. Lit. D. &* Fabricium *in notis ad* Sextum *l. c. Absurdissimam fuisse* Diagorae *conclusionem, facile concedent omnes; cum Deo sapientissimae possint esse rationes, quae poenam perjuri differre suadent: verum an propterea inter eos referendus, qui mentis non satis sunt compotes? non puto; sic enim* Ovidius *quoque illis foret annumerandus* Amor. Lib. 3. Eleg. 9. vs. 35. *ubi deflet Obitum* Tibulli

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor, nullos esse putare Deos.

vid. etiam L. 3. El. 3. *vs.* 1. seq.

* Protagoras Abderites, e bajulo Democriti auditor & philosophus extitit. Quod qua ratione factum sit, exponit AUL. GELLIUS, *noct. Atticar. lib. V. cap. III.* Cum librum de diis componeret, his eum verbis exorsus est: περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, εἴθ' ὡς εἰσὶν, εἴθ' ὡς οὐκ εἰσίν; πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τε ἀδηλότης, καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου· *De diis quidem statuere nequeo, neque an sint, nec ne? Sunt enim plurima, quae id scire prohibeant, quippe & summa rei incertitudo, & brevis hominis vita.* Ita DIOGENES LAERTIUS, *libr.* IX. *sect.* LI. qui & addit, ob hocce operis principium eum ab Atheniensibus pulsum, librosque ejus in foro crematos, sub praeconis voce a singulis, qui illos habebant, investigatos. Confirmat idem CICERO: *Quid? Diagoras atheus qui dictus est, posteaque Theodorus, nonne aperte deorum naturam sustulerunt? Nam Abderites quidem Protagoras, cujus a te modo mentio facta est, Sophistes illis temporibus vel maximus, cum in principio libri sui sic posuisset:* De diis, neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere, *Atheniensium jussu urbe atque agro est exterminatus, librique ejus in concione combusti; de natura deorum, libr. I.* Sed & SEXTUS EMPIRICUS, *adversus mathematicos pag.* 319. aliique, idem testantur, quorum hac de re loca adfert

AEGI-

AEGIDIUS MENAGIUS, ad *Diogenis loc. cit. p. m.* 420. Ex Perſica diſciplina Protagoram hanc impietatem accepiſſe, auctor eſt PHILOSTRATUS, de *vitis Sophiſtarum lib. I. pag. m.* 494. Eſt vero obſervandum, quod dubitando ſententiam ſuam propoſuerit, nec aperte deos negaverit, ſed non ſatis id ſibi perſpectum eſſe profeſſus ſit; qua in re cautior, aut, ſi mavis, callidior, non autem melior fuit Diagora, ut jam antea ex TULLIO docuimus. (35)

(35) Protagorae *dogmata, non ex recentioribus, ſed ex vetuſtis Scriptoribus dijudicanda, ubique Scepticiſmum redolere videntur, cum dubitanter ſuam doctrinam de Deo propoſuerit, quemadmodum ex* Sexti & Ciceronis *allatis locis conſtat: verba autem Ciceronis ex ipſius* Protagorae *libro hauſta:* de Diis, neque ut ſint, neque ut non ſint, habeo dicere, *ex mente* Reimmanni *Hiſt. Atheismi pag.* 130. *legenda ſunt* non habeo dicere: *quoniam ſcilicet ſic melius conveniunt cum illis* Sexti Empirici *pag.* 564. *in edit.* Fabricii: περὶ Θεῶν, ὅτι εἰ εἰσὶν, οὔθ' ὁποῖοί τινές εἰσι, δύναμαι λέγειν. De Diis autem, neque an ſint, neque quales ſint, poſſum dicere, *conf.* Fabricius *in notis; & ſic manifeſtius conſpirant* cum *narratione* Diogenis Laërtii *Lib.* 9. *pag. m.* 250. Περὶ μὲν Θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὔθ' ὡς εἰσὶν, οὔθ' ὡς οὐκ εἰσίν. *Verum exactiſſime idem dicit* Cicero, *atque ejus verba idem ſignificant, acſi ſcripſiſſet:* De Diis autem, ſive an ſint, ſive an non ſint, non habeo dicere.

** Praeter SEXTUM EMPIRICUM, *libr.* VIII. *contra Mathematicos, pag.* 318. *ſeqq.* eum inter Atheos refert CICERO: *Quid? ii, qui dixerunt, totam de diis immortalibus opinionem fictam eſſe ab hominibus ſapientibus reipublicae cauſa, ut, quos ratio non poſſet, eos ad officium religio duceret, nonne omnem religionem funditus ſuſtulerunt? Quid Prodicus Chius, qui ea, quae prodeſſent hominum vitae, deorum in numero habita eſſe dixit, quam tandem religionem reliquit? de natura deor. lib. I. circa finem.* Sola itaque utilitate religionem omnem niti, innuere videtur; quod profecto perinde eſt, ac religionem omnem tollere. Ab Athenienſibus cicutam bibere juſſus eſt, ut, qui juventutum corrumperet, teſte SUIDA. Reliqua de eo ſuppeditabit PETRUS BAELIUS, *voc. Prodicus, pag.* 2515. add. JOAN. ALBERTUS FABRICIUS, *biblioth. graec. libr.* II *cap.* XXIII. §. XLI. *pag.* 838. *ſeqq.* item MICHAEL MORGUES, dans *le Plan theologique du Pythagoriſme, epiſt.* III. *art.* I. *pag.* 93. *ſeqq.*

*** Alexander hicce Epicuraeus is eſt, cujus PLUTARCHUS meminit, *libr.* II. *ſympoſ. quaeſt.* III. qui & eum *elegantem & valde litteratum* fuiſſe, dicit. Ex eodem auctore conſtat, Alexandrum huncce quaeſtionem de gallina & ovo propoſuiſſe, utrum prius extiterit, quod ad aeternitatem mundi aut mundorum ſibi invicem ſuccedentium continuam

ſeriem,

ſeriem, pertinet; conf. & PETRUS GASSENDUS, de *vita & moribus Epicuri libr.* II. *cap.* VI. *tom.* V. *opp. pag.* 190. Ab hocce Alexandro cum Davidem de Dinanto, de quo in ſequentibus dicemus, Atheismum ſuum accepiſſe, nonnulli exiſtimarent, hinc illum docuiſſe, aſſeruerunt, Deum & materiam eſſe unum idemque. Ita de eo pronuntiat ALBERTUS MAGNUS: *Fuit Alexander Epicuraeus quidam philoſophus, qui Deum dixit eſſe materiam, vel non eſſe extra ipſam, & omnia eſſentialiter eſſe Deum, & formae eſſe accidentia imaginata, & non habere veram entitatem, & ideo dixit, omnia idem eſſe; & hunc Deum vocavit aliquando Jovem, aliquando autem Palladem, & aliquando Apollinem, & formas eſſe peplum Palladis, & veſtem Jovis, & neminem ſapientem dixit ad plenum poſſe revelare, occulta ſub peplo Palladis, & ſub veſte Jovis, libr.* I. *phyſ. tract.* III. *cap.* XIII. Verum hanc perperam Alexandro tribui ſententiam, etſi ceteroquin ab Atheismi ſuſpicione ſecundum ſyſtema Epicuri non ſit liberandus, accurate oſtendit JACOBUS THOMASIUS, de *exuſt. mundi Stoica, diſſertat.* XIV. § CV. *ſeqq. pag.* 201. *ſeqq.*

§. XX.

Ut reliquos, quorum non adeo magna eſt celebritas, qui itidem ob Atheismum male audiunt, mittam, * inter Philoſophos veteres HERACLITUS, ** inter Medicos autem HIPPOCRATES *** adhuc nobis commemorandus eſt. Utrique enim Atheismus objectus fuit; non equidem ſine ſpecie, at ſine ſufficienti, ut videtur, ratione. Nec enim deſunt, quae pro illorum innocentia aſſerenda in medium adferri poſſunt. Idem de EUHEMERO cenſendum, qui non aliam ob cauſam, quam quod idololatriam & ſuperſtitionem Graecorum rejeciſſet, in Atheorum numerum relatus videtur. *

* Junctim quosdam Graecorum Philoſophos, quibus Atheismus objectus fuit, complectitur AELIANUS, dum in eo eſt, ut doceat: ὅτι μηδεὶς τῶν βαρβάρων ἄθεος, *quod nemo barbarorum impius* ſit; *lib.* II. *hiſtor. variae, cap.* XXXI. καὶ τίς. inquit, οὐκ ἂν ἐπήνεσε τὴν τῶν βαρβάρων σοφίαν; εἴγε μηδεὶς αὐτῶν ἐς ἀθεότητα ἐξέπεσε, μηδὲ ἀμφιβάλλουσι περὶ θεῶν, ἆρά γε εἰσιν, ἢ οὐκ εἰσί· καὶ ἆρά γε ἡμῶν φροντίζουσιν, ἢ οὔ· οὐδεὶς γοῦν ἔννοιαν ἔλαβε τοιαύτην, οἵαν ὁ Εὐήμερος ὁ Μεσσήνιος, ἢ Διογένης ὁ Φρὺξ ἢ Ἵππων, ἢ Διαγόρας, ἢ Σωσίας, ἢ Ἐπίκουρος, οὔτε Ἰνδὸς, οὔτε Κελτὸς, οὔτε Αἰγύπτιος· *Et quis non barbarorum ſapientiam laudibus extollat? ſi quidem nemo eorum ad atheismum prolapſus eſt, neque in dubium*

bium vocant, ſintne dii, an non ſint, & curentne res noſtras, an non? Nemo igitur, neque Indus, neque Celtus, neque Aegyptius, talem cogitationem in animum induxit, qualem vel Euemerus Meſſenius, vel Diogenes Phryx, vel Hippon, vel Diagoras, vel Soſias, vel denique Epicurus. Quo jure AELIANUS hic aſſerat, nullos inter barbaros extitiſſe Atheos, non inquiram. Id tamen certum puto, Atheismum frequentiorem ſaltem inter Graecos fuiſſe, quam reliquas gentes, quas barbaras vocabant. Cujus rei rationem facile perſpiciet, qui indolem ingeniumque Graecorum conſideraverit. Praeter Euemerum Meſſenium, de quo deinceps ex inſtituto, itemque praeter Diagoram atque Epicurum, de quibus jam ſupra dictum, Diogenem Phryga inter Atheos refert, cujus an ullus Veterum ceteroquin meminerit, mihi non conſtat. De Hippone autem, quem & CLEMENS Alexandrinus, *protrept. pag.* 15. & 36. aliique Atheis annumerant, vid. JO. ALB. FABRICIUS, *bibliothec. graec. lib. II. cap. XXIII.* §. *XX. p.* 819. Ad Soſiam quod attinet, pro eo vel Hippiam, vel Gorgiam reponendum eſſe, cenſet ISAACUS CASAUBONUS, obſervante eodem, quem jam laudavimus, viro docto, FABRICIO, *loc. cit.* ubi & Hippiam, tyrannum Athenienſem, Piſiſtrati filium Atheis a quibusdam annumeratum, docet. Solet & Daphides quidam grammaticus inter Atheos referri, eo quod ambigua quadam quaeſtione Apollini Delphico illudere in animum induxiſſet, cujus tamen petulantiae ſuae graviſſimas mox poenas dederit, quod pluribus exponit VALERIUS MAXIMUS. *libr. I. cap. XIII. p. m.* 123. Mitto reliquos, Apollophanem, Ariſtagoram, Callimachum, Cineſiam, Gorgiam, ſimilesque, qui itidem Atheis annumerantur, ſed de quibus, quid pronuntiari queat, certi quid vix ſuppetit.

** Heraclitum, Philoſophum, inter Veteres longe celeberrimum, jam olim Atheis annumeratum, JUSTINUS martyr nos condocet, ſed ita condocet, ut non tantum ab hac criminatione eum abſolvat, verum inter Chriſtianos fere referre non dubitet. Verba ejus ex *apol. I. pro Chriſtianis, pag.* 91. ſupra jam ad §. XI. protulimus, cum de Socrate diceremus. Socratem enim atque Heraclitum uno eodemque loco habet. Immo ex ipſis epiſtolis, quae ſub Heracliti nomine extant, quasve & THOMAS STANLEJUS exhibet, *hiſtor. philoſ. part.* IX. *cap.* III. *pag.* 829. apparet, Atheiſmi jam, dum vixit, eum ſuſpicionem incurriſſe, quam tamen quovis modo a ſe amoliri annititur. *Euthyales*, inquit, *Nicophontis illius ſacrilegi filius, impietatis me accuſavit, virum ſapientia praeſtantem. Linguae procacitate ſuperans, quaſi arae, ad quam conſtiteram, meum nomen adſcripſerim, me ipſum, homo cum ſim, Deum faciens. Inde judicabor ab impiis de impietate. Quid cenſes? Videbor illis impius, cum aliter quam illi, de diis ſentiam. Si coecis de viſu ſit judicandum, coecitatem viſum eſſe, dicent. Verum o rudes homines, docete*

nos prius, quid sit ille Deus, qui in templis concluditur. Nempe pii estis, qui in tenebris Deum collocatis. His ergo si fides habeatur, impietatis & Atheismi non aliam ob causam accusatus Heraclitus fuit, quam quod idololatriam & superstitionem Gentilium damnaret. Certe superstitionis & idololatriae infensum eum fuisse hostem, ex quibusdam etiam ejus apophtegmatibus, quae THOMAS STANLEJUS, *loc. cit. cap. V. pag.* 835. refert, liquet. Sacrificia enim deridens, per quae deos suos homines deliniri existimabant, *purgantur*, inquiebat, *dum cruore polluuntur, non secus, ac si quis in lutum ingressus, luto se abluat.* Idolis vota facientes, *perinde agere*, dicebat, *ac si quis loquatur cum aedibus.* Bacchi vero sacra his verbis irrisit: *Nisi pompam facerent Baccho, & cantica canerent impudentissima, actum erat.* De vero autem Deo praeclare admodum eum sensisse, si MERICO CASAUBONO credimus, ex hisce verbis, apud DIOGENEM LAERTIUM liquet: εἶναι γὰρ ἓν τὸ σοφὸν ἐπίστασθαι γνώμην ἥτε οἱ ἐγκυβερνήσει πάντα διὰ πάντων; *Unam quippe sapientiam esse, scire animum, quando & quomodo gubernentur omnia in omnibus, libr.* IX. *sect.* I. *pag. m.* 548. Nimirum per γνώμην ipsum eum intellexisse Deum, qui apud PLUTARCHUM, *libr.* I. *de placitis philosophor.* eidem Heraclito, εἱμαρμένη, λόγος ὁ διὰ τῆς οὐσίας τοῦ παντὸς διήκων, dicatur, CASAUBONUS contendit, qui & magnam horum verborum, cum iis, quae *Jerem.* IX. 23. 24. extant, sibi deprehendisse convenientiam visus est. Quodsi doctrinae Heracliteae systema paulo accuratius consideres, occurrunt utique nonnulla, quae Atheismi in eo suspicionem augent. • Ipse sane ARISTOTELES Heraclitum inter eos refert, qui solam materiam pro rerum omnium principio habuerunt, omissa vel abnegata causa efficiente, sive primo motore, & δημιουργῷ. Quod licet cum primis Ionicis, de quibus supra dictum, ei commune fuerit; accedunt tamen & alia, quae quo minus excusari queat, vix permittere videntur. Excusat nihilosecius, & liberare eum ab hac suspicione annititur GOTTFRIEDUS OLEARIUS, in *dissertatione priori de principio rerum naturalium ex mente Heracliti*, quae inserta est THOMAE STANLEJI *historiae philosophicae, part.* IX. *cap.* VI. & quidem §. XIII. *seqq. pag.* 851. *seqq.* Accurate, fateor, & erudite hac de re Vir doctissimus disputat. At non omnem scrupulum eximit. Largitur, rem omnem pendere ex genuina εἱμαρμένης sive *fati Heraclitei* explicatione. Concedit etiam, re ipsa eum consentire cum Stoicis. At de Stoicorum fato quid sentiendum sit, supra jam diximus. (36)

(36) Olearii *conamina ad defendendum* Heraclitum *irrita esse, pluribus monstravit* Bruckerus *Hist. Crit. Philos. T.* 1. *pag.* 1215-1218. *Attamen, si inter Atheos referendus fuit, ad secundam classem pertinet; quia Dei existentiam verbis adseruit, sed eandem illam sustulit, cum Ejus libertatem negaverit, Eumque fati, & necessitatis physicae legibus subjecerit. Conf.* Moshemius *ad* Cudw. *pag.* 136. seq.

*** Ve-

*** Veterum quenquam fuisse, qui Hippocratem, Medicorum principem, Atheis annumeraret, mihi non constat. Nostra tamen aetate id fecit vir clarissimus, NICOL. HIERONYMUS GUNDLINGIUS, in *otiorum*, quae lingua Germanica conscripta sunt, *part.* II. *cap.* III. cui titulus: *Hippocrates* ἄθεος. Nec specie profecto destituuntur, quae Vir doctissimus hac de re differit. Fatetur, Hippocratem principium aliquod activum & δημιουργικὸν admittere, quod *naturae* nomine illi veniat; cui etiam *scientiam omnium*, quae cuique desunt, *justitiam*, & *bonitatem*, & similia, quae de Deo eum locutum arguant, tribuat. Alibi tamen mentem ita hac super re declarasse, ut pateat, per hocce principium, seu naturam, eum nihil aliud, quam τὸ θερμὸν ἀθάνατον, *calidum*, seu *ignem immortalem*, intellexisse. Locum ad hoc probandum inter alia producit, ex *libro de principiis seu carnibus*, *tom.* I. *edit. Linden. pag.* 112. δοκέει δέ μοι ὃ καλέομεν θερμὸν ἀθάνατόν τε εἶναι καὶ νοέειν πάντα καὶ ὁρῇν, καὶ ἀκούειν, καὶ εἰδέναι πάντα καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι; *Quod calidum vocamus, id mihi immortale esse videtur, cunctaque intelligere, videre, & audire, scireque omnia, tum praesentia, tum futura.* At hinc forte alius colligeret, eum per τὸ θερμὸν non materiam, sed sejunctum potius a materia principium intellexisse, cum, quae huic principio tribuit, in materiam non cadant. Nec *calidi* denominatio obstabit, cum Gentilium, de Deo deque primo principio cognitio, tenuis admodum, obscura, atque confusa fuerit; ut adeo tam clarae & accuratae de Deo ideae & denominationes, quales hodie de eo habemus, ab iis non sint expectandae. Interim loca, in quibus Hippocrates subinde Dei mentionem fecit, non adferam, cum ea jam collegerit JOANNES ANDREAS SCHMIDIUS, Helmstadiensis Academiae Theologus clarissimus, in *dissertatione*, *de theologia Hippocratis;* nec celeberrimus GUNDLINGIUS ea praetermiserit, sed, quid ad ea respondere ex sua mente possit, ostenderit. Certe diversimode ea, principio, pro diverso, quod Medicorum principi tribuitur, explicari possunt. Quodsi Heracliti philosophiam Hippocrates secutus est, quod Vir celeberrimus cum DANIELE CLERICO, *hist. de la Medicine pag.* 109. asserit, *loc. cit.* §. IX. *pag.* 113. mens ejus sententiaque ex antea dictis dijudicanda fuerit. Addatur JOAN. ALBERTUS FABRICIUS, *biblioth. graec. lib.* II. *cap.* XXIV. §. I. *pag.* 843. (37)

(37) *Injuria infertur optimo Seni, quando inter Atheos numeratur, vel inter eos, qui ad Atheismum fuere proni; elegans* de Theologia Hippocratis *reperitur Dissertatio inserta* Fabricii *Biblioth. Graecae vol. XIII. pag.* 192-246., *quae Auctorem agnoscit* Joannem Stephanum, *quaeque satis superque ab illa suspicione liberare potest Medicorum veterum Principem. Id equidem probari non potest in Hippocrate, quod saepe* Naturam *invocet; attamen, si propterea Atheismi accusari posset, plurimi inter veteres & recentiores Medicos in hanc suspicionem incur-*

 rerent;

rerent: verum vix ex Hippocratis *ſcriptis dejudicari poteſt, quid de Deo ſenſerit; licet* Moshemius *ad* Cudworth *pag.* 104. *ad locum ipſius provocat, qui occurrit Lib.* 1. *de Diaeta, ubi,* Deos omnia bene & ſapienter conſtituiſſe, *memorat.*

* EUHEMERUM ſeu Euemerum Meſſenium Atheis annumeratum, jam antea ex AELIANI *hiſtoria varia lib.* II. *cap.* XXXI. docuimus. Hiſtoriam namque Deorum gentilium ſcripſit, in qua ex inſtituto id executus eſt, deos, quos venerentur Gentes, fuiſſe revera *fortes* & *claros* & *potentes viros,* immo *mortes & ſepulturas deorum, demonſtravit,* ut ait CICERO de *natur. deorum, libr.* I. Specimen iſtius deorum, quam Euhemerus condidit, hiſtoriae, exhibet EUSEBIUS, *praeparat. euangel. libr.* II. *cap.* II. *pag.* 59. & quidem ex DIODORI SICULI, *bibliothecae libr.* VI. qui hodie non amplius extat, a ſacrorum forte apud gentiles Antiſtitibus ex exemplis, quae nanciſci potuerunt, ablatus, quod rebus ſuis minus conſultum putarent, ſi haec de diis Gentilium ab omnibus legerentur. Fraudes ejusmodi hominum ſatis notae ſunt. Inter Atheos itaque relatus eſt non aliam ob cauſam, quam quod deos gentilium, quos homines fuiſſe ſciebat, pro diis veris agnoſcere nollet, ſed veram potius originem fabularum detegeret. Praeter AELIANUM vero & SEXTUM EMPIRICUM, Atheis eum annumerat PLUTARCHUS, de *Iſide atque Oſiride, tom.* II. *opp. pag. m.* 360. De eo enim verba faciens, ὃς αὐτὸς, inquit, ἀντίγραφα συνθεὶς ἀπίστου καὶ ἀνυπάρκτου μυθολογίας, πᾶσαν ἀθεότητα κατασκεδάννυσι τῆς οἰκουμένης τοὺς νομιζομένους θεοὺς πάντας ὁμαλῶς διαγράφων εἰς ὄνομα στρατηγῶν, καὶ ναυάρχων καὶ βασιλέων, ὡς δὴ πάλαι γεγονότων. *Is enim commentario conſcripto incredibilium & novarum fabularum, omne impietatis genus per totum ſparſit terrarum orbem, eos, qui Dii exiſtimantur, univerſos aequaliter expungens, & ad nomina priſcorum imperatorum, navarcharum ac regum detorquens, &c.* Verum, cum accuſationis ſuae PLUTARCHUS non aliam cauſam adferat, quam quod docuerit, deos Gentilium homines fuiſſe, maximam Euhemero injuriam facit, dum eum ideo Atheismi arguit. Eſto vero, falſa eum tradidiſſe, de deorum Gentilium origine, aut omnino quaedam finxiſſe, quod PLUTARCHUS deinceps urget, inde tamen nondum ſequitur, eum eſſe Atheum, ſed hoc ſaltem, eum deos Gentilium pro meris ſaltem habuiſſe hominibus. Alibi equidem, ſcilicet *de placitis philoſophorum, libr.* I. *cap.* VII. *tom.* II. *opp. pag. m.* 880. Euhemerum cum Diagora Melio, & Theodoro Cyrenaeo, conjungit; quod cum JAC. PERIZONIUS ad AELIANI *loc. cit.* obſervaſſet, addit: *Ex quo tamen loco forſan, ſi ſolus eſſet, & verum diceret, non male illud potius concluderes, Euhemerum plane rejeciſſe non tantum iſtos Gentilium deos, ſed omne Numen.* Verum, ſi CALLIMACHI CYRENAEI jambos, quos ibi PLUTARCHUS allegat, recte expendas, non alio argumento, quam libro antea memorato, quem contra Gentilium deos ſcripſit, eum

eum niti, ſtatim perſpicies. Legenda, quae pro Euemero contra PLUTARCHUM erudite diſputat JO. RAINOLDUS, in *cenſura libror. apocryphor. veter. teſtam. praelection.* CCXXI. *tom.* II. *pag.* 1327. *ſeqq.* (38) Neſcio autem, annon paulo facilior, ut hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneamus, PLUTARCHUS fuerit in Atheis multiplicandis, quando & de EURIPIDE, poeta tragico, *loc. cit.* addit, eum equidem hanc ſententiam (quae Deum eſſe negat) aperte profiteri auſum non eſſe, metuentem Areopagiticum judicium, indicaſſe tamen eam, dum Siſyphum introduxit, qui eam proferret, ipſumque ei patrocinatum hac ſententia:

ἦν γὰρ χρόνος ὅτ' ἄτακτος, ἦν ἀνθρώπων βίος,
καὶ θηριώδης, ἰσχύος θ' ὑπηρέτης·

Incondita olim vita fuit mortalium,
Et belluina, viribusque ſerviens;

legibus nimirum deinde poſitis, (ita EURIPIDIS ſententiam exponere pergit) injuſtitiam fuiſſe repreſſam; ſed cum hae aperta poſſint flagitia prohibere, multi autem occulte ſcelera perpetrarent, tum quendam callidum virum prodiiſſe, qui docuerit, veritati tenebras mendacio offundendas, hominibusque perſuadendum eſſe:

ὡς ἔστι δαίμων ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ
ὃς ταῦτ' ἀκούει καὶ βλέπει φρονεῖ τ' ἄγαν.

Quod ſit perenni vita aliquis vigens Deus,
Qui cernat iſta & audiat, atque intelligat.

Sed ad Euhemerum ut redeamus, miror, eundem & a CICERONE inter Atheos relatum. Cum enim dixiſſet: *Quae ratio maxime tractata eſt ab Euhemero, quem & interpretatus & ſecutus eſt Ennius noſter, ab Euhemero autem & mortes & ſepulturae demonſtrantur deorum;* addit: *Utrum igitur hic confirmaſſe religionem videtur, an penitus totam ſuſtuliſſe? lib. I. de natura deor.* Sane religionem, aut ſuperſtitionem potius, Gentilium, penitus ſuſtulit: at ideo veram religionem non ſuſtulit. Rectius de Euhemero ſenſit ENNIUS, qui ipſomet CICERONE teſte, *eum non tantum interpretatus, ſed & ſecutus eſt,* hoc eſt, ſententiam ejus adprobavit. Atque haec cum ita ſe habeant, haud ſine ratione Euhemerus a veteris eccleſiae doctoribus, AUGUSTINO, *libr. IV. de civitat. Dei, cap. I.* LACTANTIO, de *falſa relig. libr. I. cap. XI.* aliisque, inter veritatis teſtes contra Gentilium ſuperſtitionem, relatus eſt. Id dubium alicui videri poſſet, qui factum, ut Euhemerus in Atheiſmi ſuſpicionem apud Ethnicos venerit, cum tamen poetae Graecorum, HOMERUS, HESIODUS, de

de Diis gentilium non aliter quam de hominibus locuti ſint, immo talia de iis prodiderint, quae vix in homines honeſtos cadunt. Sed cum Poëtarum proprium eſſet, fingere & mentiri, illorum de Diis aſſerta non adeo noxia eſſe putabant, quam aut Hiſtoricorum, aut Philoſophorum, qui rem ſerio agere videbantur, facileque adeo alios, ut minus praeclare de tota religione ſentirent, inducere poterant. Legenda &, quae de Euhemero diſſerit PETRUS JURIEU, *hiſtoir. critiq. des dogmes & des cultes, &c. part. III. cap. III. pag.* 408. *ſeqq.*

(38) *Recte defenditur* Euemerus *a* Bruckero *l. c. Tom.* 1. *pag.* 604. ſeqq. *quem exſcribere non lubet, quemque non licet ſuperare.*

§. XXI.

Ad eos, qui poſt Chriſtum natum floruerunt, Philoſophos Graecanicos quod attinet, quid de illis, qui certae ſectae nomen ſuum dederant, ſi doctrinam, quam profeſſi ſunt, ſpectes, cenſendum ſit, ex hactenus dictis facile intelligitur. * Inter reliquos, qui ad nullam ſectam certam referri poſſunt, eminent PLUTARCHUS ** atque LUCIANUS ***. Uterque enim inter Atheos a quibusdam relatus eſt, fundamento tamen non aeque certo, aut extra omnem dubitationem poſito.

* Non itaque neceſſe eſt, ut ſpeciatim aut EPICTETUM, aut M. AURELIUM ANTONINUM, Imperatorem & Philoſophum, aut DIOGENEM LAERTIUM, aut SEXTUM EMPIRICUM, ceteroſque, hic commemorem. Etſi enim hisce Atheismus, quantum mihi conſtat, ſpeciatim objectus non ſit, quam tamen de Deo animo conceperint opinionem, ex ſectae cujuslibet, cui addicti fuerunt, placitis, intelligere licet. EPICTETUM vero & M. AURELIUM ANTONINUM in Stoicorum, DIOGENEM LAERTIUM in Epicuraeorum, & SEXTUM EMPIRICUM in Pyrrhoniorum militaſſe caſtris, notum eſt. (39)

(39) Sextus Empiricus *paſſim monſtrat, qualis fuerit ſectae Philoſophus, qui ex argutis in utramque partem Diſputationibus gloriolam captare ſtudebat, ſed exiſtentiam Numinis nullibi negavit, licet ſatis acriter in eum invehatur* Parkerus *de Deo Diſp. II. Sect.* 26; *neque talis negatio cum Scepticorum placitis potuiſſet conciliari. In* Pyrrhon. Hypoth. *Lib.* 3. *C.* 1. *quidem argumenta Dogmaticorum pro exiſtentia Dei*

Dei impugnat, ſed tantum, ut monſtret, nihil etiam de hac re ſtatui poſſe. Si perpendamus ea, quae Lib. *IX.* adverſus Phyſicos *pag.* 560. ſeqq. *diſputat, praeſertim egregia, quae profert pag.* 578. ſeqq. *Scepticum ubique videbimus, non Atheum.*

** PLUTARCHUM Chaeronenſem in quibusdam Ariſtotelem ſecutum, ſubinde tamen & Platonis calculo ſuo adprobaſſe ſcita, ſed & haud raro cum Academicis ſuſpendiſſe judicium, Stoicorum autem ita rejeciſſe paradoxa, ut multo magis Epicuraeorum placita in Deum injuria improbaret, conſtat. Errores itaque, certae ſectae proprii, illi tribui nequeunt. Atheismum illi objicit PETRUS MOLINAEUS de *cognitione Dei, pag.* 81. eo maxime argumento, quod in libro περὶ δεισιδαιμονίας Atheiſmum ſuperſtitione tolerabiliorem eſſe, pronuntiavit. At inde profecto nondum ſequitur, eum fuiſſe Atheum. Immo eo minus inde Atheismi argui poteſt, quod non de quolibet Atheismo, nec de quacunque ſuperſtitione hoc intellexerit, ſed hoc velit, quaedam ſuperſtitionis genera ita comparata eſſe, ut majora hominibus aliis damna inferant, quam ſpeculativus ineptorum quorundam hominum Atheiſmus. Recte id obſervatum JOANNI ALBERTO FABRICIO, Plutarchum contra MOLINAEUM defendenti, *bibl. graec. libr. IV. cap. XI. pag.* 332. *&* 351. Tecte & per ambages, ut alios, ita & Plutarchum, Atheis accenſet auctor libri: *discours ſur la liberté de penſer*, quem ANTONINUM COLLINUM eſſe ferunt. Inter libere enim cogitantes & Plutarchum refert, *ſect. III. pag.* 192. Eo ſcilicet hoc nomine facit, quia maſcule & cordate contra ſuperſtitionem locutus eſt. Huc enim tendunt loca, quae ex eo adfert; mereturque omnino eam ob rem, non tantum inter libere, ſed & inter recte cogitantes referri. Quodſi vero auctor *ſuperſtitionis* nomine ipſam religionem innuit, ſummam Plutarcho injuriam facit. Res namque ipſa docet, illam eum neutiquam damnaſſe aut rejeciſſe. In contrarium equidem currere videtur RICHARDUS SIMON, dans ſes *lettres choiſies, let. XXII. pag. m.* 167; de ſcriptis enim Plutarchi philoſophicis & moralibus verba faciens, *car il eſt ſouvent ridicule*, inquit, *dans l'un & dans l'autre, & il eſt même ſi enteté de ſon Paganisme, qu'il eſt quelque fois religieux jusqu'a la ſuperſtition.* Certe paganismo addictiſſimum fuiſſe Plutarchum, negari nequit; interim, quantum ab homine Ethnico expectari potuit, ab Atheismo non minus, quam ſuperſtitione remotus videtur; id quod ſcripta ejus paſſim ſatis teſtantur. (40)

(40) *Quis quaeſo non ridebit perverſum Atheïſticum zelum, quando* Plutarchum *inter Atheos numerant propter ipſius librum* περὶ δεισιδαιμονίας; *cum, ſi vel fugitivo oculo huncce tractatum inſpiciamus, deprehendere liceat,* Plutarchum *Atheismum inter turpiſſimos cenſuiſſe errores. Sic*

l. c.

l. c. pag. m. 165. *dicit* (*brevitatis gratia Graeca omittam*) Impietas prave ſentiens, nihil eſſe beatum, nihil interitus expers, animo quendam ſtuporem videtur inducere negatione Numinis, finisque non credendi Deum eſſe, eſt metu vacare, *&c.*

*** LUCIANUM Samoſatenſem, rhetorem atque philoſophum eximium, & ingenio excellenti pollentem, certae Philoſophorum ſectae nomen non dediſſe, conſtat. Epicurum tamen prae ceteris magni fecit, quem & quodammodo in exemplum, quod imitaretur, ſibi propoſuiſſe videtur. Hinc cum Celſo, jurato iſti Chriſtiani nominis hoſti, ψευδόμαντιν ſuum inſcripſiſſet, rationem circa finem adferens, cur hoc ei minime ingratum fore crederet, maximis elogiis Epicurum, in cujus caſtris Celſum militare ſciebat, ornat. Τὸ πλέον δὲ, inquit, ὅπερ καὶ σοὶ ἥδιον, Ἐπικούρῳ τιμωρῶν, ἀνδρὶ ὡς ἀληθῶς ἱερῷ, καὶ θεσπεσίῳ τὴν φύσιν, καὶ μόνῳ μετ' ἀληθείας τὰ καλὰ ἐγνωκότι, καὶ παραδεδωκότι, καὶ ἐλευθερωτῇ τῶν ὁμιλησάντων αὐτῷ γενομένῳ; *Tum etiam, quod tibi ſuerit jucundius, ut Epicurum ulciſcerer, virum vere ſacrum, ingenioque divino, quique ſolus, quae vere ſunt honeſta, noverit, & tradiderit, liberosque reddiderit eos, qui ſecum haberent conſuetudinem; tom. I. opp. p. m.* 783. Et ſane non tantum in doctrina de Providentia Divina non alienum ab Epicuri ſententia ſe paſſim demonſtrat, ſed etiam religionem cultumque deorum ſubinde ſalſe perſtringit, atque irridet. Documento ſunt, quae, ut alia mittam, in duobus dialogis, quorum uni titulus eſt: Ζεὺς ἐλεγχόμενος, *Jupiter confutatus;* alteri: Ζεὺς τραγῳδός, *Jupiter tragoedus*, quique *tom. II. opp. pag.* 117. *ſeqq.* extant, in medium adfert. Certe, quae in ultimo dialogo differit, non tantum idololatriam, & ridiculam Gentilium ſuperſtitionem, fabulasque eorum de diis, ſed & generatim providentiam Numinis, cui cultus ejus omnisque religio innititur, feriunt. Ideoque & paſſim inter Atheos referri ſolet; nec ſine omni, ut puto, jure; ſaltem non aliter, quam Epicurum de Deo eum ſenſiſſe, certum eſt. Qui eum ab hac ſuſpicione liberare cupiunt, loca quaedam adferunt, in quibus Dei, aut argumentorum, quibus exiſtentia ac providentia ejus probari poteſt, mentio injicitur. Verum haec ſi paulo accuratius conſideremus, talia a Luciano non ex ipſius, ſed aliorum mente proponi, & ita proponi, ut ſtatim acriter refutentur, deprehendemus. Exemplum luculentiſſimum praebet dialogus antea jam a me laudatus, cui titulum fecit: *Jupiter tragoedus*. In eo enim Timocles Stoicus, deorum, ſpeciatim providentiae cauſam agit, Damis autem Epicureus, contra deos & providentiam diſputat. Timocles autem Stoicus per totum dialogum, ut homo longe ineptiſſimus inducitur, qui conviciis magis, quam rationibus, pugnat; qui porro rationibus tam infirmis dimicat, ut prodere potius, quam defendere deorum cauſam videatur, & ab auditoribus tandem exploditur & exſibilatur. Damis contra ubique rationibus argutis pugnat,

pugnat, vel ipſa modeſtia adverſarii imbecillitatem arguit, vincit, triumphat, & auditorum adplauſum refert. Paucis, ipſius Jovis judicio Timocles cauſa cadit. Cum enim Momus dixiſſet: ταυτὶ μὲν ἤδη κατὰ ῥοῦν προχωρεῖ τῷ Δάμιδι καὶ πλησίστιος ἐπὶ τὴν νίκην φέρεται; *Res certe Damidi ſecundo flumine procedit, plenisque velis fertur ad victoriam*, reſpondet Jupiter: ὀρθῶς ὦ Μῶμε εἰκάζεις. ὁ δ᾽ οὐδὲν ἰσχυρὸν ὁ Τιμοκλῆς ἐπινοεῖ ἀλλὰ τὰ κοινὰ ταῦτα, καὶ καθ᾽ ἡμέραν, ἄλλα ἐπ᾽ ἄλλοις εὐπερίτρεπτα πάντα ἐπαντλεῖ; *Recte, o Mome, judicas. Nihil enim validi Timocles comminiſcitur: ſed communia haec & quotidiana, quae omnia facile refelluntur, alia aliis infundit, pag.* 156. Scopus itaque LUCIANI hinc ſatis intelligitur, qui fuit, Epicureorum ſententiam contra Stoicos defendere; hosque ſimul omnium riſui exponere. Praecipuum equidem argumentum, quo Timocles providentiam evincere annititur, hoc eſt: *Id mihi rerum primus ordo perſuaſit;* (brevitatis enim cauſa Latino ſaltem ſermone haec referre juvabit) *ſol quidem iter ſemper conficit, eodemque modo luna, & tempeſtatum mutatio, & plantarum procreatio, & animalium generatio, horumque ipſorum tam elegans compoſitio, ut alantur, moveantur, cogitent, incedant, fabrilem artem & ſutoriam exerceant. Atque id genus alia mihi providentiae videntur eſſe opera.* Sed reſpondet Damis: *Tu quidem, Timocles quaeſtionem corripis. Nondum enim liquet, an horum unumquodque providentia perficiatur. Ceterum, quod haec fiant, nec ipſe negaverim. Non tamen ilico neceſſe eſt, credere, ea aliquo conſilio fieri. Contingit enim, ut haec incepta ſint, nuncque ſimiliter, eodemque modo conſtituantur, &c.* Atque hinc cujusmodi reliqua ſint, quae ex Luciano, ad eum ab Atheismi ſuſpicione liberandum proferri ſolent, perſpicere licet.

§. XXII.

Apud Romanos tantus equidem Philoſophorum non extitit numerus, quam apud Graecos. Nec tamen defuerunt, qui ob Atheismum male audirent, aut quorum ſaltem dubia de Numine, ejusque providentia, ac cultu, cenſeretur opinio. De iis quidem, qui aliquam ex Graecanicis ſectis ſecuti ſunt, quid exiſtimandum ſit, hactenus dicta itidem neminem dubitare ſinunt. * Inter reliquos ** triumviri iſti CICERO, *** LIVIUS, * PLINIUS, ** cumprimis commemorandi ſunt, quos ut nonnulli audacter Atheis annumerant, ita alii contra, ſaltem duos priores, rationibus haud contemnendis, ab hacce ſuſpicione liberant atque defendunt.

 * Sic

* Sic TITUM LUCRETIUM CARUM Epicuri ſecutum & acriter defendiſſe placita, SENECAE autem porticus arriſiſſe decreta, notum eſt. Qui autem, SENECAM omnino Chriſtianum fuiſſe, putant, nihil aliud agunt, quam ut ſignificent, ſe non ſatis eum intelligere, nec intimiores ſenſus, qui ſub ſplendidiſſimis verbis latitant, introſpicere. (41)

(41) *Qualis Chriſtianus fuerit* Seneca, *omnium optime manifeſtum fit ex ejus* Conſolat. ad Marciam Cap. 19. Cogita, nullis defunctum malis adfici; illa, quae nobis inferos faciant terribiles, fabulam eſſe. —— Mors omnium dolorum & ſolutio eſt & finis: ultra quam mala noſtra non exeunt, quae nos in illam tranquillitatem, in qua, antequam naſceremur, jacuimus, reponit. *Attamen in aliis ſuis ſcriptis dubitanter de animae immortalitate loquitur: Sic Epiſt.* 65. Mors quid eſt? aut finis eſt, aut tranſitus; *quae verba ſaltem monſtrant, eum de fundamentali hocce Chriſtianae Religionis dogmate non fuiſſe perſuaſum.*

** Auctor *diſcurſus de libertate cogitandi*, quem ANTONIUM COLLINUM eſſe, ſupra diximus, ex Romanis inter libere cogitantes praeter Ciceronem, de quo deinceps, Varronem quoque refert, atque Catonem utrumque, Cenſorem & Uticenſem, *p.* 196. *ſeqq.* Per *libere* autem *cogitantes* quos intelligat, nemini temere ignotum eſſe poteſt. Sed ad Varronem quod attinet, ex locis, quae ex AUGUSTINO adfert, nihil aliud colligas, quam eum theologiae gentilis ineptias perſpectas habuiſſe, ac rejeciſſe, atque hactenus non tantum inter libere, ſed & recte cogitantes referri potuit. Vel ex primo ſtatim, quem laudat, hoc patet, loco: *Multa ſunt* (verba ſunt Varronis) *contra dignitatem & naturam immortalium ficta. In hoc enim eſt, ut Deus alius ex capite, alius ex femore ſit, alius ex guttis ſanguinis natus;* apud AUGUSTINUM, de *civitat. Dei libr. VI. cap. V.* De Catone Cenſore idem cenſendum. Notiſſimum enim illud, quod de eo ex CICERONE refert: *mirari ſe ajebat, quod non rideret haruſpex, cum haruſpicem vidiſſet,* non aliud arguit, quam hypocriſin & fallaciam Haruſpicum, & Sacerdotum gentilium, intime illi perſpectam fuiſſe. De Catone denique Uticenſi prolixum ex LUCANO locum profert, in quo eum multa ex Stoicorum diſciplina loquentem inducit; inter quae, quod negandum non eſt, nonnulla ſunt, quae, ſi veram ejus mentem exprimerent, a Pantheiſtarum haud procul eum abiiſſe ſententia, demonſtrarent. Cumprimis huc ſequentia ſpectant: (42)

Eſtne Dei ſedes, niſi terra pontus & aër,
Et coelum & virtus? Superos quid quaerimus ultra?
Jupiter eſt, quodcunque vides, quocunque moveris.

Con-

Conferenda haec cum iis, quae ſupra de Stoicorum doctrina diximus.

(42) *Licet operae pretium non ſit acrius disquirere, quid de Deo ejusque exiſtentia ſenſerint veteres Romani, cum hic verſetur Cl. Auctor in enodanda quaeſtione,* an dentur Athei *ſcil.* Theoretici, *praeſertim* primae *claſſi adſcribendi; attamen id unum notari poteſt,* Lucanum *aliquando potius ad ſuperſtitionem, quam ad Atheismum fuiſſe proclivem, & aliis in locis recte de Deo, ſeu Diis ſcripſiſſe, uti Lib.* 1. *vſ.* 80. ſeqq. *Imo hic ipſe locus non tantum non exprimit ſententiam* Lucani (Catonem *quippe loquentem introducit*), *ſed etiam ſanum fundere poteſt ſenſum, cum omnipraeſentiam & omniſcientiam Dei rectiſſime depingat, ſi totus conſideretur, quando dicit,* (*ſecundum* Oudendorpium *emendando textum*) *vſ.* 578. ſeqq. *Lib. IX.*

> Eſtne Dei ſedes niſi terra & pontus & aer
> Et coelum & virtus? ſuperos quid quaerimus ultra?
> Jupiter eſt *quocunque* vides, quocunque moveris.

Hunc ſenſum ſaniorem nos, ex Revelatione & ex emendata Philoſophia melius edocti, verbis Lucani. *adfingere poſſumus; ſed diffitendum non eſt, verba:* quocunque vides *in ſignificatione, quae cum Gentilium Philoſophorum placitis congruit, idem ſignificare poſſe cum* quodcunque vides; *& licet Poeta in eo ſit, ut Dei omnipraeſentiam ex mente* Catonis *pingat, eumque a quolibet noſtrum non eſſe remotum inferat, attamen id ſaltem indicare videtur,* Jovem per omnia loca eſſe diffuſum.

*** CICERONEM, licet Ethnicum, a ſuperſtitione tamen Ethnicorum longe abfuiſſe, nemo dubitaverit, niſi qui librum ejus de *natura deorum*, & de *divinatione*, nunquam inſpexit. Inde vero omnino factum, ut cum Chriſtianae doctrinae veritate orbis Romanus colluſtraretur, ipſi Ethnici, libros ejus cauſae Chriſtianorum contra ſuperſtitionem ſuam praeſidium adferre, crederent, eosque publica Senatus auctoritate abolendos cenſerent. Teſtis hujus rei eſt ARNOBIUS: *Cum ſciam; eſſe non paucos, qui averſentur & fugiant libros de hoc ejus* (Ciceronis) *nec in aurem velint admittere lectionem, opinionum ſuarum praeſumta vincentem? cumque alios audiam muſſitare indignanter, & dicere: oportere ſtatui per Senatum, aboleantur ut haec ſcripta, quibus Chriſtiana religio comprobetur, & vetuſtatis opprimatur auctoritas? Quinimo, ſi ſiditis, exploratum nos dicere quicquam de diis veſtris, erroris convincite Ciceronem temeraria & impia dictitare, refellitote, redarguite, comprobate. Nam intercipere ſcripta, & publicatam velle ſubmergere lectionem, non eſt deos defendere, ſed*

sed veritatis testificationem timere; libr. III. pag. 103. An vero ad alterum ita processerit extremum, ut ad Atheismum inclinaverit? id est, de quo quaeritur. Sane in libris de *natura deorum* Cotta contra omnes collocutores, qui existentiam deorum defendebant, victoriam referre videtur. Atque vel hoc nomine eum *libere cogitantibus* annumerat, ANTONIUS COLLINUS, qui & ex libro de *divinatione* argumentum capit, quippe in quo Graecorum ac Romonorum religionis fundamenta penitus evertat. Eum praeterea suum, pariter ac plerorumque Philosophorum, characterem expressisse, dum dixit: *Eos, qui dant philosophiae operam, non arbitrari, deos esse.* Addit idem auctor & alia, quibus Ciceronem in libere cogitantium partes pertrahat, immortalitatem animae eum negasse, & inferorum poenas inter Poëtarum fabulas retulisse, asserens, simulque illis indignatur, qui in contrariam sententiam eum allegantes, non distinguant, num ex propria, an ex aliorum mente loquatur, *loc. cit. pag.* 198. *seqq.* Verum, etsi vel maxime CICERO animae immortalitatem non crediderit, aut de ea dubitaverit, etsi etiam, quae Poëtae de inferorum poenis tradunt, inter commenta eorum fabulasque retulerit, inde nondum colligere licet, eum fuisse Atheum. Quod dixit, *eos, qui dant philosophiae operam, non arbitrari, deos esse,* de omnibus Philosophis intelligi nequit, cum ipsemet CICERO quibusdam saltem Philosophis contrariam sententiam tribuat: multo minus verosimile, eum se ipsum hisce philosophis aggregare voluisse. (43) In libris de *natura deorum*, fateor, ita disputat, ut Cotta superior ex hoc certamine evadere videatur: sed alibi tamen rursus ita loquitur, ut sententia de Deo, ejusque providentia, & cultu, firmiter animo ejus haesisse credi queat. Non displicet itaque judicium PETRI BAELII, qui de Spinoza differens ita pronunciat: *Mr. l'Abbé de Dangeau parle de certaines gens, qui ont la religion dans l'esprit, mais non pas dans le coeur; ils sont persuadez de sa verité, sans que leur conscience soit touché de l'amour de Dieu. Je crois, qu'on peut dire qu'il y a aussi des gens qui ont la religion dans le coeur & non pas dans l'esprit. Ils la perdent de vuë des qu'ils la cherchent par les voies du raisonnement humain; elle échappe aux subtilitez & aut sophismes de leur dialectique; ils ne sçavent ou ils en sont pendant qu'ils comparent le pour & le contre: mais des qu'ils ne disputent plus, & qu'ils ne sont qu'écouter les preuves de sentiment, les instincts de la conscience, le poids de l'education, &c. ils sont persuadez d'une religion, & ils y conforment leur vie autant, qu' l'infirmité humaine le permet. Ciceron en etoit là; on n'en peut guere douter quand on compare ses autres livres avec ceux de* natura deorum, *ou il fait triompher Cotta de tous les interlocuteurs, qui soutenoient qu'il y a des dieux; in diction. historico-crit. voc. Spinoza, pag.* 2774.

(43) Collinsium *turpiter abusum fuisse verbis* Ciceronis, *rectissime notavit* Bentlejus *la Friponnerie Laïque pag.* 496. seqq. *cum Lib.* I. *de Inventione Cap.* 29. *per exempla suam doctrinam confirmet:* Probabile autem, *inquit*, est id, quod fere fieri solet, aut quod in opinione positum est —— in eo autem, quod in opinione positum est, hujusmodi sunt probabilia: impiis apud inferos poenas esse praeparatas; eos, qui Philosophiae operam dant, non arbitrari Deos esse.

Quid de animae immortalitate crediderit Cicero, *dejudicandum praesertim ex* Tusculanis quaestionibus (*ubi ipse cum* Adolescente, *vel* Auditore, *non vero cum* Attico, *colloquia instituit*). *Enumerat decem sententias de anima; secundum septem priores Mors non est malum;* His sententiis omnibus, *inquit*, Lib. I. Cap. II. nihil post mortem pertinere ad quemquam potest; pariter enim cum vita sensus amittitur &c. *Deinde vero adjicit:* Reliquorum sententiae spem adferunt, posse animos, cum corporibus excesserint in coelum, quasi in domicilium suum, pervenire. *Et satis in eodem* Lib I. Tusc. Quaest. *ostendit, se ad credendam animorum immortalitem esse proniorem. Sic* Cap. 14. Maximum argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare; & Cap. 16. ut Deos esse natura opinamur, qualesque sint, ratione cognoscimus: sic permanere animos, arbitramur consensu rationum omnium.

* Quod Oratorum apud Romanos principi, idem & principi Historicorum TITO LIVIO contigit, ut Atheismi labes ei adspergeretur. Cumprimis & ex instituto hoc egit JOAN. TOLANDUS, in dissertatione satis notà, cui titulum fecit: *Adeisidaemon*, sive *Titus Livius a superstitione vindicatus.* Enim vero, etsi, Livium se a superstitionis accusatione liberare velle, videri velit, id tamen eum agere, ut religionis omnis contemtum ei tribuat, & revera Atheum ex eo faciat, nemo facile, qui paulo accuratius hanc dissertationem perlegerit, dubitaverit. Idque ipsemet aperte indicat, quando §. *V. pag.* 6. sine ambagibus asserit: *Livium totam religionem patriam pro nulla habuisse, vel, quod eodem redit, pro pulcherrimo politicorum commento, in magistratuum subsidium & sacerdotum emolumentum subtiliter excogitato.* Neve existimes, solam Ethnicorum religionem, quae superstitio potius sit, eum intelligere, de Mosaica etiam, quae olim sola vera erat, in hac ipsa dissertatione non aliter, quam de Ethnica, loquitur, simulque haud semel innuit, superstitionis, sua opinione, expertem non esse, nisi qui omnem religionem ejuraverit. Genuinam TOLANDI de Livio mentem pluribus detegit JACOBUS FAYUS, in *defensione religionis, nec non Mosis, & gentis Judaicae, contra duas dissertationes Joannis Tolandi cap.* II. & III. Injuriam vero Livio fieri, dum pro Atheo omnisque religionis contemtore venditatur, idem, quem jam laudavimus, JAC. FAYUS ostendit,

dit, *loc. cit. cap.* III. §. IV. *pag.* 20. itemque ELIAS BENOIST, *melange de remarques critiques &c. contre Mr. Tolland &c. pag. 6. seqq.* (44)

(44) *Nemo, qui* Livii *scripta legit, eum Atheorum numero adscribet, licet superstitionem saepius salse riserit. Male vero Ven.* Fayus *contra* Tolandum *Cap.* 3. Livium *contra hominem impudentem defensurus, provocavit ad* Livii *Lib.* 1. *Cap.* 19. *&* 20, *ubi Numae conamina potius ridet, quam approbat: sed Cap.* 21. *dicit:* ad haec consultanda procurandaque, multitudine omni a vi & armis conversa, & animi aliquid agendo occupati erant, & Deorum assidua insidens cura, quum interesse rebus humanis coeleste Numen videretur, ea pietate, omnium pectora imbuerat, ut fides ac jusjurandum, proxime legum ac poenarum metum, civitatem regerent. *Neque Proöemium monstrat,* Livium *Deos agnovisse. Sed Lib.* 3. *C.* 20. negligentiam Deûm *improbare videtur; Lib.* 5. *C.* 50, Camillum *laudans, inquit:* Omnium primum, ut erat diligentissimus religionum cultor, quae ad Deos immortales pertinebant, retulit, *&c.*

** PLINIUM seniorem, celeberrimum istum historiae naturalis conditorem, ab Epicuraeorum non abhorruisse placitis, jam pridem Viris eruditis observatum. conf. JOANNES RAINOLDUS, in *censura librorum apocryphor. vet. testam. praelect.* CXCII. *tom.* II. *pag.* 1036. JO. TOLANDUS autem, ut & hunc a credulitatis suspicione liberet, more suo omnino Atheum facit, in *adeisidaemone*, §. II. *pag.* 2. Et negari profecto nequit, eum non tantum *lib.* VII. *cap.* LV. animarum immortalitatem ex instituto impugnare, sed *lib.* II. *cap.* I. de universo hoc ita loqui, ut non aliud agnoscere numen videatur. Verba ejus sunt: *Mundum & hoc, quod nomine alio coelum appellare libuit, cujus circumflexu teguntur cuncta, nomen esse, credi par est, aeternum, immensum, neque genitum, neque interiturum unquam.* Consentiunt & reliqua, quae sequuntur. Sed & alibi *libr.* XXVII. *cap.* III. de casu verba faciens, *hic ergo casus,* inquit, *hic est ille, qui plurima in vita invenit, Deus. Hoc habet nomen, per quem intelligitur eadem & parens rerum omnium & magistra natura, &c.* (45)

(45) *Si vel solum Caput VII. Lib. II. inspiciamus, manifestum fit, quam perversas de Deo foverit opiniones* Plinius, *cum praesertim providentiam explodat, & Epicuraeum sese monstret. Ridet quidem jure merito pluralitatem Deorum, eorumque matrimonia, adulteria, jurgia, odia, &c. Sed venenum manifestum fit, quando adjicit,* Irridendum vero, agere curam rerum humanarum illud summum. —— Verum in his Deos agere curam rerum humanarum credi, ex usu vitae est: poenasque maleficiis aliquando seras, occupato Deo in tanta mole, nunquam au-

autem irritas esse, nec ideo proximum illi genitum hominem, ut vilitate juxta belluas esset.

§. XXIII.

Inter Christianos, ut ad eos nunc transeamus, primis seculis nemo fuit, cui jure Atheismus objici potuerit, etsi ipsis Christianis ejusmodi impietas ab Ethnicis subinde per turpissimam calumniam exprobrata sit. * Sequenti tamen tempore, cum sub Romanorum Pontificum tyrannide ecclesia Christiana gemeret, in medio Scholasticorum regno extiterunt, qui talia traderent, quae aperte ad Atheismum, speciatim Spinozismum, accederent. Idque vel ALMARICI ** atque DAVIDIS DE DINANTO *** exemplo constat, ne quid nunc de ceteris dicam. *

* Christianis Atheismum & impietatem ab Ethnicis olim objectum, ex ATHENAGORA, ARNOBIO, aliisque, tam notum est, ut supervacaneum foret, hac de re aliquid addere. Loca Veterum, hoc comprobantia, diligenter jam collegit B. CHRISTIANUS KORTHOLTUS, in *pagano obtrectatore lib. II. cap. X. pag.* 406. *seqq.* Observat idem auctor, vitium hocce tam vulgare fuisse, ut Christiana religio κατ' ἐξοχὴν *Atheismus* dicta sit. Idque DIONIS CASSII exemplo comprobat, qui, Clementem & Domitillam, ob Christianismi professionem a Domitiano damnatos fuisse, significaturus, *histor. libr.* LXVII. dicit: ἐπηνέχθη ἀμφοῖς ἔγκλημα ἀθεότητος, *ambobus illatum est atheismi crimen.* Immo eo usque progressus est detestandus calumniandi furor, eodem auctore observante, ut ipse Servator Ethnicis audiret, *religionis extinctor, & impietatis auctor, qui impietatem docuerit nationes.* Testatur hoc ARNOBIUS, *lib.* II. *contra gentes, sub init.*

** Seculo post Christum natum decimo tertio floruit ALMARICUS, philosophus, idemque novorum dogmatum in theologia, si nonnullis credimus, inventor, ideoque & in haereticorum numerum relatus. Quodsi vera sunt, quae de eo dicuntur, praecipuum ejus dogma, ex quo & ceu fonte reliqui errores fluxisse videntur, fuit; *Deum esse materiam primam.* Sententiam ejus ex GERSONE, *tract. de concord. metaphys. cum log. part.* IV. ita proponit JACOB. THOMASIUS: *omnia sunt Deus, Deus est omnia. Creator & creatura idem. Ideae creant & creantur. Deus*

ideo

ideo dicitur finis omnium, quod omnia reverſura ſint in ipſum, ut in Deo immutabiliter conquieſcant, & unum individuum atque incommutabile permanebunt. Et ſicut alterius naturae non eſt Abraham, alterius Iſaac, ſed unius atque ejusdem; ſic dixit, omnia eſſe unum, & omnia eſſe Deum. Dixit enim, Deum eſſe eſſentiam omnium creaturarum; de exuſt. mundi Stoica diſſert. XIV. §. XCIX. Quae quidem ita comparata ſunt, ut nec apertius, nec luculentius, Spinozismus exprimi potuerit. (46) Dum vero Almaricus dixit: Deum eſſe finem omnium, omniaque in ipſum reverſura, ut in eo immutabiliter conquieſcant, & unum individuum atque inmutabile permaneant, nihil aliud ſibi voluit, quam quod deinceps DAVID DE DINANTO docuit, *Deum eſſe materiam primam.* Cautius nimirum incedens, *finis* quam *materiae*, nomen adhibere maluit, eoque ſubdole non *cauſam finalem*, ſed id, in quod omnia reverſura eſſent, intellexit. De origine erroris Almariciani, num ex Platonica, an Ariſtotelica philoſophia fluxerit, dixi in *obſervatione de haereſibus ex philoſophia Ariſtotelico-ſcholaſtica ortis, tom. I. obſervation. ſelectar. num. XV. §. XVII.* itemque in *diſſertat. de Spinozismo ante Spinozam*, quae in *analectis hiſtoriae philoſophicae* extat, §. *XI. ad XV. pag.* 327. *ſeqq.* ubi & *pag.* 334. ex Ariſtotelica potius, quam Platonica philoſophia eum derivandum, probavi.

(46) *Nulla* Almarici *ſcripta proſtant; omnis haecce narratio nititur fide* Gerſonis; *adeoque rem recte putaſſe videtur* Bruckerus *Hiſt. Crit. Philoſ. Tom.* 3. *pag.* 688., *ubi ſcribit:* Valde ſuſpecti judices ſunt Theologi Pariſienſes: cum enim aegerrime ferrent, dialecticam Auguſtini —— negligi, —— indigne non ferre non poſſent, Auditores, relictis doctoribus priſtinis, ad novos Magiſtros properare, eorumque replere auditoria, odio & invidia in eos accendi debebant.

*** DAVID DE DINANTO Almarici fuit diſcipulus, magiſtrique veſtigia premens, apertius etiam, quod ille ſenſit, elocutus eſt, aſſeruitque, *Deum eſſe materiam primam.* Hunc eum ab Alexandro Epicuraeo accepiſſe errorem, auctor eſt THOMAS DE AQUINO, *lib. I. contra gentil. cap. XVII.* Sed Alexandro, utpote Epicuraeo philoſopho, ejusmodi ſententiam tribui non poſſe, ſupra jam ad §. XVIII. obſervavimus. Probabilius longe & Almarici, & Davidis de Dinanto, ex uno eodemque fonte profluxiſſe errorem. Haud difficulter conceſſero, quod JAC. THOMASIUS, de *exuſt. mundi Stoica, diſſertat. XV. §. CXXIX.* docet, πρῶτον ψεῦδος Dinantii fuiſſe, *abnegationem creatricis omnipotentiae, quam ingenioſiſſimis quoque gentilium pater mendacii perſuaſerat.* Hunc namque erroris iſtius fontem vel maxime ex ARISTOTELE, qui eo tempore unice in ſcholis regnabat, haurire poterant; quippe cui hoc

cum

cum reliquis Gentilium firmiter persuasum erat, ex nihilo nihil posse fieri, adeoque aut mundum, aut materiam, semper extitisse. Sublato Creatore, cum omnia ex materia deducerentur, pronum admodum erat, materiam primam tandem pro ipso Deo habere; idque eo magis, quod Scholastici simplicitatem & alia attributa, quae soli Deo conveniunt, materiae assignarent. Saltem argumenta quaedam haec ei praebere potuerunt, quibus impietati suae colorem quendam conciliaret. Jungenda, quae dixi, in *observatione de haeresibus ex philosophia Aristotelico-scholastica ortis, tom. I. observation. selectar.* §. *XVIII. pag.* 205.

* Universam Scotistarum gentem, quae tantum olim in Scholasticorum regno strepitum dedit, Spinozismi arguere non dubitat PETRUS BAELIUS. Nec enim *universale* illorum *formale a parte rei*, aut *unitatem formalem a parte rei*, aliud quid sibi voluisse, quam quod deinceps Spinoza apertius elocutus est, & majori eruditionis specie proposuit. Idem ex PETRI ABAELARDI, *epist. I. pag.* 5. locum producit, ex quo patet, GUILIELMUM CAMPELLENSEM, Archidiaconum Parisiensem, acerrimumque Abaelardi adversarium, itidem talia docuisse, quae cum Spinozismo conveniunt. *Erat*, inquit, *in ea sententia de communitate universalium, ut eandem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse adstrueret individus, quorum quidem nulla esset in essentia diversitas, sed sola multitudine accidentalium varietas*; conf. *dictionar. historico-crit. voc. Abaelardus, p.* 18. item *voc. Caesalpinus pag.* 876. Sane quidem istam Scotistarum hypothesin, *universalia citra intellectus operationem re ipsa existere, omniaque individua de una eademque essentia, non specie, sed numero tali, participare*, ad Spinozismum ducere, aut non multum ab eo differre, negari nequit. An vero Scotistae omnes, quae ex hacce hypothesi fluunt, dogmata impia perspexerint, vel, si perspicere potuissent, adprobaturi fuissent, id quidem est, de quo merito dubito. Addenda, quae jam hac de re dixi in *dissert. de Spinozismo ante Spinozam*, §. *XVII.*

§. XXIV.

Cum bonae literae, quae hactenus densa velut caligine oppressae jacuerant, iterum efflorescerent, ut veterum simul Philosophorum, cumprimis Aristotelis, scita resuscitarentur, sentiendi hinc orta libertas apud multos in licentiam degeneravit, * magnamque in Italia cumprimis ** impiorum homi-

num produxit cohortem, quorum alii pro Atheis habiti, aut tàlia, quae ad Atheismum ducunt, docuiſſe crediti ſunt; alii autem laſcivis, impuris atque profanis ſcriptis, ſermonibus, moribus, ipſaque adeo vita, nullam Numinis, ſi vera ſunt, quae de iis narrantur, ſe habuiſſe rationem, teſtati ſunt. Ad priorem claſſem PETRUM ARETINUM, *** FRANCISCUM POGGIUM, Florentinum, * JORDANUM BRUNUM, ** PETRUM POMPONATIUM, *** JULIUM CAESAREM VANINUM, * HIERONYMUM CARDANUM, ** THOMAM CAMPANELLAM, *** NICOLAUM MACHIAVELLUM, * & celeberrimos iſtos Ariſtotelicae philoſophiae interpretes, ANDREAM CAESALPINUM, ** CLAUDIUM BERIGARDUM, *** & CAESAREM CREMONINUM * referre ſolent; ne quid de COSMO RUGGERIO dicam, qui cum Italus gente eſſet, in Gallia vixit, & poſtquam palam ſe Atheum profeſſus eſſet, obiit; ** ad poſteriorem autem, PAULUM JOVIUM, *** ANGELUM POLITIANUM * HERMOLAUM BARBARUM, ** JOANNEM CASAM, *** M. ANTONIUM MURETUM * aliosque.

* Magnus utique illorum, qui poſt bonas litteras renatas ingenium ad Atheismum & impietatem pronum demonſtrarunt, fuit numerus: nec tamen Atheorum proprie & ſtricte ſic dictorum tantus, quantum nonnulli faciunt. Recenſent Atheos, qui poſt renatas litteras extitiſſe perhibentur, GISBERTUS VOETIUS, *diſſertat. de Atheismo, tom. I. diſſertat. ſelectar. pag.* 217. *ſeqq.* JOANNES MULLERUS, in *atheismo devicto;* & THEOPHILUS SPIZELIUS, in *ſcrutinio atheismi hiſtorico-aethiologico, pag.* 17. *ſeqq.* ſed ita, ut multos inter Atheos referant, qui tamen, etſi aut moribus impii fuerint, aut erroneas quasdam pravasque ſententias foverint, ideo ſtatim Atheismi proprie & ſtricte ſic dicti convinci nequeunt.

** Italiam, foecundam Atheorum, aliorumque hominum impiorum, matrem eſſe, pridem Viris eruditis obſervatum. Quod cum varias ob cauſas, quas enarrare hujus loci non eſt, contingere queat, nullum tamen dubium, quin craſſa illa & prorſus ridicula clericorum hypocriſis, quae ibi conſpicitur, multum eo conferat. Legenda, quae poſt HENRICUM STEPHANUM, *praeparat. ad apolog. Herodoto* hac de re congeſſit

gessit GISBERTUS VOETIUS, *loc. cit. pag.* 217. add. DN. LA CROZE, *entretiens sur divers sujets d'histoire, pag.* 283.

*** PETRUS ARETINUS Atheis ideo annumerari solet, quod auctor detestandi libri, *de tribus impostoribus*, esse creditur. THOMAS equidem CAMPANELLA in *atheismo triumphato*, Poggium potius Florentinum hocce nomine suspectum fuisse, indicat: THOMAS autem BROWNE, de *religione medici, sect. XIX.* Bernhardum Ochinum pro ejus auctore venditat: alii aliter sentiunt. Plerique tamen, infausti hujus foetus parentem PETRUM ARETINUM esse volunt, quibus etiam accedit THEOPHILUS SPIZELIUS, in *scrutinio atheismi pag.* 18. qui & MAR. MERSENNUM laudat, *commentar. in genes. pag.* 1830. asserentem, ex singulari amici cujusdam, qui librum legerat, indicio sibi constare, stilum esse Aretini. Sed dubitatum omnino fuit, & adhuc dubitatur, an unquam ejusmodi liber extiterit. Etsi enim Viri quidam docti hoc adfirment, ad amicorum, a quibus hoc acceperint, testimonia provocantes, alii tamen diserte hoc negant, quod & RICHARDUS SIMON facit, in *epistolis selectis, epist. XVII. pag.* 142. *seqq.* quibus & vir doctissimus BURCARDUS GOTTHELFF STRUVIUS noster suffragatur, in *dissertat. de doctis impostoribus*, §. *VIII.* & sequentibus; ubi recte simul docet, etsi ejusmodi liber nunquam editus sit, nefarium saltem ejusmodi jam pridem circumlatum apophthegma, cujus num Simon Tornacensis, an Fridericus II. Imperator auctor sit, copiose ibidem disquirit, sed ut utrumque, praesertim Fridericum Imperatorem, ab ista impietate liberet. Extare equidem hodie libellum manuscriptum sub hocce *de tribus impostoribus* titulo, & quidem Gallicana lingua, certum est, quippe quem ipsemet vidi, sed eum, omnibus istis, qui ejus auctores feruntur, longe recentiorem esse, jam observavi in *histor. eccles. vet. testam. ad period. II. sect. I.* §. *XI. pag.* 534. idque etiam confirmat vir doctissimus STRUVIUS, *loc. cit.* §. *XI. pag.* 20. Ad Aretinum itaque quod attinet, improbis & profanis moribus eum fuisse, non nego, idque & scripta ab eo edita testantur; Atheum fuisse, saltem ex eo, quod auctor fuerit libri de *tribus impostoribus*, frustra dicitur. (47)

(47) *Fabula de* Aretino, *libelli* de Tribus impostoribus *Auctore, dudum est explosa; eum Atheum non fuisse, constat ex libris pietatem docentibus & commendantibus, quos, ad majorem aetatem provectus, conscripsit; testimonia adfert* Baile *Dict. Crit. in V.* Aretin *Lit. I. Ast stilum summopere degenerasse, ubi pietatem erudire suscepit, observarunt plurimi, & dubium, an ex sincera persuasione de Religionis veritate fuerint profecta, quae Theologiam spectant; cum iisdem temporibus, quibus haec in lucem emisit, conscripserit quaedam obscoenitatis plenissima.*

* BRANDOLINUS (vel alii BRACCIALINUS, aut ut rurſus alii, JOANNES FRANCISCUS) POGGIUS, Florentinus, Eugenio atque Nicolao, aliisque Pontificibus, a literis ſecretioribus fuit, teſte PAULO JOVIO, in *elogiis, num. X.* Eum a THOMA CAMPANELLA pro auctore libri de *tribus impoſtoribus* habitum, antea jam obſervavimus. TOBIAS WAGNERUS, theologus Tubingenſis, Aretinum atque Poggium conjungit, & utrumque, communicatis conſiliis, librum de *tribus impoſtoribus* confeciſſe, contendit, in *examine elenchtico atheismi ſpeculativi, cap.* IV. §. XXII. *pag.* 8. 9. Sed rationes, quas adfert, hoc neutiquam evincunt. Quod de Aretino diximus, idem de Poggio cenſendum, a pietate omni, vita, moribusque alienum eum ſe demonſtraſſe; directe autem negaſſe Deum, aut talia docuiſſe, ex quibus hoc ſequatur, nondum mea opinione eſt probatum. Adeoque ad alteram potius, de qua mox dicemus, claſſem pertinebit.

** JORDANUS BRUNUS, Nolae in regno Neapolitano natus, Dominicanorumque primum ordini addictus, ob ſingularia in religione placita, relicta patria, Genevam primum ſe contulit: hinc varias Europae partes peragravit, & in variis quoque Academiis docuit, & philoſophemata ſua proponere auſus eſt; tandem vero Venetiis ab officio inquiſitionis comprehenſus, Romamque abductus, anno M DC ibi ob impietatem & blaſphemias combuſtus eſt. Non tantum vero abſona multa; ſed & blaſphema prorſus, adſtruere in ſcriptis ſuis allaboravit, cujusmodi ſunt: *mundos eſſe innumerabiles; animam de corpore in corpus, immo & alium in mundum migrare; unam animam bina corpora informare poſſe; Magiam eſſe rem bonam & licitam; Spiritum Sanctum eſſe nihil aliud, niſi animam mundi; mundum eſſe ab aeterno; Moſen miracula ſua per Magiam operatum eſſe, in qua plus profecerit, quam reliqui Aegyptii; eum leges ſuas confinxiſſe: ſacras literas eſſe ſomnium; diabolum ſalvatum iri; ſolos Ebraeos ab Adamo & Eva originem ducere, reliquos ab iis duobus, quos Deus pridie fecerat; Chriſtum non eſſe Deum, ſed fuiſſe Magum inſignem, & hominibus illuſiſſe;* & quae alia ſunt ejusdem generis βδελύγματα. Refert haec equidem CASPAR SCIOPPIUS, in epiſtola quadam de morte Jordani Bruni, quam vir clariſſimus BURCARDUS GOTTHELFF STRUVIUS noſter exhibet, in *actis litterariis ex manuſcriptis erutis, faſcic. V.* & DN. LA CROZE dans ſes *entretiens ſur divers ſujets d'hiſtoire, &c. pag.* 287. *ſeqq.* Sed nullum in hacce epiſtola, a SCIOPPIO, Bruno tribui dogma, quod non in ſcriptis ejus extet, oſtendit idem LA CROZE, *pag.* 304. *ſeqq.* ubi & principia hominis impii ex libro ejus de *immenſo* & *innumerabilibus*, exhibet, ex quibus liquet, eum per Deum nihil aliud, quam ipſam naturam, aut eſſentiam infinite extenſam, intellexiſſe, cujus neceſſitatem & aeternitatem probare annititur. Re ipſa itaque cum SPINOZAE inſania ſententia ejus convenit. Quod

autem

autem Dei nomine nihil aliud, quam natura ipſa, ei veniat, idem, quem jam laudavi, Vir doctiſſimus, ipſius Bruni verbis luculenter *pag.* 317. & 318. comprobat. Recte idem etiam obſervat, ſecundum Bruni ſyſtema, Deum non poſſe ullam materiae partem deſtruere, nec novam creare; nihil in mundo eſſe contingens; neceſſitatem autem materiae evidentius, quam Dei, demonſtrari poſſe; & nihilo ſecius ex exiſtentia Dei, ejusque operatione, ſuas eum probare opiniones; adeoque principio ad concluſiones ſuas probandas uti, quod per ipſas concluſiones iſtas, ſi verae eſſent, rurſus everteretur: idque ſophisma ipſi itidem cum Spinoza commune eſſe, *pag.* 316. 317. Nec praetermittendum, quod eidem auctori obſervatum, Brunum ſubſtantias ſpirituales admittere, quos deos & daemonia vocet, *deos* quidem, *qui ex ſimplici lucis ſubſtantia compoſiti ſint, quive votis & juſtitia delectentur*; *daemonia* autem *ex aqua & ſpiritu, quae delectentur ſanguine.* Quod itidem, ſi nonnullis credimus, ſyſtemati Spinozae non repugnat. Etenim, ſi materia, quae unicam illam ſubſtantiam Spinozae conſtituit, cogitans ſtatuatur, non magis, ex horum mente, ἀδύνατον eſt, dari ſubſtantias cogitantes inviſibiles, quam dati homines unicae iſtius ſubſtantiae modificationes. Qua de re in ſequentibus plura. Intelligere hinc licet, non obſtare quicquam, quo minus Atheus & ſuperſtitioſus ſit: idque & Bruni hujus exemplo liquet, qui circa ſpirituum adparitiones, veneficia & artes magicas, ad ſtultitiam usque credulus fuit. Idem lingua Italica librum ſcripſit, cui titulus: *Spaccio della beſtia triomfante*, in quo impia ſua deliria velut unico faſce complexus eſt, & ſubinde trium impoſtorum meminit: unde JOANNES TOLANDUS in eam ingreſſus eſt ſententiam, hunc ipſum illum de *tribus impoſtoribus* librum eſſe, qui tantum in orbe ſtrepitum dedit: qua de re, quem ſaepe jam laudavimus, LA CROZE, multa erudite monet, *pag.* 326. *ſeqq.* quae legiſſe poenitebit neminem. (48)

(48) Jordanum Brunum *plurimos foviſſe, ſcriptiſque ſuis, inſeruiſſe errores, extra dubitationis aleam eſt conſtitutum: verum de ipſius Atheiſmo vehementer diſputatum inter* Heumannum & de la Croze. Heumannus, *ſcilicet, in* Hiſt Philoſ. Vol. 2. *p.* 380. ſeqq. Brunum *defendere ſtuduit, quem refutare annisus fuit* de la Croze *in peculiari Epiſtola, occurrente in eodem Volumine* Heumanniano *pag.* 792. ſeqq. *Nullo certe modo conſtat*, Brunum *ob Atheiſmum fuiſſe combuſtum; poenam illam (ſi modo eâ fuit adfectus) paſſus videtur ob Apoſtaſiam, qua ab Eccleſia Romana ad Lutherana Sacra tranſierat. Quin imo non conſtat*, Brunum *eſſe verum Auctorem Libri* Spaccio della beſtia triomfante; *nec Atheiſmum in eo doceri demonſtratum eſt*, *Vid.* Bayle *Dict. Crit. in V.* Brunus *Lit. D. Neque in omnibus illis locis, quae Cl.* de la Croze *adduxit in memorata Epiſtola, ut demonſtret* Brunum, *naturam unam, ſeu*

 uni-

universum unum esse Deum, statuisse, aliquid invenitur, quod Atheismum redolet; & si combustus fuerit ob haeresin, cum redire ad Ecclesiam Romanam recusabat, quis quaeso hoc ab Atheo exspectaret?

*** De PETRO POMPONATIO, Mantuano, qui circa finem decimi quinti, & initium decimi sexti seculi vixit, Pataviique magna celebritate philosophiam docuit, diversa extant Virorum doctorum judicia; quemadmodum nec ipsi ejus adversarii, quos, dum adhuc vivebat, expertus est, unam eandemque de eo foverunt sententiam. Nonnulli namque, quos inter & AUGUSTINUS NIPHUS fuit, qui librum contra eum scripsit, eum citra ambages Atheis annumerabant, idque praecipue ob negatam animae humanae immortalitatem. Sed JOANNES quoque WIERUS ab Helidaeo Foroliviensi, Pomponatii discipulo, non semel se accepisse, testatur, eum fuisse Atheum, quanquam idem, sperare se, eum resipuisse, addat: de *praestigiis daemon. lib. VI. pag.* 569. Eandem sententiam secutus est GABRIEL NAUDAEUS, si auctori *Naudaeanorum* credendum, quae tamen revocatur, in *additionibus & correctionibus ad Naudaeana, pag.* 163. Sed DANIEL quoque GEORGIUS MORHOFIUS Atheis eum annumerat, immo pro magistro recentiorum Atheorum habet. Cum enim dixisset, *inter primos fere fuisse Pomponatium, qui Atheismi semina sparsit, & ex ejus schola Jul. Caesarem Vaninum prodiisse*, addit: *Eandem, quam Vaninus, viam insistit Pomponatius omnium magister, e cujus pharetra omnia illa tela desumta sunt, quibus nunc utuntur Spinozae & Hobbesii, & quicunque in uno illo ludo ad nequitiam docti sunt; polyhistor. tom. II. lib. I. cap. XI. §. IV. pag.* 55. Atque ita quidem Vir ille doctus, cum tantum Pomponatii de *incantatione* librum legisset, pronuntiat. De quo quid censendum sit, ex dicendis constabit. Aliter tamen de Pomponatio judicat, qui itidem ex adversariis ejus fuit, ex discipulo antagonista ejus factus, CASPAR CONTARENUS, cujus & judicium calculo suo adprobat THEOPHILUS RAYNAUDUS, hac de re ita verba faciens: *Non absolute ac simpliciter mortalem animam censuisse videtur Pomponatius, sed duntaxat, si ratio nuda consuleretur, ut liquet ex opere Contareni, Cardinalis, de immortalitate, conscripto adversus Pomponatium, ipsius quondam Contareni in philosophicis magistrum. Nec aliud censuerim, voluisse illos ejusdem aevi philosophos, damnatos a Lateranensi concilio, sub Leone X. &c.* de *bonis & malis libris, num. XLII. pag.* 25. *seqq.* GUILIELMUM GRATAROLUM, Medicum Italum, Pomponatii defensionem eundem in modum in se suscipientem, laudat, eique ὁμόψηφον se profitetur GISBERTUS VOETIUS, ad augendum ceteroquin, quam imminuendum Atheorum numerum pronior, *dissertat. de Atheismo, tom. I. dissertat. selectar. pag.* 196. *seqq.* Ex instituto vero Pomponatium ab Atheismi crimine liberat PETRUS BAELIUS, *dictionar. histor. crit. voc. Pomponatius; pag.* 2470. *seqq.* & qui eum sequitur, JO. GOTTLIEB

OLEA-

OLEARIUS, in *dissertat. de Pomponatio*, Jenae anno MDCCIX habita. Sane, quod ad librum ejus de *immortalitate animae* attinet, qui primam huic accusationi occasionem dedit, cum non semel, sed saepius profiteatur, se animae immortalitatem firmiter credere, quia Scriptura sacra eam asserit, hoc saltem se negare, quod secundum principia philosophiae Aristotelicae demonstrari queat, non video, quo pacto inde Atheismi labes ei adspergi possit. Inurenda eadem impietatis nota viris longe praestantissimis, etiam nostrae ecclesiae Theologis, esset, qui ex sola Scriptura sacra, non aeque ex ratione, animae humanae immortalitatem firmiter demonstrari posse, asseruere. Mysteria praeterea cuncta ex sola Scriptura constant, neutiquam ex ratione: nec profecto, qui, ex ratione ea probari posse, negat, statim ea in dubium vocare censendus est. Interim tamen, ne quid diffitear, fieri potuit, ut Pomponatius ad caliginem adversariis offundendam hoc adfirmaret, se Scripturae, de animae humanae immortalitate testanti, fidem adhibere. Nec enim insolens, ut profani homines ejusmodi impietati suae πρόφασιν quaerant. Sed istud de intimis cordis humani recessibus quis sibi arrogabit judicium? Non minorem accusationi de Atheismo speciem praebuit liber de *incantationibus*, quippe in quo non tantum iis, quae de magicis artibus vulgo narrantur, fidem denegavit, sed miracula quoque in dubium vocare visus est, hominibus quibusdam nescio quam virtutem naturalem talia efficiendi, quae pro miraculis habentur, tribuens. Verum, etsi quaedam miracula ex causis naturalibus explicare annitatur, idque perperam, omnia tamen eum negasse miracula, dici nequit. Contrarium ex verbis, quae ab aliis jam producta sunt, & *cap. VI. pag.* 87. extant, liquet: *Quanquam alia, quae referuntur esse facta, tam in historia legis Mosis, quam legis Christi, superficialiter reduci possunt, in causam naturalem; tamen multa sunt, quae minime in talem causam reduci possunt; veluti est de resurrectione Lazari quatriduani, & jam foetentis; de coeco a nativitate illuminato; de saturatione tot mille hominum ex quinque & duobus piscibus, &c.* Atque ex hisce, quo jure Pomponatius inter Atheos referatur, judicare licebit. (49)

(49) *Id saltem fuse demonstrat* Bruckerus (*Hist. Crit. Phil. Tom.* 4. *P.* 1. *pag.* 166. *seqq.*) *qui accuratius* Pomponatii *scripta, rarius occurrentia, perlustravit, quam ipsius Antecessores,* Pomponatium *Aristotelem praetulisse Paulo, ipsique Christo; omnem de praedestinatione doctrinam incertissimam pronuntiasse: praecipuos vero & periculosissimos ejus errores reperiri in Libro* de incantationibus *paucis ex ipsius Adversariis, paucis forte ex ipsius Defensoribus viso. Verum si omnia in unam colligamus summam accusationum capita, nullo modo liquet, eum inter Atheos primi ordinis, de quibus hic praesertim est quaestio, potuisse numerari; licet ad Scepticismum & Naturalismum fuerit proclivior*

clivior; Conf. Heumann. *in* Act. Philoſ. Faſcic. IX. *ſive* Tom. II. p. 327 - 380.

* JULIUS CAESAR VANINUS, Petri Pomponatii diſcipulus, ſed magiſtro, & ipſo non ſatis bono, longe deterior; Tauriſani in Apulia natus, cum ingenium non adeo contemnendum litteris excoluiſſet, & Ariſtotelicae cumprimis philoſophiae diligentem navaſſet operam, hinc autem relicta patria varias Europae regiones peragraſſet, editisque ſcriptis variis, ingenii & eruditionis laudem ſibi comparaſſet, tandem Tholoſae anno M DC XIX, ut Atheus combuſtus eſt. Supplicium ejus deſcribit GABRIEL BARTHOLOMAEUS GRAMONDUS, *hiſtoriar. Galliae ab exceſſu Henrici IV. libr. III. pag.* 210. *ſeqq.* Diligenter quoque de vita, fatis & ſcriptis Athei hujus celeberrimi, nuper egerunt viri quidam doctiſſimi, JOAN. MAURITIUS SCHRAMM, in *tractatu ſingulari de vita & ſcriptis famoſi athei, Julii Caeſaris Vanini, in quo genus, mores & ſtudia, cum ipſa morte horrenda e ſcriptis ſuis rarioribus & fide dignis auctoribus aliis ſelecta ſunt, &, ne cui offendiculo ſint, errores ejus ſimul refutati; Cuſtrini M DCC IX.* 4*to.* DN. LA CROZE, dans ſes *entretiens ſur divers ſujets d'hiſtoire pag.* 337. *ſeqq.* JOAN. GOTTLIEB OLEARIUS, in *duabus diſſertationibus Julii Caeſaris Vanini,* Jenae anno M DCC VIII habitis, & cumprimis auctor *apologiae pro Julio Caeſare Vanino Neapolitano*, anno M DCC XII editae, de qua deinceps plura. Cum Lucilii nomen a patre accepiſſet, ipſe deinceps Julius Caeſar vocari maluit, quod ineptiſſimae ambitionis argumentum eſt; cujusmodi plura in ſcriptis ejus occurrunt. Ad Atheismum ejus quod attinet, non deſunt, qui eum ab hocce crimine prorſus abſolvunt, ſuppliciumque quod perpeſſus eſt, in artes malevolorum, quos expertus eſt, & tyrannidem cleri, conferunt. In eam ingreſſus eſt opinionem GOTHOFREDUS ARNOLDUS, in *hiſtoria haereſ. part.* II. *lib.* XVI. *cap.* XVI. §. IIX. *ſeqq. pag.* 601. *ſeqq.* cumprimis autem auctor *apologiae pro Julio Caeſare Vanino Neapolitano*, anno M DCC XII Coſmopoli editae, qui tam erudite, tamque ingenioſe hac in re verſatur, ut peſſima etiam cauſa nunquam meliorem habuiſſe defenſorem jure dici queat. Alii, eum omnino Atheum fuiſſe, contendunt, juſteque adeo damnatum; at ex ſcriptis ejus diſerte atque aperte hoc colligi poſſe, negant. Primum inter ſcripta ejus, quae Viris eruditis, qui de eo ſententiam pronuntiarunt, in manus venerunt, & hic in cenſum veniunt, eſt *amphitheatrum* ejus *providentiae divino-magicum, chriſtiano-phyſicum, nec non aſtrologo-catholicum, adverſus veteres Philoſophos, Atheos, Epicuraeos, Peripateticos, & Stoicos, &c.* Lugduni anno M DC XV editum. Id ſane variis doctorum hominum ſuffragiis munitum prodiit, quos inter JOANNES CLAUDIUS DE VILLE, cenſor libri, ſe hocce opus evolviſſe, profitetur, *nihilque in eo a catholica & Romana fide alienum, ſed cum peracutas, tum pervalidas ratio-*

rationes juxta sacram sublimiorum in sacra theologia magistrorum doctrinam (o quam utiliter) contineri. Sed & GEORG. DANIEL MORHOFIUS, de Vanino verba faciens, *amphitheatrum ejus*, inquit, *sanum est, ac subtiliter pro animae immortalitate disputat, polyhist. tom.* I. *libr.* I. *cap.* VIII. *pag.* 79. Alia libri hujus, ceterorumque Vanini scriptorum, elogia colligit auctor *apologiae pro Jul. Caesar. Vanino pag.* 34. Licet autem liber hicce initio cum elogiis & adprobationibus munitus prodiisset mox tamen damnatus, & tum in Gallia, tum alibi, ne recuderetur, prohibitum est, teste THEOPHILO RAYNAUDO, *erotem. de bonis & malis libris, pag.* 20. Alter Vanini, de *admirandis naturae reginae deaeque mortalium arcanis*, liber, qui Lutetiae anno M DC XVI lucem adspexit, variis itidem censorum suffragiis fuit adprobatus. Plures tamen mox vel ipso titulo offendit, qui naturam ipsam pro Deo venditare videtur. GEORGIUS DANIEL MORHOFIUS, qui Amphitheatrum Vanini sanum judicaverat, de hisce ejus dialogis longe aliter pronuntiat: *Vanini dialogi istud Atheismi virus sub dialogorum forma tegunt, in quorum titulo disertis verbis natura, Dea & regina dicitur, quae in privilegio regio, quod mirum, repetuntur, l. c.* Nihilosecius non tantum auctor *apologiae pro Vanino*, & huncce ejus librum innoxium judicat, sed idem etiam facit JO. GOTTLIEB OLEARIUS, *dissertat. post. de scriptis & opinionibus Vanini.* §. *XI.* Immo & JOANNES DIECMANNUS generatim de omnibus scriptis Vanini in mitiorem partem pronuntiat, de *naturalismo Bodini, pag.* 24. Mihi autem in utroque jam libro, apertius tamen in *dialogis*, quam *amphiteatro*, Atheismi venenum sparsisse videtur. Sane, quae ejus de religione Christiana sententia fuerit, vel inde liquet, quod existimat, Christianos, utpote e legitimo matrimonio, a Paulo Apostolo ut sacramentum commendato, natos, non posse non esse stupidos simplicesque, adeoque ad religionem Christianam, quae tales postulet, plane aptos, cum beatitudo illis, qui sunt *pauperes spiritu*, promittatur; *dial. de naturae arcanis, pag.* 321. 322. *item* 354. 355. Immo, cum de variis Servatoris nostri actionibus ita disseruisset, ut eas risui omnium exponeret, tandem per execrabilem ironiam concludit: *Sapientissima haec sunt Christi acta, loc. cit. pag.* 358. Atque hinc facile colligere licet, quo animo in *amphiteatro*, rejectis, aut explosis, evidentissimis existentiae Dei demonstrationibus, elumbes & nugatorias probationes in earum locum substituerit; item, quo consilio objectiones Atheorum tam diligenter recenseat, nulla aut jejuna admodum iis addita responsione, ut victoriam data opera illis concedere videatur. Haud nescio, ex eo, quod aliquis parum accurate ad rationes Atheorum respondeat, non posse quenquam Atheismi argui, cum & ingenii, non autem voluntatis, hoc vitium esse queat. Meminisse tamen & ejus oportet, quod vulgo dici solet, duo cum faciunt idem, non est idem. (50) Sed plura non addo, cum DN. LA CROZE ex

ſcriptis Vanini luculenter jam evicerit, eum Atheiſmi ſuſpicionem neutiquam declinare poſſe; *entretiens ſur divers ſujets d'Hiſtoire, &c. pag.* 348. qui & *pag.* 344. recte pronuntiat, Atheiſmum Vanini chaos aliquod eſſe, ex philoſophia Peripatetica, ſomniis Averrois, & aſtrologia judiciaria conflatum. Quanti Ariſtotelem fecerit, auctor *apologiae pro Vanino pag.* 3. hiſce verbis teſtatur: *Philoſophiae vero placitis delinitus, nunquam ſine ambitioſa laudis commemoratione Ariſtotelis meminiſſe poterat. Hic ei philoſophorum Deus, humanae ſapientiae dictator, ſapientum Pontifex maximus; hunc mente, oculis, manibusque ferebat; huic ſe plane dederat.* Suo ergo exemplo, & Vaninus comprobavit, pleroſque ea aetate Atheos ex Ariſtotelica diſciplina prodiiſſe. Etſi autem, Vaninum Atheum fuiſſe, idque ex ſcriptis quoque ejus eluceſcere, exiſtimem, non tamen omnia, quae de eo vulgo narrantur, & lubrico ut plurimum fundamento nituntur, adprobo. Huc inter alia & illud refero, quod librum de *tribus impoſtoribus*, recudi curaverit. Praeterea inter argumenta, quae ſubinde ab aliis allata ſunt, ut Atheiſmi convinceretur, nonnulla eſſe, quae id minime probant, lubens concedo, idque rectiſſime oſtenſum ab auctore *apologiae pro Julio Caeſare Vanino.* Multo minus modum procedendi, quo adverſarii ejus adverſus eum uſi ſunt, vitio caruiſſe exiſtimo, aut omnibus, quae GRAMONDUS, aut alii, ex adverſariorum ejus relatione narrarunt, fidem adhibendam cenſeo. Fieri etiam potuit, ut, cum coram judicibus exiſtentiam Dei probaret, ad meliorem jam mentem reverſus eſſet, deinceps vero, cum nihil ſe proficere videret, per deſperationem ſummam ad vomitum rediret. Legenda, quae hac de re diſſerit LA CROZE, *loc. cit. p.* 374. *ſeqq.*

(50) *Si omnia perpendamus, quae contra* Vaninum *vulgo adferuntur, & ab altera parte ea, quae ab ejus defenſoribus fuerunt propoſita, collecta a Cl.* Bruckero *Hiſt. Crit. Phil. Tom. IV. P.* 2. *pag.* 670. ſeqq. *concludere licet, ipſum fuiſſe hominem vana ambitione turgidum, paradoxorum amantem, fluctuantis ingenii, judicii non admodum acris, imo usque adeo deſipientem, ut Morotrophio potius, quam poena capitali eſſet dignus. Conf.* Heumann. *in Actis Philoſ. Vol.* 1. *pag.* 600. ſeqq. *Act. Erud. Lipſ. A.* 1709. *pag.* 260. ſeqq. & *A.* 1718. *pag.* 230. ſeqq.

** Inter eos, quos Julius Caeſar Vaninus plurimi fecit, haud ultimum locum tenet HIERONYMUS CARDANUS, quippe cujus effatum notiſſimum: *Chriſtiani Jovem junctum habent cum ſole, illiusque diem colunt dominicum; ſol autem ſignificat juſtitiam ac veritatem; Chriſtiana autem lex plus continet veritatis, & ſimpliciores reddit homines, in Ptolom. de aſtrorum judicio libr. II. theſ.* 54. ſubinde repetiit; vid. *dial. de arcanis, pag.* 354.

Fuit

Fuit autem Cardanus Medicus & Philofophus feculi decimi fexti celeberrimus, & ob vitae, quam tenuit, rationem plane fingularem, quam ipfemet in libro de *vita propria*, ex bibliotheca GABRIELIS NAUDAEI, Parifiis MDCXLIII edita, defcripfit, memorabilis. Patuit autem ipfius exemplo, per aftrologiam judiciariam ad deliria prorfus impia homines abripi poffe. Namque non tantum religionum fata, fed & ipfius Chrifti Servatoris nativitatem ex aftrorum derivare pofitu, ftolido non minus, quam profano conatu aufus eft. Nec tamen primus fuit, qui Chrifti nativitatem aftris tribueret, etfi ipfe tam infani commenti primus inventor videri vellet, cum jam alii ante ipfum fimile quid tentarint; qua de re in fequentibus erit dicendi locus. MARTINUS DELRIO auctor eft, Cardanum peculiari libro mortalitatem animae afferuiffe, quem amicis interdum oftenderit, non tamen in lucem emiferit, *disquifit. magic. tom. I. libr. II. qu. XXVI. pag.* 258. (51) In medio hoc relinquit THEOPHILUS RAYNAUDUS, immo fortaffis confictum effe, concedit, eo quod librum de *animarum immortalitate* fcripferit, Lugduni MDCXLV editum. Quanquam cum eo ipfo opere, *cap. XIII. pag.* 280. aperte prodat, *fato fe ac monitis prohiberi, reliqua dicere, quae de anima fentiret*, fufpicionem hinc effe, RAYNAUDUS afferit, *hunc polypum ad eam fcriptionem metu infamiae adactum, vere anterius tale quid fcripfiffe contra animae immortalitatem, quale nonnulli referunt, idque doctrinae venenum ejus in pectore, etiam poft editum eum, quem retuli, librum delituiffe.* Hifce alia quaedam addit, tandemque concludit: *In fumma, tam multis, tam tetris, horrendisque propofitionibus omnes fere libros fuos inceftavit Cardanus, ut fuffixioni meritiffimo patere poffet, tanquam homo nullius religionis ac fidei, & inter clancularios Atheos fecundi ordinis in quo verfamur, aevo fuo facile princeps; erotemat. de bonis & malis libris, pag.* 27. Eo minus autem injuria Cardano fieri videtur, fi inter Atheos referatur; quod de fe ipfo diferte profitetur, *fe parum pium fuiffe, de vita propria, cap. XIII. pag.* 59. Sed hoc cum de cultu Numinis haud dubio intelligat, inde nondum evincere licet, eum fuiffe Atheum. Plurima potius occurrunt, quae fuadent, fuperftitioni eum ad ineptias usque deditum fuiffe. Huc inter alia & illud pertinet, quod de *vita propria, cap. XXXVII. pag.* 266. de feipfo refert: *Laborabam, & jam diu ad defperationem vitae usque laboraveram, ut alias dixi, empyemate illo notho. Legeram in collectis a patre meo, fi quis hora matutina VIII. kalendas Aprilis exoraret Virginem fanctam, ut Filium rogaret pro re licita, genibus flexis, adjecta oratione dominica, nec non falutatione virginis Angelica, obtenturum, quod petierit: obfervavi diem horamque, peregi fupplicationem, & non tunc ftatim, fed die corporis Chrifti, eodem anno liberatus prorfus fum.* Multa praeterea in fcriptis ejus occurrunt, quae ab Atheismi fufpicione eum liberant, quae in compendio SAMUEL PARKERUS adduxit, qui & recte tandem mea opinione pronuntiat, eum

non omnino Atheum, sed totum fanaticum fuisse, de Deo & providentia divina disput. I. sect. XXV. pag. 77. cui judicio & PETRUS BAELIUS subscribit, *diction. histor. crit. voc. Cardanus, pag.* 803. 804.

(51) *Superstitiosos inter potius est* Cardanus, *quam inter Atheos, censendus, quod agnovit & egregie demonstravit non tantum* Parkerus, *liberalis caeteroquin & diligens in Atheismi nota inurenda*, Disp. de Deo *I.* §. 25. *Verum etiam* Bruckerus *Hist. Crit. Phil. T. IV. P.* 2. *p.* 77. seqq. *ut &* Reimmannus *Hist. Atheismi pag.* 365. seqq. *Pleraque eorum, quae de fanatico hocce, sed eruditionis laude non defraudando, proponit Cl. Auctor, hausta sunt ex* Baile *loc. cit. conf. Cap.* 9. §. 4.

*** Singulari THOMAM CAMPANELLAM, qui Styli, quod est Calabriae oppidum, anno M D LX natus, cum adolevisset, Dominicanorum se addixit ordini, fuisse ingenio, sed fata quoque eum singularia expertum, ex iis, quae JANUS NICIUS ERYTHRAEUS, *pinacoth. I. pag.* 41. de eo disserit, notum est. Varia paradoxa cum libris suis inseruisset, in Atheismi suspicionem tamen maxime venit ob librum, cui titulum fecit: *Atheismus triumphatus*, quique Parisiis anno M DC XXXVI editus est, quemque *Atheismum* potius *triumphantem* dicendum, jam pridem Viri docti censuerunt. Certe plura ad evertendam, quam defendendam religionem Christianam in eo occurrere, res ipsa docet. Legenda, quae de eo observat LA CROZE, *entret. sur divers sujets d'histoire, &c. pag.* 381. Ipse quidem, opus hocce cumprimis contra *antichristianismum Machiavellisticum* se scripsisse, vult videri; idque in ipso titulo profitetur; sed sub alia saltem forma eum impia Machiavelli dogmata produxisse, recte jam observatum JO. HENRICO BOECLERO, *Qualibus larvis Thomas ille Campanella, novae religionis, ut jactitat, repertor, revera autem ad Callicatris instar, homo callidus, & ad fraudem acutus, sine ulla religione ac fide, publicis judiciis voluit imponere. Cum enim vidisset, Machiavellum ob vafra & improba ejusmodi consilia apud plerosque vapulare, ipse velut mangonio quodam adornata, quae Machiavellus nuda protulerat, ita denuo in theatrum induxit, ut & reprehenderet subinde Machiavellum; & Machiavelli tamen placita sedulo sub diversis nominibus teneret; comment. in anal. Taciti libr.* I. *cap.* II. §. VII. *pag.* 100. Extat epistola Campanellae ad Casparem Scioppium, praefixa *Atheismo triumphato* in codice Msto Academiae Jenensis, a viro clarissimo BURCARDO GOTTHELFF STRUVIO edita, in *actis litterariis ex manuscriptis editis, fascic.* II. *p.* 39. *seqq.* in qua Campanella fata sua exponit, simulque non dissimulat, talis sibi ab adversariis objecta, quae Atheismi & impietatis eum arguerent. *Deinde*, inquit, *accusarunt me, quod composuerim librum de tribus impostoribus, qui tamen invenitur typis excusus annos triginta ante ortum meum ex utero matris.* Quae si vera essent, dubitari

non

non possest, librum ejusmodi revera existere. Sed pergit: *Deinde, quod sentirem cum Democrito: quoniam ego jam contra Democritum libros edideram. Item, quod de ecclesiae republica & doctrina male sentirem, cum tamen ipse de monarchia christianorum scripserim, ubi ostendi, nullum philosophum potuisse sic rectam depingere rempublicam, ut Romae ab apostolis instituta est; &c. pag.* 74. 75. Cumprimis adhuc observatu dignum puto, quod addit: *Omitto, quanta scripserim contra Peripateticismum, qui est zizania euangelii & officina Machiavelli.* Namque vel hinc intelligitur, multorum judicio, nec sine ratione Atheismi tum erumpentis fontem, philosophiam Ethnicam, speciatim Peripateticam, habitam fuisse. Cuncta autem, ad Campanellam quod attinet, si accuratius pensitavero, eum inter eos Atheos, qui directe Numinis existentiam negarunt, referendum non esse, existimo, hominem tamen profanum, religionisque expertem, & ad absona quaevis defensitanda paratum fuisse, negari prorsus nequit. Ita & DN. LA CROZE de eo pronuntiat, *entret. sur divers sujets d'histoire, pag.* 382. *seqq.* (52)

(52) *Prae reliquis de Atheismo, cujus a quibusdam* Campanella *fuit accusatus, consuli possunt* Bruckerus *Hist. Crit. Philos. T. IV. P. II. pag.* 124. seqq. Heuman *in Act. Philos. Vol. I. pag.* 545-566. Reimmanus *in Hist. Ath. pag.* 377. seqq. *qui ex ipsius scriptis concludit* 1^mo^ *non minora superstitionis, quam Atheismi in iis reperiri vestigia,* 2^do^ *eum, tot annis captivum, tot accusatoribus circumseptum, tot tormentis dilaceratum, nec Atheismi, nec aliorum criminum convinci potuisse,* 3^tio^ *eum in syntagmate de Libris propriis Cap.* 2. *pag.* 380. seqq. 386. *risisse Atheos, eosdemque se refutasse profiteri. Addatur* Capasso *Hist. Philos. pag.* 391. seqq. *qui rem acu tetigisse videtur, quando dicit* acri fuit ingenio, sed prudentia destituto, linguâ liber, naturâ inquietus, animo turbidus.

* NICOLAUM MACHIAVELLUM, politicum illum Florentinum longe notissimum, passim inter Atheos referri videas. Ipse PAULUS JOVIUS, cum fata ejus duriora descripsisset, addit: *Fuit exinde semper inops, uti irrisor & atheos, &c. in elogiis pag. m.* 194. THEOPHILUS RAYNAUDUS, cum Atheorum, quos vocat, clanculariorum, tertium ordinem eorum statuisset, qui religiosum cultum eatenus probandum & retinendum censent, quatenus ad continendos populos in civili disciplina & obedientia politica, potest conducere, primum in eo locum Machiavello tribuit. *Tertiae,* inquit, *classis ductor omnium consensu est Machiavellus, libris discursuum, ac de Principe; usque eo tetris ac projectae in religionem ac sancta omnia audaciae, ut ipsi quoque sectarii in eum calamos strinxerint, & omni studio libros ejus exterminandos esse sint professi; erotem. de bonis & malis libris, p.* 27. Censoribus equidem Machiavelli, quos

plurimos nactus est, non temere est credendum, cum inter eos sint, qui ne scripta quidem ejus legerunt, aut, si legerunt, non intellexerunt, aut ipsi tandem, quid in eo laudandum, quid vituperandum sit, nesciunt. Exemplo esse potest ANTONIUS POSSEVINUS, Jesuita haud incelebris, cujus instinctu maxime a Romana Inquisitione damnatus fuit Machiavelli *Princeps*, quem tamen ne quidem ei lectum fuisse, luculenter ostendit HERMANNUS CONRINGIUS, in *epistola ad Gebhardum ab Alvensleben*, Machiavelli *Principi*, cum ejus animadversionibus edito, praemissa. Addit deinde idem CONRINGIUS: *Si in alios porro Machiavelli damnatores accuratius inquiramus, non est etiam fortassis, quod eorum vel magnus numerus, vel auctoritas usque adeo quem statim in consensum abripiat. Certe res ipsa loquitur, eorum maximam copiam damnare, ne lecta sibi quidem, haud paucos judicii inopia prodita, jam decoxisse existimationem; complures denique non nisi in speciem, & ut fucum vulgo faciant, Machiavellica detestari, &c.* Verissima quidem haec sunt, nec tamen ideo existimandum, injuriam fieri Machiavello, si impietatis accusetur. De religione enim, speciatim Christiana, non adeo praeclare eum sentire, tum ex *discursibus* ejus *in Livium*, tum ex libro, cui titulus, *Princeps*, satis superque constat. Nec diffitetur id, quem jam laudavimus, vir summus, HERMANNUS CONRINGIUS. *At vero*, inquit, *me quoque fatente, illa quidem Machiavelli accusatio justa est, quod sacrorum nostrorum obtrectator ille fuerit; passim enim ille denudat hunc suum animum impium, quantumvis nonnunquam simulet aliud, aut vero coactus sanctimonia religionis nostrae, quae ipsi impietati oculos perstringit, & dat illam in ruborem, alia docuerit.* Huc inter alia & illud referas, quod Machiavellus docet, doctrinam Christianam reipublicae rationibus non convenire. Hoc enim si quis illi credat, non potest non etiam optare religionem, qua reipublicae rebus rectius consulatur. Quantopere vero hac in re fallatur, a me jam ostensum, in *dissertat. de concordia religionis Christianae statusque civilis, cap. II. §. II. & V.* Praeterea & illud vel maxime, nec sine ratione, in Machiavello reprehendi solet, quod vim roburque virtutis ac honesti infregerit, dum non omnia tantum ad utilitatem referre Principem suum docuit, sed pro virtute solida simulationem virtutis commendaverit, si eam utilitatis ratio postulet, immo a virtutis Regia via subinde deflectendum Principi suaserit, si sua salva esse velit. Non desunt equidem, qui ista ejus asserta aut emollire, aut excusare annituntur; a quibus tamen iterum recte dissentit HERMANNUS CONRINGIUS: *ego tamen*, inquit, *ingenue fateor, deprehensam etiam a me in variis Machiavelli scriptis minus rectam illam doctrinam, cujus nomine ille adeo male audit. Ut enim haud negaverim, sine malis artibus ejusmodi teneri haud posse inique parta imperia, nefas tamen est, illas in promiscuum usum principibus omnibus, immo omnibus rebus publicis commendare, id quod fecit Machiavellus.*

Cer-

Certum eſt, nec ſolum, nec primum fuiſſe Machiavellum, qui talia docuit. Immo ipſum ARISTOTELEM, ne quid de aliis, tum Philoſophis, tum Hiſtoricis, & inter hos de C. CORNELIO TACITO dicam, jam pridem eadem docuiſſe, Machiavellumque ſua ex ARISTOTELE deſumſiſſe, idem, quem jam aliquoties laudavimus, HERMANNUS CONRINGIUS, non minus magnus Ariſtotelicae philoſophiae ſtator ac vindex, quam ingenuus & cordatus Machiavelli cenſor, *introduct. in polit. Ariſtot. cap. III. pag.* 683. pronuntiat. *Nicolaus Machiavellus*, inquit, *cymbalum illud politicarum artium, nullum fere dominatus arcanum conſilium principem ſuum potuit docere, quod non dudum ante ad tyrannidem & dominatum conſervandam facere, Ariſtoteli libr. V. (politicorum) ſit obſervatum. Quin ſua omnia vaſerrimus hic nequitiae doctor diſſimulato plagio ex Ariſtotele fortaſſe tranſſcripſit: eo tamen diſcrimine, quod hic impie & imprudenter omni principi commendet, quae nonniſi dominis ac tyrannis convenire, longe rectius & prudentius ſcripſerat ante Ariſtoteles.* Negandum praeterea non eſt, cum ipſa hoc doceat experientia, pleroſque Principes rerumque dominos, ſuo id hodie comprobare exemplo, quod Machiavellus docuit. Quid vero de Principibus dico? Quotus quisque etiam privatae ſortis hominum eſt, qui non omnia ad utilitatis ſuae rationem referat, & virtuti tantum tribuat, quantum hoc rebus ſuis expedire credit? Ita ergo cum omnes Machiavellum deteſtentur, revera nihil aliud agunt, quam quod Machiavellus docuit. Quare quod de Mathematicis, ſeu Aſtrologis C. CORNELIUS TACITUS pronuntiavit, *hiſtor. lib. I. cap. XXII.* recte etiam de Machiavelliſmo dixeris: *vetabitur ſemper & retinebitur.* Licet ergo Machiavellus directe, quantum conſtat, exiſtentiam Numinis non negaverit, aut impugnaverit, hominem tamen profanum, nullius religionis, nullius fidei fuiſſe, taliaque, quibus homines ipſi ſimiles redderentur, docuiſſe, ex hactenus dictis conſtat. Solent & alia de eo circumferri, ex quibus Atheiſmi & impietatis convinci queat, ſed ea non ſatis certa ſunt; cujusmodi illud eſt, quod THEOPHILUS SPIZELIUS refert, in *ſcrutinio Atheiſmi hiſtorico-aetiologico pag.* 132. Legendus & de eo PETRUS BAELIUS, *diction. hiſtor. crit. voc. Machiavellus, pag.* 1958. *ſeqq.* (53)

(53) *Licet concederemus*, Machiavellum *in ſuo Principe ſerio ſcripſiſſe, licet erraſſet* Verulamius, *de Augment. ſcientiarum L. VII. Cap.* 2., *cum ſcriberet*, eum aperte & indiſſimulanter protuliſſe, quod homines facere ſoleant, non quod debeant; *non tamen inter Atheos, de quibus hic ſermo eſſe deberet, foret numerandus ideo, quia peſſimas Tyrannorum artes vividiſſimis pinxit coloribus, quia, ſecundum nonnullos, non ſatis reverenter Deum habuit & liberius dicta paſſim occurrunt in ejus ſcriptis, praeſertim* in Principe, *quorum venenum indicatum fuit a pluribus, ſed omnium optime haud ita pridem a Regiâ, ut creditur,*

manu

manu. Conf. Becman *in Medit. Polit. C.* 1. §. 8. *&* Bruckerus *l. c. pag.* 784--793. Reimmannus *Hist. Ath. pag.* 355. seqq *qui recte notavit, ejus scripta per integrum fere seculum sine Atheismi suspicione fuisse lecta, eumque nunquam Numinis existentiam oppugnasse; adeoque ad summum inter* secundi ordinis *Atheos referri deberet. Verum in ejus operibus Religio quidem politice consideratur, tanquam vinculum societatis civilis, nullibi vero reperi, quae omnem religionem evertunt; Vid. Oper. T. I. C. XII. Simulationem & dissimulationem suadet suo* Principi, Cap. XVIII. (*quod est omnium maxime improbandum*) *nec tamen dicit, Principem omnem religionem ejurare debere; sed, si forte religioni non sit addictus, id ipsum coram subditis esse tegendum.*

** ANDREAS CAESALPINUS, Aretinus, Medicus & Philosophus celeberrimus, qui Romae anno MDCIII mortuus est. Peripateticae philosophiae ut addictissimus, ita peritissimus etiam fuit, adeo, ut judice SAM. PARKERO, *recentiorum primus & pene postremus fuerit, qui, quid Aristoteles velit, cepisse visus est; de Deo & providentia disput. I. pag.* 64. Et sane sententia Caesalpini de Deo, cum mente Aristotelis, prout supra ad §. *XV.* eam exposuimus, accurate convenit. Cuncta enim eo redeunt, mundum hunc ab omni aeternitate extitisse, omnesque naturae effectus inevitabili quadam necessitate, Deo nihil ad hoc conferente, oriri; Deum supremam intelligentiam seu primum motorem esse, qui reliquis intelligentiis, quae singulis coelorum orbibus insistunt, motum quendam, eorum adpetitum ciendo, imprimat, quem suis orbibus impertiant, orbes elementis, quorum diversis motibus & misturis omnis generetur natura, adeoque ab initio ad exitum nihil consilio, sed bruta necessitate facta fuisse omnia. Ita accurate mentem Caesalpini, simulque ipsius Aristotelis, exprimit SAMUEL PARKERUS, *l. c. pag.* 65. Quae ad Atheismum tendere nemo non intelligit, & ex iis, quae supra de Aristotele diximus, liquet. Ulterius progreditur PETRUS BAELIUS, & Caesalpinum Spinozismi accusat, in *diction. hist. crit. voc. Caesalpinus, pag.* 876. Etsi enim cum Aristotele intelligentias sphaerarum coelestium motrices admittat, has tamen eum pro partibus saltem Dei, cum materia subtilissima ratione uniti, habere, quae etiam de animabus hominum, atque brutorum, ejus sit sententia. Nec alia profecto mens Caesalpini fuisse videtur, uti etiam GERHARDO JOANNI VOSSIO observatum, de *orig. & progressu idololatriae libr.* II. *cap.* XL. *pag.* 531. Jungenda, quae dixi in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam.* §. XVI. (54)

(54) *Conferenda sunt ea, quae congesserunt* Bruckerus *Hist. Crit. Philos. T. IV. P. I. pag.* 221. seqq. *&* Reimmannus *Hist. Ath. pag.* 368. seq.

*** CLAU-

** CLAUDIUS BERIGARDUS, Molinensis, adeoque gente quidem Gallus, sed in Italiam transplantatus, celebris seculi decimi septimi Philosophus. Cum in Academia Parisiensi magnam eruditionis famam sibi comparasset, a magno Etruriae Duce Pisam vocatus, per annos duodecim philosophiam ibi docuit, quod & deinceps Patavii fecit. Edito autem anno M DC XLIII *circulo*, quem vocat, *Pisano*, Atheismi suspicionem apud multos subiit. Nec sine ratione. Dum enim hocce opus per modum dialogi conscripsit, *sermonem in duas personas, Charilaum & Aristaeum distribuit, quorum alter Aristotelem, qui, praeter materiam, quendam primum motorem, providentiae tamen expertem, posuit, alter antiquos istos* (Ionicos) *defendit, quos omnia corporea esse velle, nullumque primum motorem ab universo corporeo distinxisse, putavit. Atque adeo uno eodemque opere diversas cum Epicureae, tum Peripateticae impietatis rationes adornavit, quanquam Aristotelis disciplinam fusius & ardentius excoluit; &c.* Ita SAMUEL PARKERUS, *de Deo & providentia disputat. I. sect. XXIV. pag.* 67. apud quem & reliqua legi possunt. Confirmat haec PETRUS DE VILLEMANDY, in *scepticismo debellato pag.* II. ubi simul ostendit, Berigardum in Scepticorum etiam militasse castris.

* CAESAR CREMONINUS, e Cento, oppido Mutinensis agri, oriundus, Ferrariae primum, deinde Patavii philosophiam magna celebritate docuit, ultimoque in loco octuagenarius anno M DC XXX funesta peste extinctus est. Aristotelem itidem ducem atque magistrum secutus est, ejus placita reliquis omnibus praeferens. JOAN. IMPERIALIS cum eum Francisco Piccolomineo successorem datum memorasset, addit: *tanto autem per quadraginta annos in eo munere consummatae gloriae fastu* (vixit) *ut ARISTOTELIS GENIUS, & graecorum lucerna interpretum, omnium vocibus praedicaretur;* in *Museo historico, p. m.* 178. Quod autem in Atheismi suspicionem apud nonnullos venit, inde factum est, quod animae in dubium vocasse immortalitatem creditus est. Qua de re iterum JO. IMPERIALIS: *Tanta versatilis ingenii decora turbavit una studentium animis imbibita opinio, quod is deteriores & reprobatiores de rebus physicis sensus tueretur acrius, quam orthodoxae fidei liceret alumno: olet enim vero morbosi animi virus, divinos hominum spiritus cum brutis animantibus communes facere, corruptionique reddere obnoxios, vesano hercle rationis ausu, quando quisque, nisi amens, celatos percipiat in se ipso igniculos mentis, etiam ad posteros duraturae.* LAURENTIUS CRASSUS, dum eadem fere de Caesare Cremonino retulisset, hoc tamen addit, secundum mentem sententiamque Aristotelis hoc eum docuisse, *elog. hum. litter. tom. II. pag.* 124. Si ergo saltem secundum mentem Aristotelis hoc dixit, nihil obstat, quo minus secundum Scripturam sacram animam hominis immortalem crediderit. Sane fieri potuit, ut revera animas hominum mortales crederet, & hanc restrictionem, secundum

 men-

mentem Aristotelis saltem id se asserere, ad impietatis infamiam evitandam adjiceret. Sed cum de intimis mentis recessibus judicare, hominum vires superet, in mitiorem & de Cremonino pronuntiandum partem, nonnulli existimant. JO. IMPERIALIS & alia addit, ob quae impietatis suspicionem subierit: *Sed alias pariter de fato, de mundo, de coeli motoribus placita perperam interpretatus est, loc. cit. pag.* 180. At causam Cremonini adversus Imperialem egit PAGANINUS GAUDENTIUS, in *diatriba historica, de Caesare Cremonino, Julio Pacio atque Joanne Barclajo*, libro de *evulgatis Romani imperii arcanis*, annexa, memorante THEOPHILO SPIZELIO, de *atheismi radice, pag.* 20. Quod vero ab aliis adfertur, & GISBERTUS VOETIUS sibi persuaderi passus erat, Cremoninum, ut indicaret, animae immortalitatem se non credere, hoc sibi epitaphium confici voluisse: *Caesar Cremoninus hic totus jacet*, hoc falsum esse, ipsemet agnoscit VOETIUS, *disp. de atheismo tom. I. disp. selectar. pag.* 206. (55)

(55) *Conf.* Baile *Dict. Crit. V.* Cremonin *Litt. C. & D.* Reimmannus *Hist. Ath. pag.* 372. seq. & Bruckerus *l. c. Tom. IV. P. I. pag.* 226. seqq.

** COSMUS RUGGERIUS, Florentinus, ob astrologiae peritiam, Catharinae de Medicis, Galliae reginae, favorem, & celebritatem quandam obtinuit. Artium magicarum accusatus, & ad triremes condemnatus, libertatem iterum obtinuit. Obiit tandem post varia fata Parisiis, anno M DC XV, cum antea professus esset, se non alios Diabolos, quam inimicos, quos quisque habeat, nec alium Deum, quam principes, qui beneficia in alios conferre possint, credere. Legenda quae de eo disserit PETRUS BAELIUS, in *dict. hist. crit. voc. Ruggerius, p.* 2526. ubi & disquirit, an magicae artes illi tribui queant, qui nec Deum, nec Diabolum credit. (56)

(56) *Si totum Articulum* Bailii *ab Auctore laudatum perpendamus, nulla documenta Atheismi reperimus, nisi credamus* Mercurio Gallico (*Mercure François Tom. IV. pag.* 49.) *quem Mercurii locum paraphrasi donavit* Garasse *Doctrine Curieuse pag.* 156. seq. *Atqui* Garasse, *qui sua unice ex Mercurio hausit, scriptor fuit minus circumspectus & fidus, uti ipse* Baile *notat in eadem Voce* Ruggeri *Lit. E. Omne proinde robur quaerendus est in* Mercurio Gallico, *qui illa quandoque narrat, quae sparsis in vulgus rumoribus tantum non unice nituntur. Id saltem verissimum est,* Ruggerium *inter insanientes esse numerandum, si Diabolorum existentiam admiserit, illamque Dei ipsius negaverit.*

*** PAU-

*** PAULUS JOVIUS, historicus ille notissimus, in quo praeter alia & hoc reprehendi solet, quod calamum venalem habuerit, subinde Atheis annumeratur, speciatim & a TOBIA WAGNERO, in *examine elenchtico Atheismi speculativi cap. V. pag.* 10. Sed docuisse eum talia, ex quibus jure Atheismi coargui queat, nullo, quod mihi quidem innotuit, hactenus comprobatum est documento. Probatis non fuisse moribus, vel ipsa illa, quam in historiis ad favorem aliorum captandum componendis, demonstravit, animi levitas ostendit. Confirmat idem JO. IMPERIALIS, jejuna & ridicula excusatione vitium, quod de eo narrat, eo magis exaggerans: *Nam quod te* (Jovium aloquitur) *laxius atque intemperantius vixisse, dictitent, quam ecclesiasticum deceret, sacrisque oscitantius vacasse precibus, iis praesertim, quae quotidie a singulis recoluntur clericis, sunt hae minutulorum quorundam Grammaticorum voces, qui tuum cum attingere nequeant excellentiae fastigium, ad jurgia facile ac misere prolabuntur, &c. in Museo historico p. m.* 6.

* Quantum ad litteras meliores restaurandas contulerit ANGELUS POLITIANUS, quemve inter primos eorum statores ac vindices teneat locum, non temere quisquam ignorabit. Sed non minus inter Atheos eum passim referri, omnibus notum. Documento est maximum, quod prae se tulit, divinarum litterarum vilipendium. LUDOVICUS VIVES auctor est, *totam eum sacram lectionem aspernatum, lib. II. de veritate fidei christian. p.* 264. Accedit PHILIPPUS MELANCHTON, qui *semel* ait, *solum eum sacras litteras legisse, dixisseque, nullum se tempus pejus collocasse, tom. III. declamation. p.* 545. Hinc saepissime hoc ab aliis repetitum. Excusare quidem eum GERARDUS JOANNES VOSSIUS, de *Poëtis latinis c. VI.* & rationibus quibusdam evincere conatur, parum hoc esse verosimile; quem & ANTONIUS BORREMANSIUS sequitur, *variar. lection. cap. XI. p.* 126. Sed eas ita neutiquam comparatas esse rationes, ut a MELANCHTONE, aliisque dicta, convellere aut labefactare queant, ostendit THOMAS CRENIUS, *animadversion. historicar. & philologicar. part. III. pag.* 23. Odas praeterea Pindari Psalmis Davidicis non tam praetulisse, quam aequiparasse dicitur; quamvis hoc ab aliis LAZARO BONAMICO tribuatur. Legenda, quae hac de re monet PETRUS BAELIUS, *diction. histor. critic. voc. Politianus pag.* 2467. Improbis ergo & profanis fuisse moribus Angelum Politianum, religionisque curam in minimis posuisse, non est, quod dubitemus. Si eam ob rem Atheus dicendus est, paucos forte inter Eruditos, eos praesertim, qui secularium litterarum studio toti addicti sunt, reperias, qui non in eundem referendi fuerint censum. (57)

(57) *Si quis eo iniquitatis procedere velit, ut illos, qui vel profanis fuerunt moribus, vel sacrarum literarum Auctoritatem, aliud agendo, labefactare*

factare studuerunt, inter Atheos referat, Historiae Ecclesiasticae Compendii Gothani *Auctores* (*ut alios taceam*) *ingentem dabunt Atheorum Catalogum Lib. III. Cap. X. Verum consulenda sunt ea, quae ipse Cl. Auctor est observaturus* §. 28. *hujus I. Capitis.*

** Jungitur haud immerito Angelo Politiano HERMOLAUS BARBARUS, quippe qui & eodem tempore vixit, & inter primos itidem bonarum litterarum restauratores haud ultimum locum tenuit. Inter Atheos passim referri solet. Sufficiat nominare THEOPHILUM SPIZELIUM, qui cum & Angeli Politiani inter Atheos mentionem fecisset, de *Hermolao Barbaro*, inquit, *quamvis patriarcha Aquiliensi videndus Monlorius tractat. de entelechia*. Dum ad MONLORII tractatum de *entelechia* nos ablegat, haud dubio illud in animo habuit, quod vulgo circumfertur, Barbarum super significatione vocis ἐντελέχεια, qua Aristoteles usus est, daemonem consuluisse. Et sane plurimi hoc de eo referunt. Quodsi etiam PETRO CRINITO credimus, de *honesta disciplina libr. VI. cap. XI.* ipsemet hoc fassus est Barbarus. Sed si vel maxime hoc ita se habeat, Atheum eum fuisse, inde non sequitur. Alia aut in doctrina, aut vita ejus, quae eum Atheismi arguere queant, invenire non potui.

*** Quam male Beneventanus hicce Archiepiscopus JO. CASA, ob laudatam carmine paederastiam passim audiat, nemini temere ignotum esse potest, cum saepissime in scriptis fere innumeris hoc ei sit exprobratum. Soletque & hoc nomine a quibusdam inter Atheos referri; quod haud dubio de practicis intelligunt. Non desunt equidem, qui a criminis antea memorati suspicione eum liberant, quod nuper etiam fecit vir clarissimus, NICOL HIERONYMUS GUNDLINGIUS, *observat. selectar. ad rem litterar. spectantium, tom. I. observat. V. pag.* 120. *seqq.* Nec tamen ipse doctissimus ejus apologeta diffitetur, talia in isto carmine occurrere, quae castas aures offendunt, animique impuri & lascivi praebent indicium. Addo saltem, quod de eo JO. IMPERIALIS refert, eum ob vitae impurae suspicionem spe obtinendi Cardinalitiam dignitatem excidisse. Idque cum memorasset, subjicit: *Ita nec forsitan mentiuntur alii, perhibentes, eum a puberibus usque annis plurimum luxui deditum extitisse, a quo vel sacro etiam indutus archiepiscopi syrmate non descivit; in Museo historico pag. m.* 27.

* M. ANTONIUS MURETUS, oratorum seculi sui facile princeps, elegantiorumque litterarum summus antistes, Gallus quidem gente fuit, sed in Italiam delatus, Romae tandem, quod reliquum fuit, vitae tempus transegit, ibique anno M DC XXXV vitam cum morte commutavit. Impietatis & Epicureismi suspectum fuisse, pronuntiat THEOPHILUS SPIZELIUS, in *scrutinio atheismi historico-aetiologico, pag.* 22. Certe magnorum

rum criminum & ab aliis reus agitur, quod nec JANUS NICIUS ERYTRAEUS diffiteri poteſt, in laudes ejus ceteroquin profuſus, qui &, eum tandem reſipuiſſe, auctor eſt, *pinacoth. I. imagin. illuſtr. pag. m.* 13. 14. Dolendum, inter Viros doctos tam multos eſſe, qui impuris moribus non tam ſibi, quam ipſis litteris labem adſpergunt; non tamen ideo ſtatim inter Atheos proprie ſic dictos referendi ſunt. (58)

(58) *Videtur in juventute ſua diſſolutioris fuiſſe vitae, ſed dein, ad majorem aetatem provectus, pietati fuiſſe deditus, quidquid etiam ipſius inimicus* Joſephus Scaliger *de eo prodiderit. Vid.* l'Antibaillet par Menage *Tom. VII.* 1 *Part. pag.* 288. *ſuiv.*—310. *Si vera ſint, quae ſcripſit* Menagius, *de quo dubitare vix licet, ex odio peculiari profecta habenda ſunt, quae ex* Theod. Bezae *Carminibus pag.* 144. *profert* Reimmannus *Hiſt. Ath. pag.* 398. *canit ſcil. de* Mureto

Gallia, quod peperit, pepulit quod Gallia monſtrum
 Quem Veneti profugum non potuere pati,
Muretum eſſe ſibi civem juſſere Quirites,
 Et tumulo extinctum compoſuere ſuo;
Vivere nam potius qua debuit urbe Cynaedus
 Impius, & quanam dignius Urbe mori?

§. XXV.

Nec ſola tamen Italia Atheorum patria cenſenda, etſi eorum prae aliis regionibus ſit feraciſſima. Galliam quoque ejusmodi monſtra producere, ex doctorum Virorum teſtimoniis conſtat, & ipſa quoque experientia docet. * Ne quid enim de obſcurioribus quibusdam dicam, ** FRANCISCUS ille RABELESIUS, ſi non inter Theoreticos, certe inter Practicos, haud ultimum locum tenet. *** De MICHAELE MONTANO diverſa extant Virorum doctorum judicia. * RENATUS CARTESIUS ab hac ſuſpicione merito liberatur, etſi incaute quaedam docuerit, quae Atheis inſervire poſſunt. ** PETRUS BAELIUS haud raro itidem arma Atheis ſuppeditat, dumque contra eos pugnat, non ſerio ſatis rem agere videtur: hinc & ipſe a nonnullis in Atheismi ſuſpicionem adductus. ***

* MARIO MERSENNO si credimus, ingens Atheorum ipsius aetate in Gallia fuit multitudo. Parisiis namque anno M DC XXIII eorum numerum ad 60000. excrevisse, auctor est, immo in unica domo duodecim subinde homines reperiri, qui ejusdem impietatis rei sint, *comment. in genes. pag.* 671. Repetunt hoc ex eo GISBERTUS VOETIUS, *disputat. de atheismo, tom. I. disputation. selectar. pag.* 218. THEOPHILUS SPIZELIUS, in *scrutinio atheismi*, *pag.* 26. aliique plurimi. Quod si de practico, quem vocant, Atheismo capias, seu hominibus, quorum improbi pravique mores sunt, haud difficulter crediderim. Immo longe plures ibi & olim fuisse, & hodie esse, nec pauciores alibi terrarum reperiri, lubens concesserim. De Theoreticis vero, seu Atheis, proprie sic dictis, si hoc intelligas, fidem, fateor, superat. Et qui MERSENNUS tam accurate numerum eorum inire potuit? conf. LA CROZE, *entretiens sur divers sujets d'histoire*, *pag.* 398. Multa alia de Atheis Galliae adfert THEOPHILUS SPIZELIUS, *loc. cit.* sed ut tandem fateri necesse habeat: *Quicquid auctores hactenus citati de Atheis in Gallia conqueruntur, id neutiquam de Atheis directe talibus, & aperte Deum negantibus, est intelligendum, &c.*

** Huc refero GOTHOFREDUM A VALLE, atque BONAVENTURAM DE PERIERS. Illum librum, de *arte nihil credendi*, edidisse, & ob Atheismum Parisiis anno M D LXXI combustum, ferunt. Ita post GISBERTUM VOETIUM, *disput. de atheismo* THEOPHILUS SPIZELIUS, de *atheismo eradicando*, *pag.* 16. & DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS, *polyhist. litter. tom. I. lib. I. cap. VIII. pag.* 79. Sed LA CROIX DU MAINE, *bibl. gallic. pag.* 125. alium ejus librum memorat, & ob haeresin, Parisiis M D LXXIV combustum, auctor est. Liber, *de arte nihil credendi*, nemini illorum, qui ejus meminerunt, visus est. Nec aliud quid, de homine hocce Atheo, innotuit, de quo & videndus PETRUS BAELIUS, *dictionar. histor. critic. voc. de la Vallée*, *pag.* 2940. BONAVENTURAM DE PERIERS, auctorem libri impii & blasphemi, *cymbalum mundi*, dicti, esse ferunt, quanquam alii saltem hunc librum ex lingua Latina in Gallicanam ab eo traductum, perhibeant. Mentionem ejus facit GISBERTUS VOETIUS, *loc. cit. pag.* 199. quem & alii sequuntur. Jungendus PETRUS BAELIUS, qui nec huncce librum sibi visum profitetur, *voc. Periers*, *pag.* 2350.

*** FRANCISCUS RABELESIUS, Monachus primum, deinde Medicus, circa medium seculi decimi sexti vixit, bonarumque litterarum haud rudis fuit; postremo autem, auctore AUGUSTO THUANO, *omni studio serio omisso, se totum vitae solutae, ac gulae mancipavit, & ridendi artem, hominis (sicut ipse ajebat) propriam amplexus, democritica libertate & scurrili interdum dicacitate scriptum ingeniosissimum fecit, quo vitae regnique cunctos ordines quasi in scenam sub fictis nominibus produxit, &*

popul

populo deridendos propinavit; de vita ſua lib. VI. pag. m. 95. Profanam mentem, animique levitatem ſummam, ut hac ratione teſtatus eſt; ita non defuerunt, qui eum in Atheiſmi ſuſpicionem vocarent. Quod tamen itidem de Practico potius, ut credo, quam Theoretico Atheiſmo intellexerunt. Judicia de eo doctorum Virorum in compendio exhibet THOMAS POPEBLOUNT, in *cenſura celebrior. auctor. pag. 631. ſeqq.*

* Non temere diſcrepantia magis a ſe invicem de quoquam extant Virorum doctorum judicia, quam de MICHAELE MONTANO, ob *tentamina* (les Eſſais) quae edidit, longe notiſſimo. Nonnullis enim ob ſapientiam *Galliae Thales* audit, & ob eruditionem laudibus in coelum tollitur. Alii & ſapientiam, & vim judicii, & pietatem in eo requirunt, immo omnino inter Atheos referunt. Varias in utramque partem de eo pronuntiatas ſententias collegit THOMAS POPEBLOUNT, in *cenſura celebr. auctor. pag.* 819. *ſeqq.* cui & jungendus ANTONIUS TEISSIERIUS, in *addit. ad elogia Thuanaea, tom. II. p. m.* 195. *ſeqq.* Operoſus in ejus ingenio expendendo eſt MALEBRANCHIUS, qui praeter judicii defectum, & alia vitia, cumprimis propenſionem ad Scepticiſmum, in eo notat, *de la recherche de la verité libr. II. part. III. cap. V. pag.* 279. Nec mitius de eo ſentit auctor *artis cogitandi, part. III. cap. XX. pag.* 265. immo & impietatis notam ei inurit: *Sed vanitatem praecipue non criminor: tot enim pudendis praeterea famoſus flagitiis eſt, tot ſcatet impiis & Epicuraeis placitis, ut mirum ſit, illi tamdiu per leges licuiſſe orbem obambulare, omniumque paſſim manibus teri, multosque viros ceteroquin perſpicaces latentis veneni malignitatem non deprehendiſſe. Nec ſane alia conquirenda impietatis indicia, quam modus, quo ſuis de vitiis ipſe loquitur. Cum enim multis in locis multa ſe crimina fateatur perpetraſſe, in aliis tamen indicat, ſe illorum non poenitere, ſeque eodem quo vixerat, modo victurum, ſi ante actae vitae ſpatium iterum eſſet decurrendum.* Profanum hominem fuiſſe, nemo, qui *tentamina* ejus legit, dubitaverit. Magis tamen ex jactantia quadam & oſtentatione, quam animi perſuaſione, profecta videntur, quae parum pie aut ſobrie ab eo dicta ſunt. Neſcio enim, quam gloriam ex eo captare videtur, ſi ſentiendi libertatem prae ſe ferat. Negari tamen etiam nequit, multa recte & ſapienter dicta in hocce ejus libro occurrere. (59)

(59) *Quid ſenſerint de* Tentaminibus *ſeu* Conaminibus *MONTANI plurimi Viri eruditi, veluti* Scaevola Sammarthanus, Thuanus, Pasquierius, Lipſius, Balſacius, Baudius, Lamy, Nicole, Paſcal, le Clercq, Bernard *aliique, conſtare poteſt ex eorum judiciis, quae praemiſſa ſunt Editioni, quam curavit* P. Coſte 1725. 3 *voll.* 4°. *Plerique in eo conſentiunt, plurima in ejus* Tentaminibus *occurrere, quae cum Religionis placitis conciliari nequeunt, quae Pirrhoniſmum ſapiunt, quae faſtum*

ſtum ac vanitatem ſpargunt haud vulgarem. Attamen inter Atheos nullo jure refertur; uti liquere poteſt ex Lib. I. Cap. 56, *quod, ab Atheo profectum fuiſſe, nemo ſanus ſtatuet. Vid. etiam L. II. C.* 12. *& Lib. III. C.* 9. *Sed ſi reſpiciamus ad Epicuraeum vivendi modum, quo uſus fuit, inter Atheos practicos, de quibus heic loci non eſt ſermo, poſſet cenſeri eodem jure, quo alii diſſolutioris vitae homines.*

** Non ſemel RENATUS CARTESIUS, Philoſophorum, quos recentior aetas tulit, facile princeps, & Atheiſmi & Scepticiſmi accuſatus fuit. Et ad Atheiſmum quidem quod attinet, dum ipſe adhuc vivebat, MARTINUS SCHOOCKIUS, Profeſſor philoſophiae Groningenſis, hujus eum poſtulare criminis, nullus dubitavit: accuſatus tamen coram magiſtratu, ſe Carteſio feciſſe injuriam, agnoſcere coactus eſt. Pluribus hoc exponit ADRIANUS BAILLETUS, in *vita Carteſii tom. II. pag.* 252. add. PETRUS BAELIUS, *diction. hiſtor. crit. voc. Andreas (Tobias) pag.* 245. Idem praeterea fecit GISBERTUS VOETIUS, hoſtis Carteſii capitalis, ex cujus etiam diſcipulis anonymus quidam in *admiranda methodo novae philoſophiae Renati des Cartes*, Ultraject. M DC XLIII edita, non tantum occulti Atheiſmi Carteſium accuſat, ſed comparationem etiam inter ipſum atque Vaninum inſtituit. Ad quam tamen criminationem ipſe Carteſius ſolide reſpondet, *operum* ejus *philoſoph.* junctim editorum, *pag. m.* 374. *ſeqq.* Et ſane nihil ineptius cogitari poterat, quam iſta Carteſii atque Vanini comparatio, etſi mentem votumque auctoris aperte ſatis expri-mat. Scepticiſmi in Atheiſmi tandem abeuntis a pluribus accuſatus fuit, idque eam maxime ob cauſam, quod a dubitatione omnimoda & univerſali philoſophiam ſuam exorſus ſit, ea quidem ratione, ut Scepticis, quos ſe oppugnare videri voluerit, vel ſerio putaverit, revera arma, quibus rerum omnium certitudinem impugnarent, tradiderit; vid. SAMUEL PARKERUS, de *Deo & providentia, diſput. VI. ſect. XV. pag.* 335. *ſeqq.* PETRUS DANIEL HUETIUS, in *cenſura philoſophiae Carteſianae, cap. I.* §. *XV. pag. m.* 24. Sed qui rem omnem paulo accuratius expendunt, facile deprehendent, non prorſus cum Scepticis conſentire Carteſium. Licet enim ad certum tempus omnia, etiam principia evidentiſſima in dubium vocare, ſibique perſuadere conatus ſit, nihil certi ullibi ſe reperire, non tamen prorſus negavit, nihil ſatis liquido ſatisque certo percipi poſſe, quae erat Scepticorum ſententia, ſed tandem in certo principio pedem fixit, ex dubitatione iſta emerſit, & certa veritatis criteria conſtituit. Quemadmodum autem Carteſius nec Scepticiſmi, nec Atheiſmi jure accuſari poteſt, ita diffitendum non eſt, eum talia docuiſſe, quae & Atheis & Scepticis inſervire poſſunt; etſi haud dubio animo non malo praeterque intentionem id fecerit. Et inter haec quidem primum omnino locum tenet dubitationis ille exceſſus, a quo philoſophiae ſuae initium ſumſit. Peccavit namque, dum

dum de rebus evidentiſſimis dubitavit, de quibus dubitare non licet, nec ſanae mentis homo dubitare poteſt. Peccavit, dum ejusmodi rationibus rerum omnium certitudinem convellere annifus eſt, quae non poſſunt non ad Scepticismum ducere, cujusmodi illud eſt, neſcire nos, an non ita a Deo facti ſimus, ut ſemper fallamur, & quae alia ſunt ejusdem generis. Cumprimis in eo graviter peccavit, quod de ipſa Dei exiſtentia dubitavit. Dubitaſſe enim, ex *Meditatione* ejus *I.* pariter ac *II.* ſatis liquet. Atque hoc etiam nomine vel maxime a nonnullis Atheismi arguitur. (60) Sunt ſane, qui eum excuſare annituntur; & nonnulli quidem, quod non ſerio de Numinis exiſtentia dubitaverit, ſed ejusmodi quid ſaltem finxerit; alii vero, quod dubitatio ejus non in negatione, ſed judicii ſaltem ſuſpenſione conſtiterit; alii, quod temporaria ſaltem iſta fuerit dubitatio, ex qua mox iterum eluctatus ſit; alii denique, qui forte omnium optime ejus cauſam agunt, quod non tam de ipſa exiſtentia Dei, quam de argumentis, quibus probari ſoleat, dubitaverit, de qua interim ex Scriptura ſacra longe fuerit certiſſimus. Ego quidem ob iſtam dubitationem, etſi revera ineptam, eum Atheis adſcribere nolim: vitio tamen eam non carere, nemo profecto, qui ſerio rem omnem expenderit, inficiatus fuerit. Legi hac de re merentur binae diſſertationes viri clariſſimi, JAC. GUILIELMI FEVERLINI, in noſtra Academia ante aliquot annos habitae, quarum altera *dubitationem Carteſianam, eamque a Sceptica & Ariſtotelica dubitatione diſtinctam, periculoſam tamen*, proponit; altera autem, *in quantum Carteſio Atheismus, atque Scepticismus poſſint imputari*, disquirit. Praeter haec & alia ſunt Carteſii dogmata, quae Atheis haud ingrata eſſe cenſentur, cumprimis vero illud, quod finium conſiderationem a rerum naturalium tractatione excluſam voluerit, quae tamen efficaciſſima ad Atheos convincendos argumenta ſuppeditat, & ejusmodi mundi hujus ex materiae diſpoſitione originem commentus ſit, a qua Deus tandem abeſſe queat; vid. SAMUEL PARKERUS, *de Deo & providentia, diſp. III. ſect. XV. pag.* 281. *ſeqq.* (61) Sed nec ipſa illa, qua uſus eſt, probandi exiſtentiam Numinis ratio, ex idea Dei omnium mentibus inſita, omnibus placuit, multisque plus ſubtilitatis, quam ſoliditatis habere videtur; qua de re in ſequentibus erit dicendi locus; ne quid de eo dicam, quod immediate a Deo motus omnes effici ſtatuit; unde ſyſtema cauſarum occaſionalium, quod niſi caute admodum adhibeatur, ad Spinozismum ducere nonnullis videtur. Mitto reliqua, cum haec praecipua ſint, quae ab Atheis arripi poſſunt, etſi hoc praeter mentem, praeterque intentionem fiat Carteſii.

(60) Carteſius *ante omnia ſollicitus fuit de exiſtentia Dei, & de mentis diſtinctione a corpore, quae duo dogmata non tantum parum favent Atheo, ſed etiam ejus monſtroſum ſyſtema funditus evertunt. Dubitatio vero uni-*

 ver-

versalis, a plerisque non recte intellecta, supervacua quidem, & quibusdam in partibus improbanda, eum tantum in finem a Cartesio *commendata est, ut eo tutius veritatem invenire & Scepticos convincere posset; eamque suo tempore necessariam existimavit, quia non rationibus, sed auctoritatibus pugnari a plerisque animadverteret. Primus ideoque fuit, qui viam monstravit, per quam ad* certitudinem moralem (*cujus tria fundamenta sunt* usus sensuum, testimonium aliorum hominum & ratiocinium analogicum) *pervenire licet. Haec autem via praeclusa est Atheis, qui de Dei* constantia, veracitate, beneficentia, *&c. non sunt persuasi. Quod si omnia* Cartesii *scripta perlustremus, in primis ejus* Meditationes, *invenimus, Dubitationem nihil aliud ipsi esse, praeter* constans & immutabile propositum, nihil adfirmandi, aut negandi, nisi quod certum deprehendimus & evidens. *Dicit quidem* Princ. Phil. Part. 1. §. 2. quin & illa etiam, de quibus dubitamus, utile erit habere pro falsis; ut tanto clarius, quidnam certissimum & cognitu facillimum sit, inveniamus. *Verum declarat in Resp. ad Obj. VII. pag.* 84., *se tantum id velle*, non majorem habendam esse rationem dubiorum, quam plane falsorum —— ut ab iis cogitatio plane avocetur. *Scepticum autem sese simulasse, non vero fuisse, manifestum fit, ex* Med. 1. *pag.* 7., *ubi scribit:* Essent vero fortassis nonnulli, qui tam potentem aliquem Deum mallent negare, quam res omnes alias credere esse incertas; sed iis non repugnemus, totumque hoc de Deo demus esse fictitium. *Sic ex* positis *contra Scepticos ratiocinatur, non ex* concessis; *& sic explicanda sunt ea, quae habet Epist. X. Partis II[dae], ita ut ne* Atheus *quidem* temporarius *possit appellari. Vid.* Hollman *Log.* §. 234. seqq. De Volder *de Dubit. Univ. pag.* 14. seqq. Velthuisen *Oper. Tom.* 2. *pag.* 1164. seqq. & G. H. Beckher *in Schediasmate de eo*, utrum Cartesius, qui de omnibus dubitandum esse credidit —— recte Atheis annumeretur, *passim;* Morhoff *Polyhist. Tom.* 2. *L.* 2. *C.* 9. §. 2. *pag.* 196. seq. *Videri tamen merentur Cl.* de Vries *Exercit. Rat.* 3. §. 6. & *pag.* 390. seqq. Gassendus *Oper. Tom.* 3. *pag.* 278. seqq. Huet *Cens. Phil. Cart. Cap.* 1. Cudworth *Syst. Intell. Tom.* 2. *pag.* 882. seqq.

(61) *Nimium acerbe in* Cartesium *invehitur* Parkerus *l. c. quod Princ. Part.* 3. §. 2. *dixerit*, quod nimis superbe de nobis sentiremus, si fines, quos in Mundo exstruendo sibi proposuit Deus, ingenii nostri vi comprehendi posse putaremus; *haec quippe verba mitiorem interpretationem paterentur, cum ingenii finiti vis* comprehendere *non possit fines, quos sibi proposuit Deus; licet* plurimos *fines ex rerum multiplici usu cognoscamus*, omnes *vero adsequi non liceat. Verum talem mitiorem interpretationem vix patiuntur ea, quae occurrunt*

Medit.

Medit. *IV.* pag. 26., *ubi recte quidem docet, Deum innumera posse, quorum causas ignoramus; sed perverse concludit:* ob hanc unicam rationem totum illud causarum genus, quod a fine peti solet, in rebus Physicis nullum usum habere existimo; non enim absque temeritate me puto investigare posse fines Dei. *Conf.* Cudworth *Syst. Intell. T.* 2. *p.* 827. seqq. *Non video autem, quo colore dicere potuerit* Poiretus *de vera Methodo inveniendi Verum Part. III.* §. 15., se confutasse, quod de inutilitate causae finalis in naturalibus proposuit Cartesius periculosissime, etsi forte periculi inscius, *&c. Revera quidem* de Erud. Falsa *sive* Lib. 3. §. 25. seqq. *& in* Cogit. Rat. *Lib.* 3. C. 15. §. 9. *refutavit* Cartesium, *sed eodem illo memorato in loco Cogit. Rat. dicit:* Absurditatis & arrogantiae est quaerere, quem Deus finem sibi in rerum natura, statu, regimine proposuerit, *distinguens inter* usum rerum, *atque inter earum* finem; *acsi res* usus *habere possent, quos, tanquam* fines, *non intendit sapientissimum Numen.*

*** Exquisitae eruditionis, ingeniique acutissimi laudem non temere quisquam PETRO BAELIO denegabit. Talia autem eum subinde docuisse, quae in Atheismi, pravaeque de Deo & religione existimationis suspicionem eum inducere queant, nemini itidem, nisi iis, qui scripta ejus nunquam legerunt, ignotum esse potest. Hinc & non semel Atheismi accusatus est. Ex instituto id jam pridem egit PETRUS JURIEU, in libro: *le philosophe de Roterdam, accusé, atteint & convaincu, &c.* quem tamen adfectibus aliquid dedisse, non nego. Quae a JO. CLERICO, JAC. BERNARDO, & IS. JAQUELOTTIO, in ultimo illo certamine, cui immortuus est, ei objecta sint, neminem fugit. Etsi enim de Manichaeis praecipue, eorumque duplici principio, deque rationis & fidei conformitate disputabatur, Baelii tamen de hisce omnibus asserta ita comparata erant, ut Atheismi & profanae mentis de eo suspicionem non potuerint non admodum augere. Manichaeismus certe ab Atheismo non multum differt. Qui enim duplex principium independens & aequale admittit, ille revera nullum Deum admittit. Ad ipsam enim Dei notionem pertinet, ut solus sit principium independens, cui aliud ejusdem potentiae nullo modo opponi queat. Quive rationis tam exiguam vim sibi esse persuadet, ut objectionibus Atheorum contra providentiam non aliter, quam per absurdissimam Manichaeorum hypothesin, occurri queat: nae! ille revera Atheis victoriam concedit. Idem enim est, ac si dicat, eas objectiones solvi non posse, quod & haud semel Baelius diserte fatetur. Quod autem fidem in tantum evehere videtur, in quantum deprimit rationem, id certe dicis causa fit, nisi me omnia fallunt, & ad caliginem offundendam simplicioribus. Non male id mihi observasse videtur PETRUS POIRET, qui de eo verba faciens,

unde, inquit, *dum rationem videtur ſupprimere velle, ut fidei ſoli detur locus, hanc potius pudendum in modum deriſit & proculcavit, ut alteram omni molimine in altum eveheret*, in *praefat.* libro, cui titulus: *fides & ratio collatae*, praemiſſa, *pag.* 30. Ipſe equidem Petrus Baelius tum hanc Atheismi ſuſpicionem a ſe amoliri, tum, quae in gratiam Pyrrhoniorum & Manichaeorum dixerat, emollire & excuſare anniſus eſt, in diſſertatione peculiari, *dictionario* ejus *hiſtorico-critico* ſubnexa, *pag.* 3136. *ſeqq.* Sed nondum profecto omnibus ſatisfecit. Et ad Atheismum quidem quod attinet, id ſaltem agit, ut oſtendat, quae de virtutibus & honeſtate Atheorum dixit, ſibi fraudi eſſe non poſſe, quod ſatis quidem frigide probat; reliqua autem, quae ei objici poterant, aut objecta ſunt, non attingit. Mirum itaque non eſt, quod adhuc paſſim Atheismi arguatur, quod nuper ex inſtituto fecit PETRUS POIRET, in *diſſertatione de duplici diſcendi methodo, deque ſimulato Petri Baelii contra Spinozae Atheismum certamine*, novae, *cogitationum* ejus *rationalium de Deo, anima & malo* editioni, quae anno M DCC XV prodiit, praemiſſa. Sane, qui paulo accuratius ſecum conſideraverit, quanto ſtudio Atheorum numerum augeat, adeo, ut integras gentes in huncce referre ordinem non dubitet, *continuat. des penſées diverſes* §. *CXIII. pag.* 537. *ſeqq.* it. *reponſe aux queſtions d'un provincial. tom. IV. cap. XI. XII. pag.* 136. *ſeqq.* quam acriter argumentum, a conſenſu gentium pro exiſtentia Dei deſumtum, impugnet, *continuat. des penſées, &c.* §. *XIII. ſeqq. pag.* 51. *ſeqq.* ſimulque notitiam Dei inſitam rejiciat, *loc. cit.* §. *XVI. pag.* 60. *ſeqq.* quam id omnibus viribus agat, ut Atheismum extenuet, illum ideo majus malum, quam idololatriam aut ſuperſtitionem eſſe, negans, idque variis rationibus evincere allaborans, *penſées diverſes, &c.* §. *CXIV. p.* 225. *ſeqq.* intellectum & voluntatem in homine ſuperſtitioſo rectius ſe habere abnuens, quam in Atheo, *ib.* §. *CXXII. pag.* 237. praeterea, quam ſtrenue, ut Atheos homines honeſtati & virtuti deditos fuiſſe, quavis data occaſione, evincere allaboret, indeque porro concludat, Atheismum neutiquam ad morum corruptionem ducere, adeoque nec noxium reipublicae eſſe, tum alibi, tum in *penſées*, §. *CXXXIII. pag.* 261. *ſeqq.* quae omnia confirmat, & plura adhuc ejusdem generis addit, dans la *continuation des penſées*, §. *LXX. pag.* 407. *ſeqq.* it. *reponſe aux queſtions d'un provincial. tom. IV. cap. XVII. ſeqq. pag.* 232. *ſeqq.* quam omnem occaſionem captet, argumenta Atheorum quam ſpecioſiſſime proferendi, & ea pro inſolubilibus venditandi, aut reſponſiones jejunas ſubjiciendi, immo ex praeſtantiſſimorum Philoſophorum, qui contra Atheos ſcripſerunt, libris, talia exſculpendi, quae ipſis Atheis faveant, cujus rei ſingulare exemplum extat, *continuat. des penſées, &c.* §. *XXI. pag.* 86. *ſeqq.* haec, inquam, omnia, & reliqua, quae pro Atheis, & in eorum gratiam tam operoſe dixit Vir doctiſſimus, qui paulo accuratius ſecum expenderit,

aut me omnia fallunt, aut, non prorſus ab omni Atheiſmi ſuſpicione eum abſolvi poſſe, fatebitur. Confirmabitur, ni fallor, aut augebitur haec ſuſpicio, ſi porro conſideretur, quanto ſtudio rationes profanorum hominum contra providentiam Divinam proferat, & exaggeret, in *dictionar. hiſtor. crit.* in *vocibus: Marcionitae, Manichaei, Pauliciani, Origenes, &c.* Etſi enim hoc ad Manichaeorum hypotheſin defendendam facere videatur, iſtae tamen, quas proponit difficultates, longe facilius ad providentiam Divinam negandam, adeoque Epicureiſmum, qui revera non multum ab Atheiſmo differt, quam Manichaeorum abſurdiſſimam ſententiam amplectendam, lectores adducent. Quae pro Pyrrhoniis ſeu Scepticis diſputat, eodem modo comparata ſunt. In horum autem defenſione eo usque progreditur, ut in *voc. Zeno Eleates*, variis argumentis ipſam motus exiſtentiam impugnet. (62) Plura ſi quis adferre vellet, is nec ea ſibi praetermittenda putaret, quae in *dictionar. hiſt. crit. p.* 2387. *ſeqq.* & *p.* 2473. *ſeqq.* de immortalitate animae diſſerit, illorum comprobando ſententiam, qui, eam ex ratione ſolide demonſtrari poſſe, negant; item, quae *pag.* 2223. & 2342. circa difficultates, quibus premuntur, qui dogmata religionis examinare velint, in medium adfert, & quae alia ſunt ejusdem generis, numero fere infinita. Diffitendum equidem rurſus non eſt, Spinozae ſyſtema Atheiſticum a Baelio rejici, rationibusque evidentiſſimis prorſus everti, in *voc. Spinoza, lit. I. pag.* 2775. *ſeqq.* at inde quidem ſequitur, eum non eſſe Spinoziſtam; Atheum non eſſe, firmiter inde nondum colligere licet, cum varia Atheorum ſint ſyſtemata, poſſitque aliquis Atheus eſſe, etiamſi Spinozae deliria non adprobet. Accedit vero, quod, etiamſi errores, fallacias & contradictiones Spinozae, luculenter oſtendat, principia tamen generalia, quibus Spinozam ad Atheiſmum inductum ipſemet fatetur, quaeve ei cum aliis Atheis ſunt communia, pro ejusmodi habeat, quae a nemine, ſaltem ex ratione ſola, ſolide refutata ſint, nec refutari queant. Haec autem principia ſunt: 1) materiam eſſe aeternam, & a Deo differre; 2) materiam non productam eſſe ex nihilo; 3) ſpiritum infinitum & ſumme liberum producere potuiſſe tale opus, qualis hicce mundus eſt, in quo bona mixta ſunt malis. Nimirum ſupponit (quod minime ſupponere debebat) materiam neceſſario exiſtere, & hinc porro infert, rationem prorſus capere non poſſe, talem materiam aeternam & neceſſario exiſtentem, quae tamen non ſit ipſe Deus. Alterum quoque principium, non poſſe ullo modo everti, putat, cum nimis evidens rationi ſit, quod ex nihilo nihil fiat. Sed tertium quoque, quo minus negari, aut vocari in dubium queat, praegnantiſſimas Manichaeorum obſtare rationes. Id itaque ſerio & omni conatu agit, ut haec principia pro firmiſſimis venditet, & extra omnem argumentorum contra ea directorum ictum conſtituta, evincat, *loc. cit. voc. Spinoza lit. K. pag.* 2778. *ſeqq.* Haec vero Atheiſmi praecipua

fulcra esse, nemo temere inficiatus fuerit. Baelius vero porro addit, ab illis, qui Spinozam refutant, exigi non posse, ut haec principia convellant, quippe quae convelli prorsus nequeant, sufficere ad refutandum Spinozam, si ostendatur, systema ejus ineptissimas contradictiones, & absurda manifestissima, continere. Eo minus autem necesse esse putat, haec principia evertere, quod & in Christiana religione difficultates occurrant, quas ratio concoquere nequeat. Interim religionem Christianam Atheismo praeferendam, quod illa commoda plurima eam sequentibus adferat. Eos vero, qui Spinozismum refutant, suo facere satis officio, si ostendant, *non minoribus eum obnoxium esse difficultatibus, quam religionem Christianam.* Denique nec hoc praetermittendum puto, Spinozismum haud obscure ideo saltem eum rejicere, quod alia Atheorum systemata ita comparata esse putat, ut per ea facilius dissentientium objectiones solvi queant, adeoque ad Atheismum promovendum sint aptiora. Quo nomine in *voc. Spinoza lit. K. pag.* 2782. Chinensium quorundam hypothesin plane Atheam Spinozismo praefert. (63).

(62) Baile *ad Scepticismum inclinasse, & periculosissimis suis scriptis plurima immiscuisse, quae animum a veritate, imo & a Religione abducere, moresque corrumpere possunt, in confesso est apud omnes, qui ejus scripta attentiori oculo perlustrarunt; licet sese ingeniose satis defendere susceperit in Dissertatione ultimae editioni* Dictionarii *sui subjuncta, sub titulo* Illustrationum. *Manichaeismum autem serio non propugnavit, sed omnia, quae de eo atque in ejus favorem scripsit in V.* Zoroaster *Lit. E. & F.* Manicheens *Lit. C. &* Pauliciens, *profecta videntur ex turpissima de omni certo cognitionis humanae triumphandi libidine; atque adeo ingenii sui petulantiam ubique monstrare, quam praeclaras mentis suae facultates solidamque eruditionem modestae veritatis inquisitioni sacras facere maluit.*

(63) *Opus difficile & ingratum foret, omnes illos memorare, qui inter Gallos Atheismi nostris temporibus fuerunt suspecti; cum & hodie prostent, qui talia docuerunt & docere pergunt, quae cum vera persuasione de existentia Dei conciliari nequeunt. Memorasse speciminis gratia sufficiat* la Mettrie, *denatus Berolini* 11. *Nov.* 1751. *qui nimium aperte sese prodidit tanquam Atheismi Patronum in pluribus suorum Opusculorum turpitudine & impudentia summâ inter se certantium, praesertim* l'homme Machine *passim. E. Gr. pag.* 62. *inquit:* ad rerum originem nobis adscendere nequaquam licet. Caeterum indifferens est quoad quietem nostram, an materia sit aeterna, an vero creata fuerit; an Deus aliquis existat, an vero minus. Qualis dementia! sese tantopere torquere propter aliquid, quod cognosci non potest, & quod nos

nos feliciores non redderet, si scopum attingere liceret: *sic etiam pag. 66. (verba Gallice dabo, ne, ea vertendo, injuriam inferre videar eleganti stylo hominis famosi)* le Poids de l'univers n'ebranle donc pas un veritable Athée, loin de l'ecraser; & tous ces indices mille & mille fois rabattus d'un Createur, indices qu'on met fort au-dessus de la facon de penser dans nos semblables, ne sont evidens, quelque loin qu'on pousse cet argument, que pour les Antipirrhoniens, ou pour ceux, qui ont assés de confiance dans leur raison, pour croire pouvoir juger sur certaines apparences, auxquelles, comme vous voiés, les Athées peuvent en opposer d'autres, peut être aussi fortes & absolument contraires. *Sic concludit homo impius temerario penitus ausu, postquam frigidas quasdam ac pueriles prorsus exceptiunculas, easque millies explosas, proposuerat contra invicta argumenta, quae ex rerum creatarum finibus, aptâque earum dispositione petuntur pro momentosissima atque omnium amabilissima veritate, pro existentia aeterni, atque sapientissimi liberrimique Creatoris. Non lubet alia specimina, eaque sat numerosa, summae illius impudentiae exhibere, qua Pseudophilosophus hicce sese famosum reddidit; diligenter hoc fuit nuperrime praestitum ab Auctore anonymo laudabilis opusculi, cui titulus* Observations sur les savans incredules Chap. XXXVIII. *qui in eo tantum culpandus foret, si* la Mettrie *inter doctos serio numerasset.*

§. XXVI.

Ex Cartesii disciplina BENEDICTUS DE SPINOZA prodiit, ut a magistri tamen longissime discederet vestigiis, & in apertum Atheismum prolaberetur, pro Atheorum nostra aetate Principe habendus. * Non alium enim Deum, quam ipsam Naturam admisit, quod perinde est ac si diserte, nullum esse Deum, docuisset. ** Quam hominis impietatem ut plurimi scriptis variis confoderunt, penitusque confecerunt, ita non defuerunt, qui pro ejus sectatoribus haberentur, adprobatique stolidi erroris suspicionem subirent. ***

* BENEDICTUS DE SPINOZA, gente, & primum etiam religionis professione, Judaeus, tandem vero ex Philosopho Atheus, natus est Amstelodami, die XXIV. Novemb. anno MDCXXXII. Hagae Comitum obiit, die XXI. Febr. MDCLXXVII. Eos, qui vitam & fata Athei hujus celeber-

berrimi litteris consignarunt, indicat vir doctissimus, GOTTLOB FRIDERICUS JENICHEN, in *historia Spinozismi Leenhofiani, pag.* 5. Recentissimus inter eos est JO. COLERUS, cujus *vita Spinozae*, una cum sermone, *de veritate resurrectionis Christi*, contra eundem, primum belgice, mox gallice anno M DCC VI prodiit. Cum philosophari coepisset, Renati Cartesii placitis, methodoque philosophandi, maxime delectatum testatur auctor *praefationis*, *operibus* ejus *posthumis* praemissae: *Fuit ab ineunte aetate litteris innutritus, & in adolescentia per multos annos in theologia* (Judaicam haud dubio intelligit) *se exercuit. Postquam vero eo aetatis pervenerat, in qua ingenium maturescit, & ad rerum naturas indagandas aptum redditur, se totum philosophiae dedit. Cum autem nec praeceptores, nec harum scientiarum auctores, pro voto ei facerent satis, & ille tamen summo sciendi amore arderet, quid in hisce ingenii vires valerent, experiri decrevit. Ad hoc propositum urgendum scripta philosophica nobilissimi & summi philosophi, Renati des Cartes, magno ei fuerunt adjumento.* Quantum etiam in hacce philosophia profecisset, editis anno M DC LXIV *principiorum philosophiae* (Renati Cartesii) *parte prima & secunda, more geometrico demonstratis*, quae mox *cogitata* ejus *metaphysica* exceperunt, ostendit. Nec tamen hoc ita capiendum, ac si ipsum Atheismum suum ex philosophia Cartesii hauserit. Nullum enim philosophiae systema Spinozismo magis, in discrimine materiae & spiritus accurate constituendo, adversatur, quam Cartesii. Id vero inde intelligitur, eum ingenio plane philosophico fuisse, & ad demonstrationes geometricas prono. Fuisse ante Spinozam, qui in eo, quod caput causae est, cum eo consenserunt, omnes scilicet illi, qui non alium, quam naturam ipsam, seu hoc universum, agnoverunt Deum, quive ideo hodie Pantheistarum nomine a quibusdam insigniuntur, tum ex hactenus dictis constat, tum ex instituto a me in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam*, demonstratum est. Primus tamen Spinoza fuit, qui in systematis formam hanc impietatem summo studio redigeret, eique methodum geometricam, infelici tamen successu, aptaret. Unde & haud immerito haecce Atheismi species nomen ab eo sortita est, atque *Spinozismus* adpellatur. JOAN. GEORGIUS WACHTERUS Spinozam ex Judaeorum kabbala sua accepisse, probare annisus est, in libro lingua Germanica scripto, & sub titulo: *der Spinozismus im Judenthum, oder die von dem heutigen Judenthum und dessen geheimen kabbala vergoetterte Welt, &c.* Amstelodami M DC XCIX edito. Nec specie hoc caret, si cogites, Spinozam gente Judaeum fuisse, adeoque placitis & doctrinis Judaeorum innutritum. Quodsi tamen rursus cogitem, ingenio plane philosophico eum fuisse, & geometricas quaesivisse demonstrationes, valde dubito, an obscuris Kabbalistarum mysteriis multum tribuerit. Ad rem ipsam quod attinet, etsi inter Spinozismum, & Kabbalistarum de emanatione rerum omnium ex divina essentia, sententiam, discrimen aliquod

quod constitui queat, hanc tamen non minus, quam illam, falsam, erroneam & impiam esse, & alias observavi, & supra etiam ad §. *VI.* monui. Nec magnopere me repugnaturum, ibidem professus sum, si quis convenientiam quandam inter Spinozismum & Kabbalisticam illam hypothesin agnoscat, quam tam operose idem WACHTERUS demonstrare allaboravit, in *elucidario Kabbalistico, cap. IV. pag.* 37. *& seqq.* quanquam simul mutata sententia, & Spinozae & Kabbalistarum hypothesin defendat, & ex genuina veterum Ebraeorum philosophia derivet. In praefatione namque diserte profitetur, se *tum temporis* (cum Spinozam damnaret) *tum ob subtilitatem, tum ob popularia praejudicia* eum *perversissime, immo minime intellexisse, pag.* 13. Sed & deinceps *cap. V.* cumprimis §. *V.* Spinozam una cum Kabbalistis liberare ab Atheismi suspicione annititur; sed quam infeliciter, quamve infirmis rationibus, nemini, qui paulo accuratius, quae scripsit, expenderit, obscurum esse potest. Quodsi JO. COLERO credimus, Spinoza Atheismum suum non tam a Judaeis, quam a quodam FRANCISCO VAN DEN ENDE, cujus, in lingua Latina, institutione usus est, accepit. Lectu haud indigna sunt, quae hac de re narrat, in *vita Spinozae, pag. 6. seqq.*

** Solenne equidem est Spinozae aut sectatoribus, aut coecis admiratoribus, de illis, qui contra eum conscripserunt, querelam movere, quod mentem ejus non recte perceperint, eumque ab Atheismo, qui toties illi tributus fuit, prorsus alienum esse, & quae reliqua sunt ejusdem generis. Sed non aliud agunt isti homines, quam ut hac ratione ostendant, se ipsius hypotheses aut non posse, aut non audere defendere; hinc isto effugio securitatem quandam impietati suae conciliare, & imperitioribus caliginem offundere annituntur. Id vero cum luculenter jam ab aliis demonstratum sit, tum facili negotio demonstrari potest. Non afferam ea, quae in *tractatu theologico-politico de libertate philosophandi*, contra religionem Christianam, Scripturaeque sacrae Divinam auctoritatem attulit, quamvis impiam hominis mentem satis superque prodant, ut vel ex iis patet, quae hac de re in compendio disserit B. CHRISTIANUS KORTHOLTUS, de *tribus impostoribus magnis, sect. III.* §. *VII. seqq. pag.* 30. *& seqq.* sed tantum, quae de ipso Deo mens ejus sententiaque fuerit, vel tribus ostendam verbis. Ipse equidem, per Deum, substantiam se intelligere, profitetur, *constantem infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam & infinitam essentiam exprimit, ethic. part. I. prop. XI.* Quodsi quaeras, quaenam haec attributa sint, quibus substantia Dei constat? nihil aliud ex mente ejus responderi potest, quam ea esse partes hujus universi, sive entia determinata, hoc vel illo modo Deum, id est, naturam, tanquam totum, in quo sunt & existunt, exprimentia. Hanc vero ejus mentem esse, eo minus dubitandum, quod alibi hominem *partem Dei* seu *naturae* esse, diserte do-

doceat. Cum enim *part. IV. prop. IV.* asseruisset; *fieri non potest, ut homo non sit naturae pars*, hanc demonstrationem subjungit: *Potentia, qua res singulares, & consequenter homo suum esse conservat, est ipsa DEI SIVE NATURAE potentia, non quatenus infinita est, sed quatenus per humanam actualem essentiam explicari potest. Potentia itaque hominis, quatenus per ipsius actualem essentiam explicatur, PARS est INFINITAE DEI seu NATURAE potentiae, hoc est* (*per prop.* VII. *part.* 3.) *ESSENTIAE.* Nihil, puto, luculentius dici poterat. Quid enim, quaeso, aut obscuritatis, aut ambiguitatis, verba haecce, *homo est pars essentiae naturae, sive Dei*, habere possunt? Neve ullum supersit dubium, alibi diserte, tum de mente, tum de corpore hoc asserit. De mente nimirum, *loc. cit. part. II. in corollario propositionis XI.* ita pronuntiat: *Hinc sequitur, mentem humanam partem esse infiniti intellectus DEI, ac proinde, cum dicimus, mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quam quod DEUS, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanae mentis explicatur, sive quatenus HUMANAE MENTIS ESSENTIAM constituit, hanc vel illam habet ideam.* Pari ratione *part. II. definit. I.* de corpore pronuntiat: *Per corpus intelligo modum, qui Dei essentiam, quatenus ut res extensa consideratur, certo & determinato modo exprimit.* Quae quidem ita comparata sunt, ut evidenter ostendant, Deum Spinozae nihil aliud esse, quam ipsam naturam, seu hocce universum, cujus proprietates primariae eaeque aeternae ac infinitae sint, cogitatio & extensio: res autem particulares nihil aliud esse, quam harum proprietatum seu attributorum modos. Quod & ipse iterum diserte fatetur, *part. I. corollar. propositionis XXV. Res particulares*, inquit, *nihil sunt, nisi Dei attributorum* (hoc est cogitationis, & extensionis) *affectiones sive modi, quibus Dei attributa certo & determinato modo exprimuntur.* Atque huc porro & illud pertinet, quod fundamenti loco toti systemati suo substernit, & tam sollicite sibi demonstrandum sumsit, *unicam tantum dari substantiam.* Quem in finem & *part. I. propos. V. docet: in rerum natura non possunt dari duae aut plures substantiae ejusdem naturae sive attributi; & propos. VI. una substantia non potest produci ab alia substantia; & propos. VII. ad naturam substantiae pertinet existere; & propos. VIII. omnis substantia est necessario infinita.* Ceterum, licet in *tractatu theologico-politico de libertate philosophandi*, tam aperte impium hocce dogma non proposuerit, quam in *ethica*, post mortem ipsius edita, fuerunt tamen, cum priorem istum librum ederet, qui jam latitantem in eo Atheismum deprehenderent, quem & sibi subinde objectum, ipsemet in epistolis non dissimulat. Dum vero in iisdem epistolis hanc a se amoliri suspicionem annititur, nihil aliud agit homo versutus, quam ut ambiguis locutionibus aliis illudat. Mox Dei se agnoscere existentiam, diserte fatetur, sed per Deum, hocce universum intelligit. Mox negat, sibi Deum &

natu-

naturam, unum idemque esse, sed per naturam tum *massam* quandam, sive *materiam corpoream* intelligit. Mox Deum omnium rerum causam profitetur, sed ut materialem potius, vel, ut ipse loquitur, immanentem, quam efficientem, intelligat. Accurate & eleganter haec omnia demonstrat B. CHRISTIANUS KORTHOLTUS, *loc. cit.* §. *XV. pag.* 92. *seqq.*

*** Haud exiguus illorum est numerus, qui calamos contra Spinozam strinxerunt, ejusque & detexerunt & refutarunt impietatem. Praecipui sunt, JO. BREDENBURGIUS, civis & textor, ut ferunt, Roterodamensis, ingenii subtilis laude, nemini ex reliquis Spinozae antagonistis cedens, in *enervatione tractatus theologico-politici, una cum demonstratione, geometrico ordine disposita*, naturam non esse Deum, *cujus effati contrario praedictus tractatus unice innititur;* FRANCISCUS CUPERUS, in *arcanis Atheismi revelatis*, in suspicionem adductus, ac si ex Bredenburgii demonstratione geometrica, clanculum illi subducta, sua hauserit, unde alter alterum variis libellis deinde Atheismi postulavit, CUPERO quidem frustra hanc accusationem a se amoliente, ut deinceps ostendemus; GUIL. BLYENBURGIUS, civis & mercator Dordracenus, in libro de *veritate Christianae religionis;* anonymus, qui ordine temporis reliquos praecessit, & anno M DCC I sub litteris initialibus: I. M. V. D. M. epistolam contra Spinozae *tractatum theologico-politicum*, edidit. His porro accesserunt REGNERUS MANSVELDIUS, LAMBERTUS VELTHUYSIUS, SAL. VAN TILL, CHRISTOPHORUS WITTICHIUS, ISAACUS JAQUELOT, JENSIUS, Medicus Dordracenus, AUBERTUS DE VERSE (64), PETRUS VAN MASTRICHT, MELCHIOR LEYDEKKERUS, HENRICUS MORUS, C. G. DE LA MOTHE, quorum scripta Spinozae opposita, post JOANNEM COLERUM, in *vita Spinozae pag.* 132. *seqq.* accurate recenset vir clarissimus, GOTTLOB FRIDERICUS JENICHEN, in *historia Spinozismi Leenhofiani pag.* 58. *seqq.* Ex Nostratibus B. JO. MUSAEUS, magnum quondam non Academiae saltem nostrae, sed totius ecclesiae Lutheranae decus, reliquis omnibus in hocce genere dubiam palmam reddidit, in *tractatu theologico-politico de libertate philosophandi, ad veritatis lancem examinato;* haud immerito prolixe ideo laudatus a JO. COLERO, *loc. cit. pag.* 139. *seqq.* qui & FRIDERICUM RAPPOLTUM ac JO. CONRADUM DURRIUM, ex Nostratibus, inter Spinozae antagonistas commemorat. Addendi his porro ex Romanensibus PETRUS DANIEL HUETIUS, MICHAEL LE VASSOR, FRANCISCUS LAMI, itemque ex Labadistis PETRUS YVON, & qui omnis Christiani orbis sectas conciliare studet, Rationalistis tamen & Atheis acriter se opponit, PETRUS POIRET; quorum omnium scripta itidem, quos jam laudavi, viri doctissimi, JO. COLERUS, & GOTTLOB FRIDERICUS JENICHEN, commemorant, *locis citatis.* (65) Fuerunt autem ex hisce, qui aut non satis feliciter, aut omnino non serio veritatis causam con-

tra Spinozam egisse visi sunt. Cumprimis hoc nomine male audit FRANCISCUS CUPERUS, cujus *arcana Atheismi revelata*, anno M DC LXXVI Roterodami edita, jam ante commemoravimus. Nec profecto sine ratione. Cum enim Spinozae & Atheis ea concedat, quae illis nullo modo concedere oportebat, e. g. ex solo lumine naturae, Deum esse, demonstrari non posse; nullam dari notitiam Dei innatam; concipi non posse ens, quod nullam extensionem habet, habere posse essentiam; simulque, quicquid extensionem habet, esse corpus, unde sequitur, Deum aut corporeum esse, aut nullum; absque divina revelatione nullum esse virtutis & vitii discrimen; cum praeterea rejectis argumentis solidioribus, quibus existentia Dei probari solet, levia & omni fere robore destituta, in eorum locum substituat, non video, quo pacto causae contra Spinozam destinato consilio male actae suspicionem evitare queat; quod & post HENRICUM MORUM, *opp. philos. tom. I. pag.* 596. *seqq.* pluribus ostendit JOAN. WOLFGANGUS JAEGERUS, in *dissertatione*, cui titulus: *Franciscus Cuperus mala fide aut ad minimum frigide Atheismum Spinozae oppugnans.* Equidem & CHRISTOPHORUM WITTICHIUM, celeberrimum illum Reformatae Ecclesiae Theologum, revera eandem cum Spinoza fovisse sententiam, & *anti-Spinozam* suum non alium in finem scripsisse, quam ut suspicionem hanc a se declinaret, & securitati ac famae suae consuleret, orbi erudito auctor libri notissimi, *suite de la vie de Philopater*, persuadere voluit. Sed calumniam hanc a Wittichio depulit, innocentiamque ejus vindicavit JO. COLERUS, in *vita Spinozae pag.* 149. *seqq.* Praeter eos vero, qui, cum antagonistae Spinozae essent, ejusdem tamen impietatis aut adprobatae, aut frigide vel jejune impugnatae, suspicionem subierunt, & alii fuere, qui talia asseruisse visi sunt, quae aut cum Spinozismo consentirent, aut ad eum ducerent. Ipsum ARNOLDUM GEULINGIUM, inter Cartesii sectatores haud infimi nominis Philosophum, hujus erroris reum agit vir illustris CHRISTIANUS THOMASIUS, in *cautelis circa praecognita jurisprudentiae, cap. XIV. §. XXXIII. pag.* 225. (66) De ABRAHAMO JOANNE CUFFELERO, cujus extat *specimen artis ratiocinandi, naturalis & artificialis, ad pantosophiae principia manuducens*, Hamburgi (ut titulus prae se fert) anno M DC LXXXIV editum, nullo prorsus modo dubitandum, quin in Spinozae castris militaverit. Dum enim *part. I. cap. II. sect. CXLII.* in eo est, ut explicet, quid sit, *aliquid in aliquo mediate vel immediate contineri, vel ex eo manare*, exemplo hoc declaraturus, *quomodo nempe mundus contineatur in Deo*, post multas & longas ambages tandem *pag.* 106. ita pronuntiat: *quibus praemissis sequitur, mundum in statu, in quo jam est, dependere a Deo, hoc est, quod contineatur in essentia divina, aeque fere, ac aequalitas inter quadratum ex A C & rectangulum ex B C & C D continetur in essentia circuli B A D, & quemadmodum illa aequalitas semper in circulo contenta fuit*

&

& erit, licet rectae memoratae nunquam ductae fuissent, eodem fere modo essentia mundi ab omni aeternitate in Dei essentia fuit contenta, & ex ea emanavit, atque in aeternum in ea continebitur: illa autem nullo modo est ex nihilo, juxta innatam nobis veritatem, qua nobis a Deo ipso dictatur, quod ex nihilo nihil fit. Quae auctoris verba, licet aperte satis testentur, mundum & Deum ei aeque ac Spinozae, unum idemque esse, discrimen nihilosecius inter Deum & mundum constituere conatur. In eo scilicet hoc positum esse arbitratur, quod ad essentiam mundi non pertineat existentia necessaria, quae tamen ad essentiam Dei requiratur. Quo ipso tantum abest, ut impietatis notam declinet, ut mentem potius apertius prodat. Revera enim hocce discrimen nullum est, cum una eademque essentia ita, diverso saltem respectu, mox Deus, mox mundus, dicenda sit. Dum enim mundum in ipsa essentia divina contineri statuit, fatendum utique ei est, essentiam mundi non esse diversam ab essentia Dei. Interjectis nonnullis, quae nostram de auctoris mente sententiam mirifice confirmant, ad ipsum Spinozam digreditur, eumque ceu Philosophum longe praestantissimum laudat, valdeque, quod ob mentem ejus, minus recte intellectam, Atheismus ei objectus fuerit, conqueritur. Allatis hinc Spinozae verbis ex *corollario propos. XXV. part. I.* quae antea jam recitavimus, subjungit: *cujus verba cum hoc loco sint obscurissima & durissima, non mirum est, quod iis tam innumeros tamque insignes sibi conciliaverit adversarios; quis enim posset aequo animo perferre has loquendi formulas*, Deum affici; Deum modificari, *quem scimus & fatemur, esse omnium rerum & sui ipsius causam, &c.* Immo addit deinceps: *Si igitur praedicti philosophi intentio vel opinio fuit, naturam cum Deo hoc modo tam foede confundere, judico illum ab adversariis juste impetitum atque condemnatum, immo & memoriam ejus in omne aevum execrandam esse.* Negat autem, hanc mentem Spinozae recte tribui: *attamen, quia de alicujus intentione solus potest judicare intimus cordium perscrutator Deus, nobis nihil aliud restat, nisi ut judicemus de opinione, quae continetur in scriptis, quae memoratus Vir in lucem emisit, & licet inter illius adversarios habeantur etiam perspicacissimi, puto tamen, eos horum scriptorum verum sensum minime assecutos fuisse, &c.* Hoc equidem, (quod adversarii Spinozae verum ejus sensum non sint assecuti) multis verbis ostendere annititur, sed cuncta eo tandem redeunt, quod Spinoza dixit, *res hujus mundi particulares esse Dei affectiones, seu modificationes, quibus Deus certo atque determinato modo exprimitur, &c.* Idem esse, ac si quis cum auctore dicat: *illas res, quas ego concipio conceptu secundario, hoc est, esse tales res, quae sunt in Deo, & quae sine Deo nec esse, nec concipi poterunt, quaeve a Deo dependent, & quarum unica & sola causa efficiens est Deus.* Sane quidem id facile auctori concedimus, quod sibi concedi postulat, non aliena haec esse a mente Spinozae; sed aeque etiam absona atque impia sunt,

ac ipsius Spinozae asserta. Nec est, quod quenquam vox *causa efficiens* moveat. Ita enim Spinozam, ejusque sectatores, ad fucum imperitioribus faciendum loqui, notum est. (67) Praetermittendus quoque hic nobis non est FRIDERICUS VAN LEENHOF, ecclesiae reformatae Zwollensis minister, qui in libro Belgica lingua scripto, sed in Germanicam quoque translato, cui titulus: *coelum in terra, seu descriptio verae laetitiae*, itemque in aliis duobus, ad illius defensionem compositis, talia docuit, quae itidem ad Spinozismum accedere visa sunt. Impietatis itaque non tantum postulatus, sed scriptis quoque variis placita ejus, quae Spinozismum sapiunt, refutata, atque publica auctoritate damnata sunt. Nec exigui eam ob rem in ecclesia Reformatorum Belgica excitati motus, quos accurate & diligenter descripsit vir doctissimus saepiusque nobis jam laudatus, GOTTLOB FRIDERICUS JENICHEN, in *historia Spinozismi Leenhofiani, publica in Belgio auctoritate novissime damnati, &c.* edita Lipsiae anno M DCC VI, qui & speciatim *cap.* II. §. I. *pag.* 74. *seqq.* scripta hac in re edita enarrat; hinc vero §. II. *pag.* 95. *seqq.* summam sententiae Leenhofianae, ad Spinozismum ducentis, luculenter exhibet. Habuisse Spinozam, ut unicum hocce adhuc addamus, plures, in Belgio praecipue, sectatores, & adhuc habere, qui nomina sua profiteri non audent, vix est, quod dubitamus. Certe cum jam suo tempore GISBERTUS VOETIUS conquestus sit: *Belgium nostrum, vere libertinorum omniumque fanaticorum Africam, his pestibus* (Atheis) *quam maxime fuisse & etiamnum esse obnoxium, negari non potest, &c. disp. de Atheismo, selectar. disputation. tom.* I. *pag.* 223. Id etiamnum hodie verissimum esse, non temere quisquam negaverit. Hoc sane experientia docet, & vel JO. TOLANDI (de quo deinceps ex instituto) exemplo patet, qui ut impietate Spinozae nihil cedit, ita impudentia illum multum superat, & nemine impediente, infelices ingenii monstra parturientis foetus, ibidem, ut vel ex titulo patet, in lucem protrusit publicam. (68) Nec tamen etiam in Belgio desunt viri pii & cordati, quibus illa Atheorum molimina magnopere displicent, immo, qui iis pro viribus se opponunt. Id quod contra STOUPAM, auctorem libri notissimi, sub titulo: *Regio Hollandorum*, Gallicano idiomate editi, ex instituto demonstravit JOANNES BRAUNIUS, reformatae Ecclesiae Theologus celeberrimus, in libro, cui titulus: *Vera religio Belgarum*, una cum *apologia religionis Statuum Generalium Belgii confoederati*, anno MDCCLXXV edito.

(64) *Hic ipse* de Versé *a* Reimmanno (*Hist. Ath. pag.* 492.) *inter Atheos censetur; & certe plurima in ejus Tractatu* l'Impie convaincu *occurrunt, quae, eum periculissimos fovisse errores, manifesto evincunt, E. Gr. pag.* 10. Enfin nous pouvons dire hardiment, que Dieu a des Attributs essentiels differens de ceux de la Matiere, quoi qu'il y ait en

en l'un & en l'autre un ſemblable attribut, ſcavoir l'etendue. *Abſurda magis habet pag.* 40. ſeqq. *Concludit pag.* 142. Voila comme ſur l'hypotheſe de l'exiſtence eternelle de la matiere j'ay refuté toutes les ſubtilités impies de Spinoſa, ſans m'engager dans ces mauvais pas, ou je vois que s'engagent neceſſairement ceux, qui tiennent la creation de la matiere, *&c.*

(65) *Numerandi ſunt inter illos, qui Spinoſam feliciter impugnarunt* Nieuwentyd *gronden van Zekerheid*, de Jarriges *Hiſt. de l'Acad. Roy. de Berlin Tom. I. p.* 121-143. *Tom. II. pag.* 295-317. Stapfer *Theol. Polem. Tom. II. pag.* 722-736. *Anonymus Auctor Principiorum Relig. Nat. & Revel. Tom. I. pag.* 186-218. Wolff *Theol. Nat. P.* 2. §. 671-716. *conf. infra n.* 267.

(66) *Multum in eo eſt Vir Carteſianiſſimus* R. Andala, *ut* Geulinxium *Spinoſismi inſimulet in* Examine Ethicae Cl. Geulingii, *praeſertim in Diſſert. III. Verum licet nonnulla in Ethica Geulinxiana reperiantur, quae rigidum rationis examen ſuſtinere nequeunt, nihil tamen in ea occurrit, quod Spinoſismum redolet, cum ubique diſcrimen agnoſcat ingens inter Deum, Mundum & Animam. Vid.* Bruckerus *Hiſt. Crit. Phil. Tom. IV. P.* 2. *p.* 703-705. Stollius *Hiſt. Lit. pag.* 808. ſeq.

(67) *Non tantum in Digreſſione, quae occurrit pag.* 119. ſeqq. *in* Blyenburgium, Spinoſae *Ethicam refellentem, impudenter invehitur, verum etiam in fine Partis primae* pag. 258 *addit:* de acquirenda Dei cognitione abunde ſatis explicatum eſt in Ethica B. D. S. (*Benedicti de Spinoſa*); quod opus ſane aureum eſt, nullo ſeculo interiturum, modo ipſi perverſus ſenſus non affingatur, *&c.*

(68) *Qualis quaeſo demonſtratio! ſecundum titulum* Tolandi *monſtroſo Opuſculo praefixum, impreſſum illud eſt* Hagae Comitum *A.* 1709.; *ergo plures in Belgio ſunt* Spinoſae *ſectatores; ergo Belgium, Libertinorum, omniumque fanaticorum Africa, etiamnum peſtibus hiſce* (*Atheis*) *quam maxime eſt obnoxium. Dari in Belgio Atheos, dari Spinoſiſtas, dari Libertinos, negari non poteſt; ſed an procedit concluſio?* Spinoſae Tractatus *Theologico-politicus ſecundum titulum impreſſus eſt* Hamburgi; *ergo plures Hamburgi ſunt* Spinoſae *ſequaces? An ſummi Imperantes confeſtim manus injicere debuiſſent, & ſupprimere infelicem huncce ingenii monſtra parturientis foetum? an non ſufficit, quod eodem illo anno* 1709. *Ven.* Fayus, *toto applaudente Belgio erudito, ediderit* Defenſionem Religionis, nec non Moſis & Gentis Judaicae contra duas Diſſertationes Joannis Tolandi? *an non ſaepiſſime Ordines Hollan-*

landiae, aliarumque Regionum Foederatarum monſtrarunt publice, & manifeſtius, quam in aliis Ditionibus Europaeis fuit factum, quantopere abhorreant ab omnibus ſcriptis, quae religionem ex hominum animis eradicare ſatagunt? Et tamen hae inſimulationes in ſolum ſummum Imperantem ſunt injuriae.

§. XXVII.

In Anglia quoque inter tot opinionum, quae magno ibi numero provenerunt, monſtra, Atheismum ſuum ſibi vindicare locum, tot egregia a Viris eruditis in hac gente contra Atheos edita ſcripta, nos dubitare non ſinunt. * EDUARDUS HERBERTUS DE CHERBURI, quem nonnulli huc referunt, naturaliſtis potius eſt accenſendus. ** Sed THOMAS quoque BROUNE, *** ab indifferentismi licet ſuſpicione non immunis, ab Atheismi tamen accuſatione videtur abſolvendus. Non aeque THOMAS HOBBESIUS, quanquam & hic a quibusdam aut excuſetur, aut defendatur. * JOANNES TOLANDUS autem omnes impudentia vincit, quippe qui non tantum Atheus eſt, ſed &, ne pro alio, quam Atheo, haberetur, omnem navavit operam. ** In Germania denique, aliisque Chriſtiani orbis regionibus, itidem quandoque fuiſſe, qui Atheismum in animo latitantem, dictis ſcriptisque proderent, ipſa proh dolor! experientia docuit. ***

* Plurimi recentiori aetate inter Anglos fuere, qui ſcriptis erudititiſſimis, acutiſſimisque pro exiſtentia & providentia Numinis pugnarunt, ſtultitiamque Atheorum exploſerunt. Quod certe documento eſt, monſtra ejusmodi in Anglia eſſe, quae illis tanto ſtudio fuerint debellanda. Praecipui autem inter illos ſunt, ROBERTUS BOYLE, in *disquiſitione de natura ipſa;* SAM. PARKERUS, in *diſputationibus de Deo & providentia;* HENRICUS MORUS, in *brevi tractatus theologico-politici confutatione*, item, in *duarum praecipuarum Atheismi Spinoziani columnarum ſubverſione;* quae *operum* ejus *philoſophicorum tom.* I. extant, ut & in *antidoto adverſus Atheismum*, quod in *tom.* II. legitur; RUDULPHUS CUDWORTH, in *ſyſtemate mundi intellectualis;* NEHEMIAS GREW, in *cosmologia ſacra;* GULIELMUS NICHOLS, in *collatione cum Theiſta;* JO. RAYUS, in *exiſtentia*

&

& sapientia Dei manifesta in operibus creationis, qui ejus liber, ex Anglicano idiomate in Gallicanum translatus, Ultrajecti anno M DCC XIV editus est; RICHARDUS BENTLEY, in *stultitia & irrationabilitate Atheismi, &c.* quem viri doctissimi librum, octo orationibus constantem, ex Anglicana lingua in Latinam vertit, & hoc ipso praeclare de orbe erudito meritus est DANIEL ERNESTUS JABLONSKI, Berolini anno M DC XCVI; sed nuper quoque idem in linguam Germanicam conversus prodiit; SAM. CLARCKIUS, in *demonstratione existentiae & attributorum Dei, adversus Hobbesium & Spinozam, &c.* quam ex Anglicana in Latinam translatam, una cum *historia Atheismi* edidit JENKINUS THOMASIUS, Altorffi Noricorum M DCC XII. GEORGIUS CHEYNE, in *principiis philosophicis religionis naturalis;* quorum summam exhibet JOANNES CLERICUS, *biblioth. ancien & mod. tom.* III. *Part.* I. *artic.* II. *pag.* 41. *seqq.*

** EDUARDUS HERBERTUS BARO DE CHERBURY, ob libros de *veritate, prout distinguitur a revelatione, a verisimili, a possibili, & a falsa*, item, de *causis errorum*, & denique, de *religione gentilium, errorumque apud eos causis*, longe est notissimus. Inter Naturalistas, hoc est, eos, qui rationis scita ad salutem consequendam sufficere arbitrantur, principem eum tenere locum, itidem satis constat: quem ejus errorem & praeter alios B. JOAN. MUSAEUS noster, peculiari dissertatione, refutavit. Licet autem Atheismi suspicionem quam longissime a se amotam cupiat HERBERTUS, adeo ut suam hypothesin ad profligandúm Atheismum, & veritatem Christianae religionis stabiliendam, vel maxime facere, glorietur; negandum tamen non est, talia eum asserere, & fundamenti loco ponere, quae ad evertendam funditus religionem Christianam pertinent. Non dubitabit hac de re, qui sequentia ejus recte consideraverit principia: *unicam in necessariis esse veritatis normam, consensum* scilicet *universalem, libr. de veritate pag.* 51. item, *quicquid neque per instinctum naturalem, sensum internum, sensum externum, neque discursum innotescit, tanquam verum proprie dictum, nullo modo probari potest; loc. cit. pag.* 47. praeterea, *de revelatione neminem certum esse posse, nisi cui ea facta sit immediate; pag.* 288. 289. immo, *ne eos quidem, quibus immediate facta revelatio, extra omne deceptionis periculum constitutos, pag.* 281. *in Scripturae sacrae scrutinio notitias saltem communes*, (quae ex consensu universali constant, uti sunt: esse supremum aliquod numen; id coli debere; virtutem pietatemque esse praecipuas partes cultus Divini; vitia & scelera quaecunque expiari debere per poenitentiam; dari praemium & poenam post hanc vitam) *tanquam indubitato certas admittendas esse, loc. cit. pag.* 14. Haec similiaque quorsum tendant, nemini temere obscurum esse potest; idque luculenter ostendit B. CHRIST. KORTHOLTUS, de *tribus impostoribus sect.* I. §. XII. *seqq. pag.* 16. *seqq.* Neque tamen ideo inter Atheos, proprie & stricte sic dictos, referendus

 est

eſt HERBETUS. Id ipſe, quem jam laudavimus, agnoſcit auctor doctiſſimus, CHRIST. KORTHOLTUS: *Cave tamen, dum Atheismi Herbertum poſtulamus, ita id accipias, quaſi ipſam Dei exiſtentiam per nova ejus* δόγματα *negari dicamus. Hac enim ratione* ἀθεότητα *adeo non profitetur ille, ut etiam, ullos dari tales Atheos, palam inficietur, utque articulorum eorum, quibus totam Naturalismi ſui molem ſuperſtruit, primum diſerte faciat hunc:* eſſe ſupremum aliquod Numen; *loc. cit.* §. XI. *pag.* 15. (69)

(69) *Tantum abeſt, ut* Herbert de Cherbury *fuerit Atheus, ut potius ſuperſtitioni quodammodo fuerit deditus, uti conſtare poteſt ex ipſius narratione, quam adjecit Epiſtolae ſuae* ſecundae *Ven.* Leland (View of Deiſtical Writers,) *ſcil. antequam librum ſuum* de Veritate *in lucem emitteret, flexis genubus a Deo fuit precatus, ut ſignum ederet e coelo, quo certior redderetur, opus, quod moliebatur, gloriae Divinae inſerviturum; confeſtim autem ſe audiviſſe, refert, ſonum quendam e coelo, ut putabat, advenientem, quo incitatus fuit, ad librum ſuum edendum. Quid de hocce caſu ſit ſtatuendum, fuſe disquirit laudatus Auctor; id ſaltem eſt certiſſimum, Naturaliſtas ſeu Revelationis oſores & oppugnatores vix a riſu temperaturos, ſi tale quid Chriſtianum hominem narrantem audiviſſent.*

*** THOMAM BROWNE, gente Anglum, profeſſione Medicum, tum ob alia ſcripta, tum maxime ob libellum de *religione Medici*, ab ipſo lingua Anglicana conſcriptum, in Latinam autem translatum, ſubinde inter Atheos commemorari videas. TOBIAS WAGNERUS, librum de *religione Medici* inter eos recte referri, nullus dubitat, in *quibus Atheiſticae impietatis ſemina & hypotheſes deliteſcunt, ut ſine periculo infectionis legi vix poſſint;* in *examine elenchtico Atheismi ſpeculativi, cap.* V. *pag.* II. Alii non equidem Atheismi, Syncretismi tamen, aut Indifferentismi, aliorumque errorum graviſſimorum huncce auctorem poſtulant. Sane in editione libri de *religione Medici*, quae Francofurti & Lipſiae anno MDCXCII prodiit, in ipſo titulo auctor, *Syncretismi univerſalis, immo craſſioris, hominem in quavis religione ſalvari poſſe, patronus*, diſerte vocatur. Alii autem in mitiorem partem de eo pronuntiant, & quae durius ab eo dicta ſunt aut emolliunt, aut defendunt, quos inter & GOTHOFREDUS ARNOLDUS eſt, *hiſtor. haereſ. part.* III. *cap.* VIII. §. XXIX. *ſeqq. pag.* 80. *ſeqq.* Atheis equidem mea opinione annumerari nequit. De Deo ita loquitur, ut pravae aut ſiniſtrae de eo opinionis nullum praebeat indicium. Speciminis loco eſſe poſſunt, quae *ſect.* XIII. *pag.* 77. extant: *Cauſa*, inquit, *rerum omnium primaria unica eſt, ſecundariae quatuor. Quaedam efficiente carent, ut Deus; quaedam materia, ut angeli; quaedam forma, ut materia prima; nulla vero eſt eſſen-*

essentia, sive creata, sive non creata, quae non causam aliquam finalem habeat, essentiae suae operationibusque propositam. Hanc in naturae operibus investigare studeo; ab hac pendet Divina providentia. Pulcherrimam hanc orbis rerumque creatarum compagem struxisse, opus erat solummodo Divinae artis; at varias illas operationes, singulisque rebus sua mandata munia, non nisi ex sapientiae ejus thesauris proficisci oportuit. Idem etiam *sect.* II. *pag.* 4. religionem, quam vocant, reformatam se profiteri, scribit, in qua nihil praeter nomen displiceat; additque: *Fidem illam profiteor, quam Christus Servator docuit, quam disseminarunt Apostoli, quae a Patribus auctoritatem, a Martyribus confirmationem accepit.* Scio, talia & ab Atheis ad caliginem imperitis offundendam, dici posse; quamdiu autem argumenta, quae contrarium suadeant, nondum adsunt, serio & ex animi sententia ista dicta esse, ut credamus, par est. Ejusdem generis est, quod *sect.* XVIII. detestando refert, quae ad impugnanda aut elevanda miracula, ab Atheis dici solent: quod cum THEOPHILUS SPIZELIUS ex eo commemorasset, & adprobasset, addit: de *intentione tamen, animoque auctoris, aliis longe doctioribus atque sagacioribus relinquo judicium; in scrutin. Atheismi, scrutin.* III. §. XXV. *pag.* 113. Quo minus vero THOMAS BROWNE pro Atheo haberi queat, hoc etiam obstare videtur, quod ipsemet *sect.* III. *pag.* 7. se ad superstitionem proclivem esse, fateatur. Eamque satis ingenuam esse confessionem, sententia ejus de ritibus & ceremoniis ecclesiae Romanae, quam ibidem exponit, haut obscure ni fallor, ostendit. Sit itaque immunis ab Atheismi vitio: non aeque ab Indifferentismi suspicione absolvi potest. Certe, quae *l. c. sect.* III. *pag.* 7. de Romanensibus disserit, aperte ostendunt, eum inter illos & protestantes, non adeo magnum discrimen constituisse. *Mihi itaque*, inquit, *religio non est, eorum familiaritate & consuetudine uti, illorum ecclesias adire, quoties nostrae praesto non sunt, adeoque una, aut cum illis, aut pro illis verba facere.* Immo ulterius Indifferentismum extendit, quando *sect.* LIV. *pag.* 296. etiam Ethnicis, qui honesti vixerunt, salutem aeternam denegari non posse, animas autem eorum in nescio quo limbo contineri, docet: *Iniquum est, horum animas in infernum deturbare, quorum vitae nobis adhuc virtutis & pietatis exempla praestant. Cum autem infernum in tot regiones divisum sit, aequum sane fuerat, ut his etiam limbus aliquis statueretur.* Mitto reliqua, quae de hoc auctore observari poterant. (70)

(70) *Ea, quae Cl. Auctor heic loci proponit circa* Brownii *Indifferentismum, summopere displicuerunt Ven.* Reimmanno *Hist. Ath. pag.* 448.; *qui provocat ad* Lib. 1. Sect. 54. *ubi dixit:* nullam omnino salutem dari, nisi per Christum. *Objicit quidem sibi ipse* Brownius, *quod, si etiam illi, qui ante Christi nativitatem vixerunt, per fidem in Christum*

salvari debeant, sollicitus sit de honestis illis atque praeclaris Philosophis eorumque exitu, qui ante nativitatem illam fuerunt mortui. Ardua res est, *inquit*, horum animas in infernum deturbare, *&c. sed mox adjicit:* non levis est arrogantia Dei opera culpare velle, aut de justitia ejus actionum litigare, *& sic concludit, judicium omne Deo esse relinquendum, illudque, sive illos Philosophos in coelum evehere, sive eos in infernum detrudere velit, esse probandum; ita ut tandem fieri debeat manifestum, nullam salutem, nisi per Christum, esse exspectandam. Nihil hic reperitur, quod Indifferentismum redolet; sed verae modestiae exemplum praebet, quod omnibus est commendandum.*

* Malmesburiensem illum philosophum, THOMAM HOBBESIUM, itidem subinde inter Atheos relatum videas. Ne quid enim de illis dicam, qui ex instituto contra illum calamos strinxerunt, qui tamen hac de re non prorsus inter se conveniunt, cumprimis SAMUEL PARKERUS acriter in eum insurrexit, & non tantum Julio Caesari Vanino eum junxit, sed Epicuro quoque, si non deteriorem, certe nihilo meliorem, pronuntiavit. *Malmesburiensis*, inquit, *senex, Gargetticum in omnibus secutus est, an casu, an consulto, nescio; hoc probe scio, ipsum nihil nobis obtulisse, nisi quod apud Veteres in Epicuro reprehensum inveniamus. Ut enim Epicurus omnia a Democrito surripuisse dicitur; ita Hobbesius omnia Epicuri flagitia ingenti fastu tanquam sua recudit; atque ut nova videantur, novis nominibus, (quorum ille, ut sunt novatores omnes, egregius artifex) appellare affectavit;* de *Deo & providentia, disputat.* I. *sect.* XXVII. *pag.* 56. Ex Nostratibus B. CHRISTIANUS KORTHOLTUS Hobbesium tribus impostoribus magnis, de quibus scripsit, annumerare nullus dubitavit; quanquam eum non tam directe Atheismi, quam impugnatae, & quantum in ipso erat, eversae religionis Christianae, reum agat; *sect.* II. *pag.* 50. *seqq.* Et sane, ut ab ultimo hocce accusationis capite ordiamur, absolvi ab ea Hobbesium nulla ratione posse, res ipsa docet. Divinam enim primo revelationem generatim in dubium vocat, neminemque de iis, quae aliis a Deo revelata sint, certum esse posse, contendit; immo nec illos ipsos, qui ejusmodi revelationes prae se tulerunt, hac de re satis potuisse esse certos. Atque inde porro concludit, summorum imperantium arbitrio religionem omnem, quae revelatione nititur, obnoxiam esse; immo non tantum Scripturae interpretationem, sed ipsam quoque, quam habet, auctoritatem, si modo quam habeat, a summa Imperantium potestate repetendam esse. Atque hoc ne frustra dixisse videamur, ex plurimis ejus, quibus hoc probari poterat, locis, unum alterumve allegasse sufficiat. *Illi igitur,* inquit, *Leviathan. cap.* XXXIII. *quibus Deus non revelavit supernaturaliter, quod Scripturae ab illo sint, vel eos, qui illos praedicant, ab eo missos esse, nulla, ut eas recipiant, auctoritate obligantur, praeterquam ejus,*

qui

qui summam in civitate habet potestatem. Is enim Legislator solus est. Ejusdem commatis & reliqua sunt, quae sequuntur, quae hic repetere, instituti ratio non patitur. Similia jam capite praecedenti XXXII docuerat, immo & pejora, dum nec eos, quibus revelatio Divina immediate obtigit, certos hac de re esse posse, asseruit: *Quibus Deus locutus est in scripturis sacris, non immediate locutus est, sed per prophetas, idque omnibus aequaliter. Qui Deum in somnio ad se locutum esse, dicit, somniasse se dicit. Somnia autem aliena pro verbo Dei nemo accipiet, praesertim si somnia maxima ex parte naturalia esse, & ab arrogantia & superbia somniantis procedere posse, sciat: Qui visionem a Deo vidisse, aut vocem audisse, se dicit, somniasse credetur; saepe enim & facile vanis & imperitis hominibus somnia illudunt. Qui supernaturaliter INSPIRATAM sibi esse a Deo doctrinam aliquam novam dicit, a sapientibus ingenii sui admiratione INSANIRE intelligetur. Quanquam autem in somnio, in visione, per vocem, & per inspirationem, hominem alloqui potest Deus omnipotens, dicenti tamen, Deum sibi ita locutum esse, credere obligatur nemo, homini scilicet, qui & errare, & quod pejus est, mentiri potest.* Nihil hoc tandem aliud est, quam si dicat, Prophetis, Apostolis, & scriptoribus θεοπνεύστοις ut quis fidem adhibeat, neminem obligatum esse, quia aut *errare*, aut *mentiri* potuerint, nec ipsi de revelatione sibi facta, aut inspiratione Divina satis fuerint certi. Quo ipso ut omnis Scripturae sacrae auctoritas labefactatur, ita, ut eam penitus evertat, non intermittit, corradendo *Leviathanis cap.* XXXIII. talia, quae eam aut contradictionis aut erroris arguant, quae in *demonstratione euangelica* ex instituto profligavit PETRUS DANIEL HUETIUS. Facultatem autem interpretandi Scripturam sacram, aeque ac ipsam religionem, dependere a potestate summorum Imperantium, non tantum asserit, sed & variis rationibus probare conatur, *elem. de cive, cap.* XIV. *num.* III. IV. & *cap.* XVII. *num.* XXVII. Quid vero mirum? cum nec aliam Scripturae sacrae concedat auctoritatem, quam eam, quae ei a summis tribuitur Imperantibus. Diserte namque asserit, *libros illos solos canonicos, id est, leges esse, in unaquaque civitate, quae summi imperantis auctoritate latae sunt*, h. e. quae a summis Imperantibus pro talibus habentur. Atque hinc quidem, quo animo erga religionem Christianam Hobbesius fuerit, constat. His vero si reliqua ejus de Deo pronunciata addantur, aut me omnia fallunt, aut non tam facile ab Atheismi suspicione liberari potest, ut nonnulli existimant. Non omnia conquiram, sed praecipua saltem indicabo, quamvis etiam observata sint SAMUELI PARKERO, *loc. cit.* Naturalem namque Numinis haud obscure sustulit notitiam, dum eam neque *argumentis*, neque *phantasmatis*, uti loquitur, comparari posse existimat. Non phantasmatis, *quia infiniti phantasma nullum est; neque enim homo, neque ulla alia res, praeterquam quae ipsa infinita sit, infiniti conceptionem ullam habere potest;* neque

que argumentis; *etsi enim ex eo, quod nihil potest movere se ipsum, satis recte infertur, primum aliquod esse movens, quod fuerit aeternum, non tamen inferetur id, quod inferre solent, nempe aeternum immobile; sed contra aeternum motum; si quidem, ut verum est, nihil moveri a se ipso, ita etiam verum est, nihil moveri, nisi a moto, &c. Phys. part.* IV. *cap.* XXVI. *pag.* 204. Non ignoro, quid ad haec pro defendendo aut excusando Hobbesio responderi queat, & etiam responsum sit. Si enim vel maxime phantasmatis, inquiunt, Deus concipi nequit, quia infiniti phantasma nullum est, inde non sequitur, nullam ejus dari notitiam, nullum sensum. Ad alterum vero quod attinet, recte quidem Hobbesium illam quorundam ratiocinationem rejicere ajunt, *nihil movetur a se ipso, ergo Deus se ipsum movet*, inde vero, ac si Deum ipsum vel ejus existentiam neget, minime colligi posse. Quae equidem speciem quandam habent. Quo minus tamen prioris temere admitti excusatio queat, obstare videtur, quod Hobbesius non alium cognoscendi modum admittat, quam per phantasma. Ita enim diserte *loc. cit. p.* 224. loquitur: *Quicquid homines scimus, a phantasmatis nostris didicimus &c.* Alterius asserti Hobbesiani defensio an rite procedat, judicabunt, qui paulo attentius legerint, quae hac de re disserit SAMUEL PARKERUS, *loc. cit. pag.* 88. *seqq.* Sed nec illud praemittendum, quod Deum quendam corporeum, hoc est, si nonnullos audias, re vera nullum, Hobbesius statuit. Non tantum enim in *Leviath. cap. IV.* diserte negat, dari substantias incorporeas, sed & *cap. XXXIV.* corpus & substantiam unum idemque significare, diligenter inculcat, ita quidem, ut ipso judice, *vox composita* substantia incorporea *sit insignificans, aeque ac si quis diceret*, corpus incorporeum. Immo in *appendice ad Leviathan cap. III.* cum ipse sibi hoc dubium proposuisset, *negat, substantias ullas esse incorporeas. Quid aliud est hoc, quam negare, Deum esse, vel adfirmare, Deum esse corpus?* respondet: *affirmat quidem, Deum esse corpus, sed ante eum idem affirmavit Tertullianus &c.* adeoque variis rationibus, sed admodum profecto jejunis, hanc sententiam defendere annititur. Estque hoc ejusmodi, ut ipse vir ingeniosissimus, NICOLAUS HIERONYMUS GUNDLINGIUS, qui Hobbesium ab Atheismo liberare instituit, nodum huncce gordium gladio secandum fateatur, *observation. selectis*, ab eo editis *num. II.* §. *VII. pag.* 61. Sane quidem ex eo, quod aliquis credit, Deum habere corpus, nondum statim sequitur, eum esse Atheum. Sed si tantus Philosophus, quantus Hobbesius fuit, & cui ignotum esse nequit, ex notione corporis talia sequi, quae ideam Dei prorsus evertunt, hoc asserat, & ita quidem, ut cum alibi asserat, quae huic sententiae repugnant, aut non satis sibi constare, aut rotunde, quid sibi velit, non velle eloqui videatur, an non sinistri quid de eo suspicandi non injustam occasionem praebeat, aliis dijudicandum relinquo. TERTULLIANI exemplum, ad quod ipse provocat,

vocat, & Anthropomorphitarum veterum, ad illum excusandum parum facit, cum una eademque sententia a diversis auctoribus, ex principiis diversis, diverso etiam scopo ac consilio propugnata, diversa etiam ratione sit consideranda. Ut autem Hobbesius non alium, quam corporeum Deum agnoscit, ita Angelos seu Spiritus creatos prorsus negavit, *Leviath. cap. XXXIV.* de qua ejus sententia alibi plura dicemus. (71)

(71) *Vel sibi non constat* Hobbesius, *vel turpissimo modo verbis ludit: In Tract. de Cive Cap.* 3. §. 33. *aperte dicit:* Est Scriptura sacra in omnia maximo jure imperantis Dei Oratio; *& Cap.* 17. §. 16. jam Scriptura sacra, ut quam agnoscimus a Deo inspiratam, tota verbum Dei est in secunda significatione, *atqui* §. 15. *dixerat:* accipitur ea vox (*Verbum Dei*) tripliciter —— secundo, quidquid dictum est ab hominibus jussu vel impulsu Spiritus Sancti; quo sensu agnoscimus, Scripturas sacras esse verbum Dei. *Verum si loca ab Auctore allata, & quae a Ven.* Leland *l. c. Epist. III. fuere collecta, perpendamus, sic satis manifestum redditur,* Hobbesium *& religionem revelatam risisse, & ipsius religionis naturalis fundamenta evertere fuisse conatum. Vid.* Leviath. *Cap.* 12. *pag. m.* 56. *& in* Append. ad Leviath. *pag.* 345. *&* 360. seq. *Attamen inter Atheos primi ordinis numerandum non esse* Hobbesium, *solide demonstravit* Moshemius *ad* Cudworth. *l. c. pag.* 74. seq.; *id tamen agnoscit Vir Cl., hominem sibi non constare, & quandoque secum invicem manifesto pugnantia scripsisse; uti hoc ex collatione locorum, quae l. c. adferuntur, videre est, quae in suo contextu examinare in operibus* Hobbesii, *atque exscribere non lubet.*

** An crassiori aut apertiori quadam ratione unquam aliquis inter Christianos Atheismum suum prodiderit, quam JOANNES TOLANDUS, gente Anglus, & ob impietatem hodie notissimus, valde dubito. Dum enim in dissertatione, cui titulum fecit, Ἀδεισιδαίμων, *sive Titus Livius a superstitione vindicatus*, historicum nobilissimum a superstitione se liberare vult videri, revera id agit, ut eum religionis omnis contemtorem, irrisorem, & prorsus ἄθεον omnibus sistat, ut supra jam ad §. *XXI.* observavimus. Eundem nihilosecius Livium, ut *virum sanioris judicii*, §. *VIII. acris judicii in rerum veritate indaganda & dijudicanda;* §. *XII. ut hominem bene moratum bonumque philosophum;* §. *XIX. probae & erectae indolis;* §. *XXII.* maximopere commendat. Quid vero aliud inde sequitur, quam homines, qui non ejusdem cum illa, quam Livio tribuit, sunt sententiae, ineptos esse, superstitiosos, exigui aut nullius judicii, pessimos philosophos, bruta denique & stipites. Sed quid ambagibus opus? In altera enim dissertatione de *originibus judaicis*, quam priori subjunxit, levato velamine Pantheismum, (ita enim Spinozae Atheismum

ſmum vocare illi placuit) adprobat; immo Moſi ipſi hanc ſententiam tribuere non erubeſcit. Primo quidem STRABONIS hac de re adducit teſtimonium. *Moſem enimvero*, inquit, *fuiſſe Pantheiſtam, ſive, ut cum recentioribus loquar, Spinoſiſtam, incunctanter affirmat in iſto loco Strabo. Eam namque exhibet docentem, nullum dari numen a materia & compage mundi hujus diſtinctum, ipſamque naturam, ſive rerum univerſitatem unicum eſſe & ſupremum Deum, cujus partes ſingulas creaturas dicas, & totum, ſi velis, creatorem, &c.* in *originibus judaicis*, §. *VI. pag.* 117. Tantum vero abeſt, ut hoc STRABONIS de Moſis theologia judicium refellat, ut potius eandem & ſibi neutiquam diſplicere ſententiam, haud obſcure innuat. Statim enim ſubjicit: *Haec eſt hodierna litteratorum Sinenſium, aliorumque Orientalium philoſophia, & a quamplurimis inter Graecos antiquos & Romanos propagata: ſed a nemine Latinorum brevius & clarius expreſſa, quam a Pacuvio poëta &c. loc. cit. pag.* 118. PETRUM vero DANIELEM HUETIUM non aliam ob cauſam reprehendit, quam quod Strabonem aliud quid dicentem induxerit. Neve ullum dubium ſuperſit, legenda ſaltem, quae §. *XV. pag.* 123. *ſeqq.* diſſerit, ubi citra ambages STRABONIS de Moſi doctrina judicium adprobat, immo toti fere Scripturae ſacrae, auſu profecto impudentiſſimo, Pantheismum tribuit, uti ſupra quoque ad §. *III.* nobis obſervatum. Quis vero, qui talia legit, dubitet, ipſum Tolandum in Pantheiſtarum militare caſtris? Reliqua itaque ejus effata in religionem & Scripturam ſacram injuria, Atheismum ejus prodentia, referre, ſupervacaneum puto. Detexerunt & refutarunt hanc hominis impietatem JAC. FAYUS, in *defenſione religionis, nec non Moſis, & gentis Judaicae contra duas diſſertationes Joannis Tolandi, &c.* Ultrajecti M DCC IX. 8. & ELIAS BENOIST, cujus Gallicano idiomate extat *Melange de remarques critiques, hiſtoriques, theologiques ſur les deux diſſertations de M. Toland, &c.* a Delf, M DCC XII. 8. PETRUM DANIELEM HUETIUM a calumniis Tolandi vindicavit MORINUS, cujus *diſſertatio contra Tolandi adeiſidaemonem & origines judaicas*, Gallicana lingua ſcripta, extat dans *les diſſertations ſur diverſes matieres de religion & de philologie, &c. recueillies par M. l'Abbe DE TILLADET, tom. I. num. V. pag.* 438. *ſeqq.* quamvis in praefatione doceatur, ipſum HUETIUM diſſertationis hujus auctorem eſſe. Ineptias Tolandi impias de origine gentis Judaicae ipſe profligavi in *proluſione Academica de origine gentis Judaicae*, quae in *ſyntagmate diſſertationum Academicarum* extat. (72) Tolando adhuc ANTONIUM COLLINUM, itidem gente Anglum, ejusque ſi non diſcipulum, certe amicum & ſectatorem, jungimus. Hunc enim auctorem ferunt *diſcurſus de libertate cogitandi*, qui Anglicana primum lingua, deinde & Gallicana M DCC XIV. prodiit, & in quo id unice agit, ut, libertatem cogitandi juſtis limitibus circumſcriptam, cum licentia quidvis cogitandi, pravisque cogitationibus indulgendi, data opera confundens,

dens, dum videri vult, ac si cogitandi libertatem defendat, revera illorum impietati, qui cogitationibus suis frena pro lubitu laxantes, omnem Numinis sensum mortalium pectoribus excussum cupiunt, patrocinetur. Hinc & sub libere cogitantium nomine eos, quos ipse pro Atheis habet, aut quos ad eorum sententiam quodammodo accedere putat, vel maxime commendat; cujus rei jam supra aliquot specimina dedimus. Non immerito itaque hinc inde Viri docti hominis istius petulantiam castigarunt, & in ipsa quidem Anglia praeter alios SAMUEL PYCROFT, in *brevi disquisitione de libertate philosophandi in rebus ad religionem spectantibus:* cumprimis autem PHILELEUTERUS LIPSIENSIS, quo sub nomine RICHARDUM BENTLEJUM, virum doctissimum, latitare constat, in *animadversionibus in nuperum discursum de cogitandi libertate, &c.* (73) Summatim & ego praecipuos libri istius errores profligavi, in prolusione quadam Academica de *libertate cogitandi*, hoc ipso anno MDCCXV. a me conscripta.

(72) *Etiam in aliis scriptis monstravit* Tolandus, *se ab omni Revelatione divina abhorrere, & Atheismo promovendo esse aptissimum; in Epistolis suis ad* Serenam, *motum materiae essentialem esse, demonstrare allaboravit; in* Pantheistico, *A.* 1720. *edito, propugnavit Spinosismum; sed jam antea (scil.* 1696.*) evincere studuerat in libro, cui titulus* Christianity not Mysterious, *Christianam doctrinam nulla mysteria comprehendere & supra rationis vires non esse constitutam; mox canonem Librorum Novi Testamenti suspectum reddere suscepit A.* 1698. *in Tractatu, qui inscribitur* Amyntor; *de quibus* Tolandi *scriptis veneni plenissimis, eorumque felicissimis debellatoribus videndus est Ven.* Leland *l. c. Epist. IV.*

(73) *Non quidem inter eos censeri potest* Collinsius, *qui sine ambagibus existentiam Dei negarunt; sed inter* libere cogitantes *tales retulit, qui sine injuria inter Atheos numerantur; vitia Ecclesiasticorum amplificat, ut contemtum injiciat Religioni, cujus sunt Ministri. Vehementer urget, Euangelia, tanquam ab idiotis Euangelistis composita, reprehensa & emendata fuisse sub* Anastasio *Imperatore, secundum testimonium* Victoris Tunnunensis; *quae calumnia egregie fuit refutata a Cl.* Wesselingio *in peculiari Dissertatione Traj. ad Rh.* 1738. *& a* Bentleyo *la Friponnerie Laique pag.* 168-214. *Suum contra Christianam religionem odium denuo manifestavit in peculiari Tractatu Londini* 1724. *edito, de Fundamentis & rationibus Christianae Religionis, quem videre mihi non licuit, sed cujus mentionem facit Ven.* Leland *l. c. Epist. VI., qui etiam brevem, sed solidam istius tractatus refutationem exhibet, recensens insuper alios, qui feliciter* Collinsii *monstrosa dogmata oppugnarunt.*

Praeter eos, quos memoravit Cl. Auctor, plures extiterunt in Anglia, qui Atheismi fuerunt insimulati; sed quorum plerique Naturalistae *potius sunt dicendi, seu Religionis Christianae hostes; cum Revelationem, non vero existentiam Numinis impugnaverint. Huc referendus est* Woolaston, Tindal, Morgan, Chub, Bolingbroke, Hume; *de quibus omnibus disseruit egregie Rev.* Leland *in saepius memoratis Epistolis, quarum prima pars eleganter in Belgicum sermonem translata est. Id tamen agnoscendum, rarissime inter Christianae Religionis osores fuisse repertos, qui non & alia circa Deum aut res divinas dogmata foverunt, cum vera de Dei existentia persuasione pugnantia, ejusve cultum ex hominum animis eradicare apta; ita ut, revelatae Theologiae bellum indicentes, vix ullum relinquant locum Theologiae Naturali.*

** Germaniam nostram mali hujus non prorsus expertem esse, negare non licet. Nec id adeo mirum, cum plurimi inter nos, exoticis quibusvis majus, quam par erat, pretium statuentes, paradoxa quaevis, erronea, & impia dogmata simul quam avidissime arripiant. Ne quid autem de iis, qui hinc inde delitescunt, aut mentis sententiam non nisi oblique & per ambages prodere audent, dicam, inter eos, qui aperte & citra ambages Atheismum professi sunt, vel maxime eminet MATTHIAS KNUTSEN, Oldenswortha Eiderstadiensis, ex Theologiae studioso Atheismi patronus factus, qui schedis aliquot blasphemis & inficetis, Jenae & Altdorffi anno M DC LXXII & LXXIV. sparsis, eum defendere ac disseminare ausus est. Constabant autem schedae istae, quae typis impressae sunt, *epistola amici ad amicum*, lingua Latina scripta, & dialogis aliquot Germanicis. In his novae *Conscientiariorum*, quam vocat, sectae se auctorem profitetur, aut mentitur potius, qui nihil aliud credant, quam quod ratio & conscientia dictitet; cum tamen ipse ea in dubium vocet, quae ratio evidentissime cognoscit, & quae, si tollantur, conscientiae quoque locus non amplius conceditur. Verbis enim disertis & Dei, & Cacodaemonis existentiam, mortuorum resurrectionem, & vitam beatorum pariter ac damnatorum aeternam, negat, codicis sacri auctoritatem impugnat, ejusque narrationes meras clamitat esse fabulas; ipse contra Peyrerii illepida de Praeadamitis commenta admittit, adversus clerum & magistratum insurgit, nullum denique inter conjugium & scortationem discrimen agnoscit. Jactitabat praeterea pessimus nebulo, innumeros per universam Europam se habere sectatores, & in solo oppido Jenensi septingentos cives & studiosos esse, qui eidem sententiae sint addicti. Ea res occasionem dedit B. JO. MUSAEO, theologo acutissimo, & multis nominibus de ecclesia nostra optime merito, impias hasce nugas peculiari scripto accurate refutandi, quod anno M DC LXXIV. sub titulo: *Ableinung der abscheulichen Verlaumdung, als wenn in der*

Uni-

Univerſitæt Jena eine neue Secte der Gewiſſener wære entſtanden &c. prodiit. In altera ſcripti hujus editione, quae anno ſequenti MDCLXXV. lucem adſpexit, vindiciae accuratae ſacri codicis contra eundem nugatorem acceſſere; conf. JO. MOLLERUS, vir clariſſimus, in *iſagoge ad hiſtor. Cherſon Cimbr. part. II. cap. VI. §. VIII. p.* 164. *ſeqq.* item CASP. SAGITTARIUS. *introduct. ad hiſtor. ecclеſ. cap. XXXIII. ſect. XIV. pag.* 879. cumprimis & DN. LA CROZE, *entretiens ſur divers ſujets d'hiſtoire &c. pag.* 400. *ſeqq.* ubi Knutſenii illius *epiſtolam ad amicum* integram exhibet. De ſcripto quodam Atheiſtico, Berolini circa annum M DC XCIV. edito, cui titulus: *concordia rationis & fidei*, vid. quem jam laudavi B. CASPAR SAGITTARIUS, *loc. cit. pag.* 881. Non ita pridem etiam contigit, ut ſcriptum aliquod Atheiſticum & blasphemiis refertum, in quo auctor & Dei exiſtentiam, & animae immortalitatem, & Scripturae ſacrae Divinam auctoritatem impudentiſſime negavit, Magdeburgi in ſuggeſtu collocatum inveniretur. Cujus rei rumor cum emanaſſet, varia eidem ſcripta oppoſita dicuntur, ex quibus unicum tamen ſaltem in conſpectum meum venit, quod auctorem agnoſcit JO. WILHELMUM PETERSENIUM. Titulus ei eſt: *der in allen Seelen ſich offenbahrende und ſich ſelbſt rechtfertigende Gott, das iſt, Beweis aus dem Licht der Natur; daſs ein Gott ſey, und daſs die Seele unſterblich, &c. auf Veranlaſſung einer gottloſen Schrifft, welche heimlich auf offentlicher Canzel in Magdeburg von einem Lichtſcheuenden hingeworffen iſt, klaerlich dargethan, &c. M DCC XIV.* 4*to.* Ex reliquis Chriſtiani orbis regnis ac regionibus non occurrit, qui adhuc nobis hic ſit commemorandus. In Polonia equidem CASIMIRUS LISZYNSKI, nobilis Lithuanus, anno M DC LXXXIX. ob Atheismum combuſtus eſt. Sed factam ei injuriam, nec Atheismi convictum fuiſſe, nonnulli contendunt. Legenda, quae de eo diſſerit LA CROSE, *entretiens ſur divers ſujets d'hiſtoire, &c. pag.* 418. *ſeqq.* (74)

(74) *Parum emolumenti profluеret ex ingenti Catalogo eorum, qui in Germania Atheismi fuerunt ſuſpecti, cum inter eos, qui vera pietate ſeſe commendarunt, reperiantur, qui ab erroribus ſic ſatis craſſis non fuerunt immunes. Sic ipſe* Chriſt. Thomaſius, *referente* Reimmanno *Hiſt. Ath. pag.* 509., *Atheismi fuit accuſatus; quia plurimi ipſius ſcripta non ſatis intellexerunt; cum tamen aliquando ſeſe ſtrenuum praeſtiterit Deitatis defenſorem. Conf.* Stollius *Hiſt. Lit. pag.* 629. *Occurrunt quidem nonnulla in* Fund. Juris Nat. & Gent., *praeſertim* Lib. I. Cap. I., *quae paradoxa ſunt, obſcure propoſita, & vocabulis expreſſa, quae a communi uſu recedunt; imo admiſcentur quaedam falſa penitus; verum nihil reperitur, quod Atheismum ſapit, aut quod animae immortalitatem reddit dubiam: hoc pateſcit illis, qui non ſubſiſtunt in lectione*

Lib. 1. Cap. 1., *ſed pergunt ad* Lib. 2. Cap. 1. *& cum eo conferunt* Inſtit. Jurisprud. Div. Lib. 1. C. 3. *Negat quidem* Thomaſius Lib. 2. Inſt. Jurispr. Div. Cap. 2. §. 21. *Animam humanam actu immortalem eſſe, philoſophice demonſtrari poſſe; hoc vero dogma commune habet cum pluribus eorum, qui de illa immortalitate ſunt perſuaſiſſimi, eam vero per argumenta ex ſola ratione petita* non apodictice *demonſtrari poſſe ſtatuunt; de quibus infra* Cap. 7. §. 2. *aliquid nobis monendum. conf. etiam Cap.* 3. §. 3.

§. XXVIII.

Quemadmodum autem ex hactenus dictis abunde patet, Atheos dari, ita etiam ſimul intelligitur, ſubinde viros innocentes ſine cauſa Atheismi fuiſſe accuſatos. Atque horum ut longe major adhuc ſupereſt numerus, * ita id ſaltem obſervandum, praeſtantiſſimis ſubinde Theologis contigiſſe, ut ab adverſariis Atheismi rei agerentur, quippe quod ipſius B. MARTINI LUTHERI, ** PHILIPPI MELANCHTONIS, *** DESIDERII ERASMI Roterodamenſis, * JO. CALVINI, ** aliorumque *** exemplo patet.

* Catalogum illorum, qui perperam Atheismi accuſati ſunt, haud exiguum, ex veteribus pariter ac recentioribus, exhibet auctor *apologiae pro Jul. Caeſare Vanino, p.* 26. 27. ſed ita, ut veros Atheos illis, qui falſo pro Atheismi ſuſpectis habiti ſunt, ſine diſcrimine admiſceat. Inter eos autem, quibus per injuriam Atheismus imputatus eſt, recte refert Erasmum, Melanchtonem, Lutherum atque Calvinum.

** Nullam tam nefandam haereſin eſſe, quam non Pontificii B. LUTHERO tribuunt, ſatis notum eſt. Cum Porphyrio, jurato Chriſtianae religionis hoſte, eum comparavit LEO X pontifex; magiſtri autem Pariſienſes cum Montano, forte quod deterior illis ex veteribus haereticis non ſuccurreret. Id jam a me obſervatum, *diſſertat. de Spinozismo ante Spinozam*, §. *XXIII.* Non itaque mirandum, fuiſſe & inter eosdem, qui omnino Atheismum Luthero objicerent. Totus in eo eſt ANTONIUS POSSEVINUS, Jeſuita, ut *Atheismos*, quos vocat, varios colligat, & tum aliis, tum maxime Luthero exprobret, *biblioth. ſelect. lib. VIII. cap. I. ſeqq. pag.* 384. *ſeqq.* Sed, ut ex ungue leonem agnoſcas, ſpeci-

ſpeciminis cauſa vel primum Atheismum indicare juvabit. Nimirum, quia *Eſa. IX. 6.* voces אל גבור non transtulit per *Deus fortis*, ſed: *Krafft, Held*, ergo divinitatem Chriſti labefactat, ergo eſt Atheus. Ergo omnes, qui Scripturam ſacram non ita interpretantur, prout POSSEVINO eique ſimilibus placet, Athei ſunt. De re ipſa hoc ſaltem addo, rectius quidem iſta verti: *Deus fortis*. Nec tamen inde ſequitur, divinitatem Chriſti in dubium vocari ab eo, qui aliter vertit. Sed ipſe Lutherus cauſam ſuam egit *tom. Jenenſ. fol.* 173. *& tom. VII. Jenenſ. german. de ultimis verbis Davidis, fol.* 159. Quodſi & reliqua, quae POSSEVINUS adfert, conſideres, facile deprehendes, nihil aliud eum agere, quam ut animi malignitatem, cum ſumma judicii imbecilitate conjunctam, prodat.

*** Huic non minus, quam B. Luthero Atheismos exprobrat POSSEVINUS, ſed more ſuo, hoc eſt, inepte, & per meram calumniam. Imputat, ut exempli cauſa unicum hocce commemoremus, Melanchthoni haereſin Arianam, eum, quae cum perſonarum in una eſſentia divina aequalitate pugnant, docuiſſe, contendens, & hinc concludit, eum eſſe Atheum; duplici ita argumento ſtoliditatem ſuam demonſtrans, *loc. cit. pag.* 389.

* THEOPHILUS RAYNAUDUS, cum Atheorum clanculariorum tres claſſes conſtituiſſet, ad primam, eorum ſcilicet, *quibus religio ludus eſt, & ſine rubore, ſine ſcrupulo conſcientiae, facetos agunt, vel potius ſcurras in rebus ſanctiſſimis*, cumprimis Deſiderium Erasmum Roterodamenſem refert. *Locum*, inquit, *ſibi ſuum in hac claſſe ſcurrarum, de ſapientiſſimorum hominum ſententia, vindicat Deſiderius Erasmus. Nam quamvis aliis praeterea nec tenuibus maculis ſordeant ejus pleraque ſcripta, tamen eo nominatim ex capite reprehenſioni proborum patuit, quod de rebus ſanctiſſimis tam jocularia & ridicula chartis commiſit, ut alter Lucianus audiret, myſteriis chriſtianae fidei & dogmatibus Chriſtianis impia dicacitate & facetiis eodem plane modo ac more exagitatis, quo Lucianus deos ſuos deriſit; &c.* Multa alia ejusdem generis addit, & omnem furorem in Erasmum effundit, *erotemat. de malis & bonis libris. partit. I. erot. IV. pag.* 22. *ſeqq.* Sed quaenam tantarum irarum erga Erasmum ſint cauſae, neminem fugit. Superſtitionis & ignorantiae regnum per Eraſmum mirum in modum labefactatum, non poſſunt non aegre ferre, quorum ut iſtud conſiſtat & latius propagetur, ac effloreſcat, maximopere intereſt. Nos ſane non omnia ab Erasmo aut dicta aut ſcripta probamus; habere eum ſuos naevos, jocis quoque ac facetiis interdum plus, quam decet, indulſiſſe, haud inviti fatemur; Atheorum autem eum ideo adſcribendum eſſe ordini, concedere non poſſumus.

 ** Qui

** Qui nil nisi Atheismos haereticorum crepat, eosque Luthero & Melanchtoni exprobrat, de Calvino mitius sentire non potuit, ANTONIUS POSSEVINUS, *biblioth. select. libr. VIII. cap. VI. pag.* 389. Parum scilicet diligens sibi videbatur, si vel minimam occasionem τὴν ἀῤῥωστίαν τῆς διανοίας ostendendi praetermisisset.

*** Fuisse, qui B. PHIL. JAC. SPENERUM cum ipso Spinoza, Atheorum nostra aetate Principe, compararent, notum est. Legenda, quae hac de re observavi, in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam*, §. XXIII.

CAP. II.

ATHEISMUS QUID ET QUOTUPLEX?

UBI ET PRAECIPUA ATHEISMI FUNDAMENTA EXHIBENTUR.

Σύνοψις.

Atheismus quid? §. *I. An & quousque differat a Naturalismo?* §. *II. ab Indifferentismo?* §. *III. a Scepticismo?* §. *IV. Enthusiasmus ut Atheismo maxime oppositus est, ita quandoque cum eo convenit,* §. *V. Atheismus vel practicus est, vel theoreticus; Practicus, in quo consistat,* §. *VI. Theoreticus vel rudior est, vel philosophicus; ille quibus tribui queat,* §. *VII. Theoreticus vel Scepticus est, vel dogmaticus; de illo quaedam monentur,* §. *VIII. Dogmaticus vel Aristotelicus est, vel Stoicus, vel Epicureus, vel Spinozisticus,* §. *IX. Fundamenta praecipua omnium Atheismi generum paucis indicantur,* §. *X.*

§. I.

§. I.

Per Atheiſmum * perverſiſſimam animi diſpoſitionem ** intelligimus, qua homo conſcientiae dictamen, aut negligens, aut quodammodo opprimens, ſibi, non dari Deum, perſuadere annititur; *** aut talia adſumit adprobatque placita, ex quibus hoc non poteſt non per pronam conſequentiam fluere. *

* In propria itaque & genuina ſignificatione vocem hanc accipimus, cui & origo ejus pariter ac uſus reſpondent. Solet equidem ſubinde ad eos ambitus hujus vocis extendi, qui falſos & erroneos de Deo conceptus fovent. Idque, ne quid diffitear, ab ipſis, quos vocant, quandoque fit Patribus. CLEMENS Alexandrinus, *lib. VII. ſtrom. p.* 504. recte quidem Atheum definit: Ἄθεος μὲν γὰρ ὁ μὴ νομίζων εἶναι θεὸν, *Atheus quidem eſt, qui non putat, eſſe Deum.* At in *protreptico pag.* 11. in laxiori eandem vocem ſignificatione accipit, ut eam Gentilium etiam ſacris accommodet. Ex recentioribus praeter multos alios laxiorem hanc vocis ſignificationem ſequitur GISBERTUS VOETIUS, *diſputat. de Atheiſmo tom. I. diſputation. ſelect. pag.* 116. Atheorum adeo ſine neceſſitate numerum multiplicans & inter Atheos referens, qui hoc nomine minime erant inſigniendi. Non ſine ratione hac de re conqueritur auctor *apologiae pro Jul. Caeſare Vanino pag.* 23. Cum enim definitionem Atheiſmi, a VOETIO traditam, retuliſſet, addit; *omnes ſpecies* (Atheiſmi) *quas ſubjungit, recenſere ſuperſedeo; ex laxiori ſignificatione numerum Atheorum, quem ſaepius mirari ſoleo, ſubortum judicans. Non ſolum enim Ethnici, Judaei, Muhamedani, ſed & omnes omnino errore ſatae haereſes hoc nomine compellandae eſſent, quarum aſſeclae tamen Deum, licet minus recta fide, & verum Deum colunt. Intentatur crimen Ethnicis, & hi eorumque princeps Julianus, ille apoſtata philoſophus, primis intentarunt Chriſtianis. Qui Chriſti Salvatoris dulciſſimum nomen colunt, Romanos de Atheiſmo poſtulant, at hi reliquos non minore numero. Illis ipſis haereticae pravitatis magiſtris haereticus eſt Atheus, & Atheus eſt haereticus. Sic Eunomium Hieronymus, Arrium Athanaſius Atheos appellitant, qui unum Deum nunquam negarunt. Eodem modo verbi illius utendi libido totas gentes crimine atrociſſimo notavit. In oriente Seres* ἄθεοι *quidem Celſo, Origenis antagoniſtae, non quidem, quod numen naturae auctorem ignorarent, ſed quod ſtatuas forſan, aras & templa non haberent. Neque vero nomen in religionis ſolum negotio regnat, ſed & in rebus civilibus locum habet non poſtremum. Ab Hiſpaniarum partium Theologia Galli, Veneti,*

Veneti, omnesque alii, qui consiliis & conatibus eorum minus favent, Athei salutantur, & hi eodem nomine Hispanos insigniunt. Gallo-Franci, qui nutibus Romanae curiae se non mancipant, Athei vocantur & Libertini; immo illi quicquid obstat, hoc crimine, quasi falce chalybea dissecant. Praestat itaque in strictiori, quae & propria est, hanc vocem sumere significatione. Qui enim hoc non faciunt, quae sunt distinctissima, inter se confundunt, & quadrata miscent rotundis. Maximam quoque Viris innocentibus subinde inferunt injuriam. Qui enim eos Atheos vocari audiunt, de laxiori vocis significatione, utpote minus usitata, non cogitantes, eos tales esse putant, qui ad extremum impietatis gradum venerunt, Numinisque negarunt existentiam. Eos etiam, qui quosvis dissentientes statim pro Atheis habent, non alia ad hoc induci causa, manifestum est, quam ut iram omnem atque furorem in eos effundant. Cum enim Atheo homine nihil sit execrabilius, eodem loco omnes, quorum dissensum ferre nequeunt, haberi vellent, eodem etiam supplicio, quo subinde Athei adfecti sunt, si penes illos staret, adficiendos. Certe ANTONIO POSSEVINO, de quo ad *cap. praeced.* §. *ult.* dictum, hominibusque ei similibus, non aliam causam fuisse, cur Lutherum, Melanchthonem, aliosque, in Atheorum numerum referrent, nemo dubitaverit.

** Summa haec est intellectus corruptio, si quis ea, quae evidentissima sunt, aut non perspiciat, aut in dubium vocet. Concurrit autem vel maxime vitium voluntatis, intellectum ad ea neganda determinantis, quae non esse, ipsius maxime refert, aut ejusmodi homo unice in votis habet. Ex naturali mentis, qua omnes homines laborant, labe, corruptio haec originem ducit, sed variis deinceps causis augetur, donec ad summum fastigium perveniat, homoque adeo in maximam miseriam praeceps ruat.

*** Ita eos designamus, qui directe & citra ambages, reluctante licet & retinente conscientia, nullum esse Deum, sibi aliisque persuadere cupiunt, quos *Atheos primi ordinis* supra ad *cap. praeced.* §. *I.* diximus.

* Atheos *secundi ordinis* innuo, qui, licet directe, Deum esse, non negent, ejusmodi tamen hypotheses fovent, ex quibus necessario hoc sequitur. Pertinent huc plerique eorum, quos capite praecedenti enumeravimus. (75)

(75) *Nemo, quantum memini, melius & accuratius egit de vera significatione & vario usu vocabuli* Atheus, *quam* Reimmannus *Hist. Ath. Sect. I. Cap. I.* §. 7. seqq., *ubi etiam diversas Atheismi species, causas, effectus, proprietates & fines recenset. Non autem a nobis in rebus ad*

 Reli-

Religionem ſpectantibus diſſentientes ſtatim inter Atheos ſecundi ordinis ſunt referendi; adeoque Catalogus Atheorum, quem dedit Cl. Auctor Cap. I., & qui hac ratione longe amplior reddi potuiſſet, valde eſt contrahendus. Qui hypotheſes fovent a noſtris dogmatibus deflectentes, licet abſurdae, & cum divinis perfectionibus non ſatis convenientes conſequentiae exinde deriventur, perverſe admodum ſecundo huic ordini adſcriberentur. Quis quaeſo inter Reformatos Theologos Remonſtrantes illos appellaret ſecundi ordinis Atheos, *qui abſolutam Dei praeſcientiam negant; licet ſic, Numinis intellectum ab omni aeternitate omniſcium fuiſſe, videantur negare? Quis inter Remonſtrantes, niſi adfectuum impetu abripiatur, Reformatae, vel Calvini doctrinae addictum* ſecundi ordinis Atheum *praedicaret, quia aeternum & abſolutum Dei decretum, ad liberas hominum actiones ſeſe ſecundum veriſſimam Reformatorum doctrinam exporrigens, conciliari non poſſe ſibi perſuadet, cum juſtitia Ejus vindicativa iſtiusque exercitio?*

§. II.

Naturalismus, ſi idem ſit, ac Pantheismus, cum Atheismo convenit, aut ſaltem ſpecies Atheismi eſt. * Sin illorum hac voce denotetur ſententia, qui per ſolam rationem, ſepoſita revelatione, homines aeternam ſalutem conſequi poſſe, contendunt, ab Atheismo equidem differt, facile tamen in eum degenerat, aut ad eum ducit. **

* Vocem *Naturalismus* diverſimode accipi, conſtat. Interdum enim idem eſt, ac Pelagianismus, quem *ſubtilem Naturalismum* dixeris. (77) Interdum vero illorum ſententiam denotat, qui per ſolius rationis ſcita, ſepoſita revelatione, viam ad aeternam ſalutem patere contendunt; eamque adeo & Ethnicis, ſi rationis rectae ductum ſecuti ſint, adjudicare nulli dubitant. Quem quidem *craſſiorem Naturalismum* vocare liceat. *Craſſiſſimus* vero illorum eſt, qui non alium, quam naturam, ſeu hocce univerſum, Deum agnoſcunt; qui & *Pantheismi*, & a praecipuo impii erroris reſtauratore, *Spinozismi* nomine venire ſolet. Obſervata haec jam ſunt in *inſtitutionib. theol. moralis, part. I. cap. I. ſect. II. ad XXX.* Subtilis Naturalismus hic in cenſum non venit. Craſſiſſimum vero illum, ſeu Pantheismum, ab Atheismo non differre, res ipſa docet. Legenda, quae de *Naturaliſmo Atheiſtico* diſſerit ADAMUS TRIBBECHOVIUS in *hiſtoria naturaliſmi cap. XI. p.* 51. Non tamen omnis Atheismus eſt Naturalismus, ſeu Pantheismus. Dari enim diverſas Atheismi ſpecies, ex dicendis patebit.

(77)

(77) *Pelagianismus dicitur, qui vires hominum naturales nimium extollit, ita ut ad quaevis bona Deoque grata opera sufficerent; unde necessario sequitur, ut reconciliatio cum Deo per expiationem infiniti valoris superflua sit, & non necessaria, ac homo nulla Numinis gratia indigeat. Vid. Cl. Auctor Theol. Dogm. L. 3. C. 2. Si haec vera forent, superflua quoque esset Revelatio, quae salutis viam, rationis viribus non patentem, indicat.*

** Non enim statim, Deum esse, negat, qui solam rationem ad salutem consequendam sufficere, asserit. Hoc tamen, qui inter Christianos asserunt, infensum erga religionem Christianam animum produnt. Hinc vero proximus ad Atheismum gradus, quod exempla Spinozae, Thomae Hobbesii, aliorumque ostendunt. Ad hancce Naturalistarum classem, praeter Hobbesium & Eduardum Herbertum, ADAMUS TRIBBECHOVIUS etiam refert Franciscum Puccium, atque Thomam Campanellam, in *historia naturalismi, cap.* X. *pag.* 47. *seqq.* (78)

(78) *Qui inter Christianos sunt nati atque educati, qui Revelationis placita contulerunt cum absurda aut mutila veterum Gentilium, tantum rationis lumine gaudentium, de Deo rebusque divinis doctrinâ; qui proinde experti fuerunt, quanta Religio Naturalis acceperit per Revelationem incrementa, non possunt infensum erga Christianam Religionem animum in pectore gerere, nisi, adfectuum impetu abrepti, ac voluptatibus seducti, futuram post funera vitam pertimescant, quae plenius evidentiusque in S. S. docetur, quam per rationis sibi relictae placita demonstratur; nisi, dissolutioris vitae amantes, rigidiora Ethices Christianae praescripta eludere, seseque legibus revelatis, naturales egregie confirmantibus, ac nova incitamenta adjicientibus, subducere, ridendo conamine, studeant. An vero* Eduardus Herbertus *illorum numero sit adscribendus, qui per Naturalismum ad Atheismum fuerunt prolapsi, dijudicari poterit ex iis, quae notavi ad Cap. I. §. XXVII. n. 69.*

§. III.

Indifferentismus religionum si universalis sit, ita, ut quis omnes religiones uno eodemque loco habeat, hoc est, omnes aeque contemnat, rejiciatque, ab Atheismo itidem non differt. Fieri enim prorsus nequit, ut Deum aliquis esse credat, simulque omnem ejus cultum rejiciat. Sin vero naturalem quis saltem religionem admittat, cum Naturalismo, de quo

 antea

antea dictum, conveniet. Particularem Indifferentismum qui ſtatuunt, etſi & ipſi graviter errent, Atheismi tamen argui nequeunt. * (79)

* Lucem hic dabunt, quae de religionum Indifferentismo, variisque ejus ſpeciebus, & gradibus, dixi, in *inſtitutionib. theolog. moral. part.* I. *cap.* I. *ſect.* II. *ad* §. XXIX. Hoc ſaltem addo, impotentis animi indicium eos praebere, qui viros in controverſiis domeſticis, iis praecipue, quae non magni momenti ſunt, moderata conſilia ſequentes, ſtatim Indifferentismi religionum, &, quem hinc fluere putant, Atheismi, arguunt.

(79) *Non omnes, qui Indifferentismum religionum admittunt, aeque graviter errant. Indifferentiſtae appellari nequeunt, qui omnes Religiones aeque contemnunt: ſic enim in ipſum* Atheismum, *ſaltem in* Deismum, (*qui non, niſi nomine, ab Atheismo differt, ſi ad ſundamenta atque originem utriusque reſpiciamus*) *abiret. Si ſola Religio Naturalis admittatur, & omnes reliquae, quae revelationem qualemcunque ſupponunt, rejiciantur, potius* Naturalismus *obtinet; idque agnoſcit ipſe Cl. Auctor* loc. cit. *Verum Indifferentismus, quem* particularem *appellat Cl.* Buddeus, *hiſce temporibus eſt frequentiſſimus; dantur, qui Chriſtianae fidei articulos nimium contrahunt, quique proinde* Syncretiſtae *dici merentur, quorum in numero haberi poteſt Auctor Anonymus libelli* lettres ſur la Religion eſſentielle a l'Homme, *contra quam varii calamum ſtrinxerunt, praeſertim Ven.* de Roches, Defenſe du Chriſtianisme, ou preſervatif contre un ouvrage intitulé Lettres ſur la Religion eſſentielle a l'homme, *&* Boullier (*qui tamen latere voluit*) Lettres ſur les vrais Principes de la Religion; *Dantur alii, qui, Scepticorum in caſtris militantes, veritatem abſconditam eſſe cenſent, etiam poſtquam Revelationis lumen fuit conceſſum, ut in ea invenienda fruſtra ponatur labor; quos inter Cl.* Buddeus *ſine injuria retulit* Baylium *in* Commentario Philoſophico *ſuper verbis Chriſti* compelle eos intrare, *quem recte refutavit Cl.* Pictet *contre l'Indifference des Religions Chap. XI. Dantur denique, qui illam Religionem, ſi non fovendam, ſaltem profitendam eſſe ſtatuunt, quae a ſummis Imperantibus praeſcribitur, licet de ejus veritate non ſimus perſuaſi; qualis Indifferentismus in Hypocriſin abit, & cum ſincera Dei veneratione conſiſtere non poteſt: de hiſce conferenda eſt ſequens* §. *IV.; & Cl.* Pictet *l. c. Ch. XXI-XXV.*

§. IV.

§. IV.

Idem & de Scepticismo dicendum. Hic enim, ſi univerſalis ſit, numinis etiam exiſtentiam in dubium vocat. Perinde vero tandem eſt, ſive Deum eſſe neges, ſive an exiſtat, dubites, niſi forte in eo diſcrimen conſtituatur, quod alterum malignitatem majorem, alterum majorem ſtultitiam indicet. * De particulari autem Scepticismo, etſi & is vitio non careat, aliter exiſtimandum.

* Varias eſſe Scepticismi ſpecies, gradusque diverſos, ex inſtituto a me expoſitum, in *diſſertat. de ſcepticismo morali*, quae extat inter *analecta hiſtor. philoſ.* §. III. *ſeqq.* Univerſalem Scepticismum ab Atheismo non differre, non temere quis negaverit. Negare hoc equidem videtur FRANCISCUS MOTHAEUS VAYERIUS, ſed ita, ut revera Scepticos Atheos fuiſſe concedat. Non enim ex inſtituto eos Atheismum profeſſos dicit, ut perperam nonnulli crediderint. Patere namque ex SEXTO EMPIRICO, eos, ſicut reliquos philoſophos, exiſtentiam Numinis admiſiſſe, cultumque conſuetum ei exhibuiſſe, nec negaſſe providentiam. Praeterquam vero, quod nunquam determinare cauſam primam admiſerint, & hinc ad Idololatriam ſui temporis rejiciendam inducti ſint, nihil eos de natura Dei, niſi cum ſuſpenſione judicii aſſeruiſſe, nec quicquam niſi cum dubitatione fuiſſe profeſſos, idque ſaltem, UT LEGIBUS MORIBUSQUE SUI SECULI ET REGIONIS IN QUA VIVEBANT, SE ATTEMPERARENT; hinc & cum aliis Ethnicorum philoſophis aeternam ſalutem non deneget, Pyrrhonios tamen ab ea plane excluſos eſſe contendit; *de la vertu des Pajens*, *pag.* 226. Et ſane conveniunt haec cum iis, quae de Scepticis ipſe refert SEXTUS EMPIRICUS: τάχα γὰρ ἀσφαλέστερος παρὰ τοὺς ἑτέρως φιλοσοφοῦντας εὑρεθήσεται ὁ Σκεπτικός, κατὰ μὲν τὰ πάτρια ἔθη, καὶ τοὺς νόμους, λέγων εἶναι θεοὺς· καὶ πᾶν τὸ εἰς τὴν τούτων θρησκείαν, καὶ εὐσέβειαν συντεῖνον ποιῶν· Τὸ δ᾽ ὅσον ἐπὶ τῇ φιλοσόφῳ ζητήσει μηδὲν προπετευόμενος; *Fortaſſe etiam cautior & tutior invenietur Scepticus, quam ii, qui aliter philoſophantur, dicens, eſſe Deos ex moribus ac legibus patriis, & faciens, quicquid ad eorum cultum & venerationem pertinet; quod autem attinet ad philoſophicam eorum inquiſitionem, nihil temere definit, libr. VIII. cap. de Diis.* Quae SEXTI verba cum & PETRUS DE VILLEMANDY retuliſſet, recte ſubjicit: *Egregia ſcilicet pietas! quae ideo tantum Deum agnoſcit & veneratur, quia ſic a ſocietate ſancitum; colitque, ne concivium incurrat horrorem: de caetero an ſit, an vero non ſit, humana regat, an vero minime, prorſus* ἐπέχει, *neque ullatenus inquirendum, opinatur. Haec ſcilicet, ſi quando ad flagitium aliquod,*

vel utilitatis vel voluptatis illiciis inclinabit, ab ejus perpetratione Numinis hujus praesentia ac metu deterrebitur! Quam facilis ab ea indifferentia eoque supremi Numinis contemtu ad Atheismum prolapsus! in *scepticismo debellato cap. IV. pag.* 26. 27. Immo non tantum prolapsus inde facilis ad Atheismum, sed, si dicendum, quod res est, ipse jam Atheismus est. Qui enim dubitat, an Deus sit, non magis eum admittit, quam qui diserte eum esse negat; nec magis etiam eum colet, aut colere poterit. (80) FRANCISCUS equidem MOTHAEUS VAYERIUS, quem modo laudavimus, ex Pyrrhonismo hoc demum redundare in homines commodum existimat, quod rationis, quae ex dubiis, quae sibi format, infinitis, eluctari nequeat, imbecillitatem, suamque adeo miseriam intelligentes, eo facilius ad religionis Christianae, quae his defectibus medeatur, decreta admittenda, adduci queant, *loc. cit. pag.* 229. Quam ejus sententiam etiam calculo suo adprobat PETRUS BAELIUS, *dictionar. histor. critic. voc. Pyrrhon. pag.* 2482. Haec vero ad caliginem saltem aliorum oculis offundendam, atque fallendos incautos dici, nemo temere dubitaverit. Alia sane suppetit ratio, humanae mentis imbecillitatem, ignorantiamque in rebus Divinis cognoscendi, ut ideo ad extremum huncce stultitiae gradum, qui in Scepticismo conspicitur, descendere, necesse non sit. Quem autem semel hicce morbus revera occupavit, illum ad Christianae religionis admittenda placita reliquis omnibus longe ineptiorem esse, judico. Quid enim agas cum homine, qui de principiis omnibus, quibus veritas Christianae religionis innititur, & ex quibus demonstrari potest, dubitat? PETRUM vero BAELIUM ex animi sententia hoc dixisse (per Scepticismum viam ad religionem Christianam parari) eo minus est credibile, quod ipsemet in praecedentibus *lit. B. pag.* 2430. omnes ingenii vires intendat, ut probet, ipsa Christianae religionis scita arma suppeditare, quibus Scepticismus plane invincibilis evadat; quamvis haec ita comparata sint, ut, vincibilem Scepticismum esse, facile demonstrari queat. (81)

(80) *Licet Scepticus tantum de existentia Dei dubitaret (quae dubitatio tamen omnem certitudinem moralem removet & suffocat) licet, permotus argumento, desumto ab eo, quod tutum est (de quo* Cap. *IV.* §. 4.), *vitae suae rationem pie, temperanter & juste componere videretur, attamen, si absit vera de existentia Numinis persuasio, omnes actus, qui religiosi apparent, hypocrisin redolent, cum amare, venerari, imitari non possit Deum, qui* fortassis *in rerum natura non datur, quem tamen, ambiguis errans passibus, perpetuo malevoli instar servi metuit, quem cultus vano simulacro prosequitur, ut Ipsius, si forte existat, effugiat iram atque vindictam.*

(81) *Notat quidem* Bailius *l. c. lit. B, merito deteſtari Theologos Scepticiſmum, (qui tamen, ex ejus opinione, neque ſcientiae rerum naturalium, neque politicis negotiis eſt damnoſus); agnoſcit quidem, Religionem certitudine debere niti, cum labantur ejus fines, effectus, & uſus, ſimulac plena perſuaſio de ejus veritatibus ex animo eſt deleta: verum adjicit, eundem parum eſſe metuendum,* quia gratia divina (*& ubi hoc vocabulum apud* Bailium *occurrit,* timeo Danaos *&c.*) in fidelibus, vis educationis in aliis hominibus, &, ſi velis, ipſa ignorantia, & ad decidendum proclivitas ſunt impenetrabilis ſcepticorum ictibus clypeus *&c. quae verba minime videntur ex animo ſerio & veritatis amante profecta, praeſertim ſi attendamus ad ea, quae proponit Lit. C, ubi, poſtquam non improbaverat ea, quae ex* la Mothe le Vayer *protulerat, de Pyrrhoniſmo, vel, quod eodem recidit, de ſententia eorum, qui rationem malefidam ducem declarant, dicit;* c'eſt un grand pas vers la Religion Chretienne, car elle veut, que nous attendions de Dieu la Connoiſſance de ce, que nous devons croire, & de ce que nous devons faire: elle veut, que nous captivions notre entendement a l'obeiſſance de la Foi. *Sic abutitur periculoſiſſimus Scriptor ſanâ & ſalutari doctrina Theologorum, ac ſi non ſimul in Revelatione inculcaretur,* Religionem omnem debere eſſe rationalem, *quae rigidum ſanae rationis examen ſuſtinere poteſt. Ceterum Sceptici iisdem utuntur exceptiunculis contra exiſtentiam Dei, ejusque cultum, quibus Athei; in eo tantum differunt, quod hi litem diremtam judicent, Sceptici vero, adfectata modeſtiâ, Atheorum argumenta non ſuperandas difficultates involvere, declarantes, ſub judice litem eſſe, perhibeant.*

§. V.

Enthuſiasmus etſi toto coelo ab Atheismo differat, immo pugnare cum eo prorſus videatur, * fieri tamen poteſt, ut in Atheismum tandem abeat, ſi per ἀποθέωσιν quandam cuncta in eſſentiam divinam reducantur. ** Sive enim res omnes creatas in Deum mutes, quod Enthuſiasmus hoc modo ſpectatus facit, ſive Deum in res creatas, ſeu materiam, quod Spinozismo eſt proprium, res eodem tandem recidit.

* Quid & quotuplex Enthuſiasmus ſit, copioſe a me eſt expoſitum, in *Inſtitutionib. theol. moralis part. I. cap. I. ſect. V. §. XVII. ſeqq.*

** Hoc

** Hoc itidem a me jam obſervatum, in *diſſertat. de Spinozismo ante Spinozam*, §. *XII. pag.* 329. Eſt tamen hic caute incedendum, ne temere alicui opinionem tribuamus, quae illi in mentem non venit. Et primo quidem ipſius Enthuſiasmi, aut dogmatum eo tendentium, niſi certo hoc nobis conſtet, quemquam accuſare, nefas erit. Deinde, ſi vel maxime jure aliquis Enthuſiasmi accuſetur, non omnes tamen eodem habere loco decet. Sunt enim diverſae ſpecies Enthuſiasmi, gradusque diverſi. (82) Solent haud raro Myſtici ac Theoſophici, quos vocant, Scriptores, Enthuſiasmi accuſari, immo ejus Enthuſiasmi, qui in Pantheismum, quem alias Spinozismum vocant, tandem abit. Nec negaverim, quosdam ita locutos, ut hujus impietatis rei cenſeri queant. De omnibus profecto id minime aſſeveraverim. Occaſionem accuſationi dedit dogma de θεοποιήσει, ſeu ἀποθεώσει, ex Platonica atque Pythagorica diſciplina ortum. Equidem, an Pythagoras atque Plato, quando docuerunt, finem philoſophiae eſſe, ὁμοιωθῆναι τῷ θεῷ, *Deo aſſimilari*, hoc ita intellexerint, quod homo tandem Deus fieri, ſeu in eſſentiam Divinam mutari debeat, nondum poſitum eſt extra omnem controverſiam. Sunt enim Viri doctiſſimi, qui, iſtas philoſophorum locutiones φυσικωτέρως accipiendas negantes, de aſſimilatione quadam, qua virtutes, eas intelligendas, contendunt. Certe mitiorem hanc interpretationem, ſenſumque moralem locum invenire, quoties veteris Eccleſiae Patres, JO. CHRYSOSTOMUS, GREGORIUS Nazianzenus, CYRILLUS, THEODORETUS, aliique, ejusmodi formulis uſi ſunt, nemo temere dubitaverit. Uſos autem eſſe, praeter alios oſtendit celeberrimus Academiae Lipſienſis Theologus, AD. RECHENBERGIUS, in *diſſertat. de origine theologiae myſticae* §. *XX*. Licet vero quidam inter Myſticos, hiſce formulis abuſi ſint, & talia docuerint, quae ad phyſicam quandam ἀποθέωσιν collimant, ideo tamen omnibus promiſcue ac ſine diſcrimine, impius ille error tribui nequit. Sunt inter eos, qui Enthuſiasmi nomine male audiunt, nonnulli, qui & ideo inter Atheos referuntur, quod emanationem quandam rerum omnium ex Deo ſtatuant, quos inter philoſophus ille Teutonicus, JACOB BOEHMIUS, haud ultimum locum tenet. At alii eos a Spinozismi ſuſpicione liberant, etſi ipſam illorum ſententiam non adprobent, ſi emanatio talis intelligatur, in qua id, quod emanat, revera diſtinguitur a principio, unde emanat. (83) Et huic quoque ſententiae ipſe quondam calculum meum adjeci in *diſſert. de Spinozismo ante Spinozam*, §. *XXI*. Quod non ita accipiendum, ac ſi ejusmodi hominum ullo modo defendere ſententiam, aut ab errore liberare velim. Hanc enim mentem meam non fuiſſe, quivis, qui paulo attentius, quae ibi ſcripſi, legerit, facile judicabit. Quodſi quis oſtenderit, Boehmii eam ſententiam fuiſſe, qua diſcrimen inter creatorem & creaturam tollitur, eum jure meritoque Spinozismi argui, lubens conceſſerim. Multo vero minus ipſam doctrinam de emanatione meam facio, a qua me alieniſſimum eſſe,

esse, jam tum, cum ista scriberem, professus sum, *loc. cit. pag.* 344. Enim vero, etsi emanatio ista explicari utcunque queat, ut discrimen inter Creatorem & creaturam salvum maneat, & a Viris doctis ita etiam explicetur, ut supra ad *capitis praecedentis* §. *VI.* observavimus, ita tamen comparata est haec locutio, ut non tantum Scripturae suffragio destituatur, sed facile aliquem ad Spinozismum ducere queat; nec modum creationis, qui captum humanae mentis superat, explicat, sed involvit potius, meritoque adeo, utpote maximo cum periculo conjuncta, rejicitur. Nec praetermittendum, quod eidem JACOBO BOEHMIO, aliisque, qui itidem aut pro Enthusiastis, aut Fanaticis habentur, saepius & quidem non immerito exprobratum fuit, eos Deum in se, absque creaturis, aut sine σχέσει ad res creatas spectatum, NIHIL vocasse; quod profecto neutiquam ferendum. Etiamsi enim vel maxime discrimen inter *nihil* & *non ens*, quod nonnulli urgent, admitteretur, simulque concederetur, auctores, qui ita locuti sunt, Deum saltem intuitu nostrae cognitionis *nihil* vocasse, quia Deus absque rebus creatis spectatus, a nobis concipi nequeat; falsum tamen est, Deum nullo modo in se, absque rebus creatis, spectatum, cognosci aut quodammodo concipi non posse. Perfecte & adaequate Deum concipi non posse, lubentes concedimus; sed id ita se habere, rursus dissentientibus concedendum est, sive absque rebus creatis, sive cum iis spectetur. Non vero video, quid obstet, quo minus quis ideam entis perfectissimi animo utcunque concipere queat, etsi rerum ab eo productarum nullam habeat rationem. (84) Praeterea cum non omnes ea ingenii subtilitate praediti sint, ut discrimen inter *nihil* & *non ens* capiant, fieri aliter nequit, quam ut plurimi talia audientes in eam inducantur sententiam, ante rerum adspectabilium productionem nullum fuisse Deum.

(82) Enthusiasmus *proprie obtinet in iis, qui extraordinarias Dei revelationes & inspirationes jactant, sive qui, vehementiori imaginationis impetu abrepti, motus quosdam, & perceptiones vel repraesentationes, etsi mere naturales, pro supranaturalibus atque divinis habent, eosque, utut a rectae rationis placitis, ac a Revelationis regulis aberrantes, ceu vitae doctrinaeque normam, sequuntur. Haec autem descriptio, quae conspirat cum illa, quam dedit Cl. Auctor l. c., nihil involvit, quod inter ridiculum huncce mentis morbum, ex mala dispositione corporis propullulantem, atque inter Atheismum vel minimam cognationem monstrat. Neque sic definitus* Enthusiasmus *ex eodem fonte cum* Spinosismo *potest promanare, uti adfirmat Auctor in Analect. Hist. Philos. pag.* 329, *acsi Enthusiasmus res omnes creatas in Deum mutaret, Spinosismus Deum in res creatas, aut materiam. Possunt melancholici, hypochondriaci similesque, praesertim si ad superstitionem inclinent, bona fide sibi persuadere, se extraordinariis gaudere inspirationibus & revelationibus,*

a Deo, quem ſuo modo venerantur, & nequaquam cum rebus creatis confundunt, proficiſcentibus.

(83) Syſtema emanativum, *quod aliquando ita proponitur, ut inter illud atque inter Spinoſismum magna intercedat cognatio; nullum habet nexum cum Enthuſiasmo; neque procedit argumentatio: in quorundam Myſticorum ſcriptis veſtigia reperiuntur Syſtematis emanativi, ergo Theologia myſtica ducit ad Spinoſismum,* tum *quia non omne ſyſtema emanativum in Spinoſismum abit, quando, ſcilicet, ſollicite diſtinguitur inter Creatorem & inter creaturam;* tum *quia in eodem ſcripto duo occurrere poſſunt errores, licet hi nihil inter ſe habeant commune, licet alter ex altero non naſcatur.*

Si vero Enthuſiasmus *in eo reponatur, quod cum Fanaticis, vel Myſticis, (inter quos numerati fuerunt* Antonetta de Bourignon, *&, poſtquam ab hac ſeductus fuit,* Petrus Poiret) *ſtatuatur,* Lumen aliquod internum *ad ſalutem requiri, ad illam vero inutilia eſſe omnia externa media, Verbum divinum & Sacramenta, potius in* Indifferentismum, *quam in* Atheismum, *vel* Spinoſismum *degenerare poteſt, quod recte notavit* Stapfer *Theol. Polem. Tom. IV. pag.* 349. ſeqq. *vid.* Jäger *in Examine Theologiae novae Art.* 3, 23, 30, *& paſſim.*

(84) *Hocce aſſertum vix admittere poterunt nonnulli ſaltem ex* Leibnitii *aſſeclis, qui, nixi axiomate antiquiſſimo* nihil fit absque ratione ſufficiente, *cum* Canzio *in Theolog. Nat.* §. 139. *ſtatuunt,* Deum creationem omittere non potuiſſe absque libertatis ſuae abuſu. *Melius quippe fuit, divinisque perfectionibus convenientius aliquid extra ſe producere, quam non producere; atqui Deus ſemper facit & morali neceſſitate facere debet id, quod ſuis perfectionibus eſt convenientiſſimum; ideoque, licet in abſtracto Deus concipi poſſit tanquam Ens neceſſarium, aeternum, vi ſuae naturae exiſtens & liberum; attamen divina libertas ſapientiam non habuiſſet comitem, ſecundum hancce doctrinam, ſi Deus manſiſſet ſolus; atque in fruitione ſuarum perfectionum beatiſſimus: verum de hiſce aliquid in ſequentibus adjiciendi redibit forte occaſio.*

§. VI.

Atheismus proprie ſic dictus vel *theoreticus* eſt, vel *practicus.* Si enim vita quis moribusque teſtetur, nullum ſe credere Deum, qui peccata puniturus ſit, eum *practicum Atheum* vocare, moris eſt. * Sin vero dictis ſcriptisque idem teſtetur,

tur, cum in vita honeſtatem quandam, virtutisque prae ſe ferat ſpeciem, *theoreticus* vocari ſolet.

* Non omnes, qui, cupiditatibus ſuis indulgentes, vitiis immerguntur, aut flagitia quaevis perpetrant, ſtatim pro *Atheis practicis* habendi. Conſtat enim, diverſa ratione induci homines, ut cupiditatibus ſuis pravis frena laxent. Multi de Deo ejusque providentia & juſtitia plane ſunt perſuaſi, & nihiloſecius in omne ſe dant vitiorum genus, eo quod credant, ſe facile per meritum Chriſti remiſſionem peccatorum impetraturos, aut quod peccata ſua, quantumvis atrocia, inter humanas imbecillitates referant, aut quod poenitentiam ab uno tempore in aliud differant, aut quae aliae eſſe cauſae poſſunt, quibus inducti impunitatem prave actorum ſibi pollicentur. Immo homines ſuperſtitioni ad furorem usque deditos, flagitioſiſſimos fuiſſe, experientia docet, & Viris eruditis non ſemel obſervatum. Hos tamen nemo Atheos dixerit. Quare ſi quis pro Atheo practico habendus, ex certis ſignis nobis conſtare debet, flagitia ejus ſceleraque non ex alio promanare fonte, quam quod nullum eſſe credat Deum. (85) Hinc & re ipſa Atheismus practicus a theoretico non differt; ſed unus idemque Atheismus, prout aut ex vita, aut ex dictis ſcriptisve cognoſcitur, mox *practicus*, mox *theoreticus* dicitur. Cauſa diverſitatis inde repetenda, quod nonnulli ex Atheis proniores ſint ad voluptatem, adeoque ad externam honeſtatis ſpeciem adſumendam parum apti: alii autem ad ambitionem, qui virtutis quadam imagine alios fallunt, Atheismum autem minus diſſimulant, ut aliis ſapientiores acutioresque videantur. Unde & ſequitur, etſi maxima hominum flagitiis deditorum ſit multitudo, non tamen inde probari poſſe, tantam eſſe multitudinem Atheorum practicorum, quemadmodum eſt numerus, quam vulgo putant. Quod contra ipſos Atheos obſervandum, ex multitudine hominum, quibus eandem ſententiam tribuunt, praeſidium aliquod cauſae ſuae deſperatae quaerentium.

(85) *Aſt plurimi dantur, quorum vita flagitiorum & ſcelerum eſt catena atque ſeries, qui vel ex defectu laudabilis educationis indeque profluente ſtupidiſſima ignorantiâ, vel ex ſupina negligentia, nunquam eo devenerunt, ut de ſua a Deo dependentia, deque ſanctitate, juſtitia aliisque perfectionibus ſupremi Legislatoris & Judicis ſerio cogitaverint; an igitur hi, ſecundum doctrinam Auctoris, ex Practicorum Atheorum catalogo erunt eximendi? nequaquam certe, quippe de hiſce quoque dicere non licet, quod Dei exiſtentiam credant, veritatum omnium principem ignorantes.*

§. VII.

Theoreticus Atheismus vel *rudior* eſt, ſeu plebejus, vel *philoſophicus*. Rudior illorum eſt, qui coeco animi impetu pravisque adfectibus abrepti, nullum eſſe Deum, ſibi perſuadent, aut perſuadere cupiunt, etſi effectuum, quos quotidie in rerum natura conſpiciunt, quive Deum eſſe clamitant, nullam reddere rationem queant, nec de eo ſint ſoliciti. *

* Inter homines plebejos, aulicos etiam, qui litterarum rudes ſunt, militesque & id genus alios, tales dari, nemo negaverit. Hi vero, ſi dicendum, quod res eſt, a brutis non differunt. Eſtque haud raro horum Atheismus, practicus potius, quam theoreticus. Quamvis interdum uterque conjunctus eſſe ſoleat.

§. VIII.

Atheismus philoſophicus vel *ſcepticus* eſt, vel *dogmaticus*. Scepticus illorum eſt, qui, nullius rei certam ſe habere cognitionem poſſe, putantes, de ipſa Numinis exiſtentia dubitant. * Dogmaticus vero illorum, qui, cum Deum eſſe negent, ejusmodi philoſophiae ſyſtema adſumunt, per quod, effectuum naturalium ſe reddere rationem poſſe, putant, ut nullum tamen Creatorem, ſeu Deum, admittere cogantur.

* Conferenda, quae antea ad §. *IV*. hujus capitis; item ad capitis praecedentis §. *XIV*. dicta ſunt.

§. IX.

Dogmaticus pro diverſitate ſyſtematis, per quod quisque naturae phaenomena ſecluſo Deo, explicare annititur, * iterum varius eſt. Alius namque erit *Ariſtotelicus*, ** alius *Stoicus*, *** alius *Epicuraeus*, * alius denique *Spinozia-*

nus,

nus, ** quemadmodum a praecipuo restauratore eum dicere hodie moris est. Ad quatuor enim haecce genera cuncta Atheorum systemata revocari possunt: quae autem non possunt, digna non sunt, ut eorum habeatur ratio. ***

* Non ita hoc est capiendum, ac si omnia haec systemata uno eodemque habenda sint loco, aut ac si nullum illorum ulla ratione adhiberi queat, ut non simul Atheismus admittatur. Secus enim se rem habere, nemo harum intelligens inficiatus fuerit. Id equidem, quod Eleaticum vocari potest, & quod a Spinoza renovatum est, per se ad Atheismum ducit, nulloque modo ab eo liberari potest, ut ex dicendis patebit. Idem & de Stoico dicendum. Nec aliter sentiendum de Epicuraeo, si ex mente Epicuri accipiatur, ut, praeter atomos seu corpuscula, nulla substantia incorporea seu immaterialis admittatur. Haec vero si admittatur, corpuscularis philosophia non tantum libera erit ab Atheismo, sed ut omnium commodissime ad explicanda naturae phaenomena adhibetur, ita & validissima contra ipsos Atheos arma suppeditat; ut subinde a Viris doctis, corpuscularis philosophiae sectatoribus, est demonstratum. (86) Legenda, quae in compendio hac de re dixit JENKINUS THOMASIUS, in *hist. philos. de Atheismo cap.* II. §. VIII. *pag.* 44. *seqq.* Pari ratione & de Aristotelico, quod vocamus, censendum. Hoc enim si ex ipsius Aristotelis mente capiatur, impietatis non erit expers. Interim si hoc nomine denotetur ratio explicandi naturae phaenomena, per formas substantiales, atque qualitates, nullum est dubium, quin ita institui queat, ut rerum omnium Creator, sive Deus, in eo locum inveniat. Quamcunque autem aliquis sequatur de rebus naturalibus philosophandi rationem, ea mihi optima videtur, quae demonstrat, quodcunque adsumatur principium, sufficientem tamen phaenomenorum naturalium rationem reddi non posse, nisi Deus, sapientissime & ex liberrima voluntate hoc ita constituens, statuatur (87); cujus methodi prorsus egregiae specimen luculentissimum, secundum hypotheses IS. NEWTONI, summi philosophi, dedit GEORGIUS CHEYNE, in *principiis philosophicis religionis naturalis;* quarum summam exhibet JOANNES CLERICUS, *bibl. anc. & mod. tom.* III. *part.* I. *art.* II. *pag.* 41. *seqq.*

(86) *Non video, quomodo* corpuscularis Philosophia *commodissime adhibeatur ad explicanda naturae phaenomena, & qua ratione validissima suppeditet arma contra Atheos, quamdiu aliquid remanet ex systemate* Democriti & Epicuri. *Si vel, praeter atomos, seu corpuscula, admittatur substantia incorporea, imo substantia aeterna, libera, sapientissima, ita ut Atheismus penitus exulet, dudum tamen constitit inter*

Philoſophos, Phyſicam Mechanicam, per materiam ſeu atomorum congeriem, ſecundum leges mechanicas agitatam, intercedente ſupremi Opificis manu, rem conficere non poſſe, non magis quam corporis animalis functiones explicantur ſecundum ſolas leges mechanico-hydraulicas. Attamen recte corpuſcularem Philoſophiam defendit contra Atheiſmi accuſationem ſagaciſſimus Cudworth *Syſt. Intell. pag.* 37. ſeqq. *conf. pag.* 57. ſeqq. *licet veterum opiniones non ubique adſecutus videatur. Conf.* Moshemius *in notis.*

(87) *Corpuſcularis tamen Philoſophia diverſa fuit ab illa, quam* Newtonus *&* Cheyne *aliique in Anglia excoluerunt: id equidem certiſſimum eſt, optimam eſſe Philoſophandi rationem, quae demonſtrat, ſufficientem phaenomenorum naturalium rationem reddi non poſſe, niſi Deus ſapientiſſime & ex liberrima voluntate hoc ita conſtituens ſtatuatur; in eo omnes conveniunt Philoſophi, niſi in caſtris Atheorum militent, & ſic Philoſophi nomen non mereantur. Verum non ſatis attendit Cl.* Buddeus, *quod Philoſophiae Newtonianae arx non unice conſiſtat in doctrina corpuſculari; accedunt gravitas univerſalis, & vis attractrix, quae forte pendent a cauſa aliqua externa, ſed quae nihil habet commune cum ordinariis ac in omnium oculos incurrentibus motus legibus, quas ſolas corpuſcularis Philoſophiae Cultores invocant. Ipſe Cl. Auctor in* Philoſ. Theoret. *Part. V. Cap.* 3. ſeqq. *ſatis manifeſtum reddidit, ſe in Corpuſculari illa Phyſica acquieſcere non poſſe.*

** Ariſtotelicus Atheismus illis tribuitur, qui per formas & qualitates, naturae phaenomena explicare annituntur. Nimirum materiam aeternam & infinitam eſſe ſtatuunt, & in ſe ſpectatam generationi ac corruptioni minime obnoxiam, generationem vero & corruptionem omnem de formis tantum ac qualitatibus eſſe intelligendam. Iſtas autem formas & qualitates entia realia eſſe putant, realiter a magnitudine, figura, ſitu, motu, quiete, aliisque, quae materiae primario competunt, diverſa; ad quam quidem formarum ac qualitatum claſſem, quae mox generentur, mox corrumpantur, etiam vitam in animalibus, ſenſum, atque rationem referunt. Quodſi a corpuscularis philoſophiae ſectatoribus illis objiciatur, entitates reales a magnitudine, figura & motu diverſas, corrumpi & generari non poſſe, cum inde ſecuturum eſſet, ex nihilo poſſe fieri aliquid, & vice verſa ens reale poſſe mutari in nihil, quod recepto illis principio, ex nihilo nihil fiet, repugnet, reſpondent, hocce principium tantum de ipſa ſubſtantia materiae intelligendum eſſe, non autem de formis & qualitatibus, quae ſint materiae accidentia. Antiquiſſimos philoſophorum in ea fuiſſe ſententia, inde manifeſtum eſt, quod ipſe ARISTOTELES ejus non tantum meminit, ſed contra eam diſputat, *lib.* I. *metaphyſ. cap.* III. *& lib.* II. *cap.* I. Sunt, qui

qui eam Ionicis tribuunt. Et sane vix video, qua ratione illi ex schola Ionica, qui solam materiam admiserunt, aliter naturae phaenomena explicare potuerint. A corpusculari enim philosophia eos alienos fuisse, constat. Conferenda, quae de Atheismo scholae Ionicae supra disputavimus, *cap. praeced.* §. X. Cumprimis autem ipsi Aristoteli hoc systema tribuitur, adeo ut etiam Aristotelicum vulgo dicatur. Sane, formas & qualitates ejusmodi Aristotelem & genuinos ejus sectatores admittere, notum est. Quia tamen idem principium aliquod agens statuit, in eo discrimen intercedere videtur. Unde & ratio patet, quo nomine hanc sententiam ipsemet rejiciat. Nec tamen ideo ab Atheismo immunis est Stagirita, ut supra jam observavimus, *cap. praecedent.* §. XV. item §. XXIV. cum de Andrea Caesalpino verba faceremus. Atheismum autem in isto formarum & qualitatum systemate haud difficulter deprehendere licet. Si enim nulla alia praeter materiam datur substantia, sique cuncta naturae phaenomena hac ratione explicari possunt, Deo nec locus, nec eodem opus est. Atheos illos, qui ex disciplina Aristotelica prodierunt, Jul. Caes. Vaninum, Andream Caesalpinum, ceterosque, de quibus *cap. praeced.* §. XXV. dictum, si revera Athei fuerunt, & systema aliquod Atheisticum sibi formarunt, non aliud, quam hoc ipsum admisisse, probabile; nisi in quibusdam ab Aristotelicis principiis discesserint. De Stratone Lampsaceno deinceps dicemus, cum propius ad Epicurum accesserit. Fuisse, qui, Atheismum Aristotelis cum Spinozismo convenire, existimaverint, supra nobis *cap.* I. §. XV. observatum. Sed etsi vel maxime Atheismus Aristotelicus in Spinozismum tandem abeat, quia tamen methodus naturae phaenomena explicandi, secundum principia Aristotelis, diversa est a methodo Spinozae, non sine ratione hic Atheismum Aristotelicum ab Atheismo Spinozae distinguimus.

*** Nimirum Deum quidem admittebant, sed eundem & fati legibus obnoxium, & cum materia arctissimo indissolubilique vinculo conjunctum, adeoque, etsi quodammodo a Spinozae errore diversa sentiebant, quo nomine & hic illorum Atheismum a Spinozismo distinguimus, proxime tamen ad illum accedebant. Repetenda, quae *cap.* I. §. XVIII. de Stoicis diximus, item quae de Heraclito §. XX. disseruimus.

* An Epicurus, quem providentiam Divinam negasse constat, Atheus fuerit, fuse jam *cap. praeced.* §. XIX. disputavimus. Nunc paucis saltem systema ejus delineabimus. Hinc enim ea, quae supra diximus, confirmabuntur, & viam nobis ad cuncta Atheorum fundamenta evertenda, parabimus. Non aliud rerum naturalium principium, quam atomos, atque inane, Epicurum admisisse notum est. Omnem itaque etiam substantiam incorpoream ex mundo excludebat, quae praecipua im-

impietatis ejus caufa erat. Per atomos autem corpufcula intelligebat, mente percepta, fempiterna, expertia vacui, non minus ac interitus, figuris variis, non tamen infinitis, utut incomprehenfibilibus, a fe invicem diftincta, diverfa infuper magnitudine ac pondere inftructa. Haec porro non tantum ab omni aeternitate exiftere, fed etiam fola ponderis fui virtute, fine vitae aut fenfus adjumento, vel caufae alicujus exfternae impulfu, ab infinitis temporibus, in infinito vacuo, moveri, docuit. Conftant haec ex PLUTARCHO, de *placitis philofophor. lib. I. cap. III.* LUCRETIO de *rerum natura lib. I. & II.* DIOGENE LAERTIO, *libr. X.* Ex hifce atomis, ut omnia corpora, totumque mundum extrueret, praeter motum perpendicularem, a pondere naturali iftorum corpufculorum ortum, alium adhuc, quem *declinationis* vocat, commentus eft. Si enim atomi linea rectâ tantum deorfum ferri concipiantur, fieri non poterat, ut una atomus alteram in infinito illo inani attingeret, adeoque nec in corpora majora concrefcere poterant. Per motum autem *declinationis* atomi a motu perpendiculari paululum declinantes & in vicinas incidentes, cum illis coalefcere, & impulfione fua novum illis motum imprimere poterant, variis hinc corporibus originem praebiturae. Ex ifto nimirum atomorum in diverfis infiniti inanis regionibus, diverfa ratione inter fe concurrentium, motumque diverfum concitantium combinationibus, feparationibus, aliisque molitionibus, per infinita tempora continuatis, infinitos tandem extitiffe mundos, interque eos & illum, cujus nos partem conftituimus. Et ad noftri quidem mundi ortum quod attinet, partem atomorum, quae continuo celerrimoque motu hinc inde ferebantur, in hunc infiniti locum, in quo mundus nofter eft, confluxiffe, putabat, easque fe mutuo apprehendentes, & fibi invicem velut irretitas, in rudem quandam & indigeftam coaluiffe molem, in qua majora corpufcula minoribus, rotunda angulis, laevia hamatis, alia aliis, fortuito ex concurfu commixta fuerint. In ifta variorum corpufculorum congerie ea, quae magnitudine & pondere ceteris praeftabant, inferiora loca petiiffe, ex quibus terra fit genita, reliqua fubtiliora magis, leviaque & rotunda, aëri, aquae, corporibusque coeleftibus dediffe originem. Quo pacto ex hifce principiis, omnes mundi partes, animalia quoque cuncta, ipfosque homines, qua corpus, qua animam ejusque facultates, intellectum & voluntatem, derivet, exponere, prolixum nimis foret, & a noftro inftituto alienum. Legi ifta apud T. LUCRETIUM CARUM, DIOGENEM LAERTIUM, aliosque, poffunt. Id puto fatis manifeftum effe, cuncta eo tendere, ut Deus a mundi conftructione prorfus excludatur, & ne minimae quidem illi relinquantur partes. Commemorandus vero hic nobis etiam eft STRATO LAMPSACENUS, a quo peculiare fyftema Atheifticum *Stratonicum* dici folet. Licet enim inter Peripateticos referatur; in eo tamen cum Epicuro confentit, quod materiam in

pluri-

plurimas particulas discerpit, & fortuito motui in constituendis rerum originibus locum relinquit. Et hactenus Atheismus Stratonicus sub Epicureo comprehendi potest. Differt tamen in eo, quod pro materia stupida, vitaque omni destituta, Epicureorum, STRATO materiam vita quadam naturali & plastica instructam substituat, ut supra ad *cap. praeced.* §. *XVI.* observavimus. Quo ipso licet Atheis via quaedam elabendi ex difficultatibus, quibus Epicuri systema premitur, suppeditetur, aeque lubrico tamen fundamento cuncta innituntur, ut in sequentibus demonstrabitur. (88)

(88) Stratonicus *Atheismus haud male a* Cudwortho *Syst. Intell. pag.* 72. *appellatur* Hylozoismus, *seu illos, qui ad hanc Atheorum familiam pertinent,* Hylozoïtas *dixit, quoniam omnibus materiae particulis vitam & vim quandam* genitricem, *sive* plasticam *adjudicarunt. Haec virtus constituebat illud, quod* Naturam *appellabant,* sed negabat Strato (*si* Ciceronem *audiamus Acad. Quaest. Lib.* 4. *C.* 38.) opera Deorum se uti ad fabricandum mundum; *nisi hoc fecisset, ipse Hylozoïsmus non necessario Atheismum secum fert; cum plurimi exstiterint, inter quos* Glissonus, Morus, Cudworth *ipse,* Leibnitius *& alii, qui, de existentia Dei probe persuasi, vim quandam, alii* activam, *alii* plasticam *substantiis simplicibus, vel etiam materiae particulis minimis adscripserunt. Vid. Eruditissimus* Widder *de Hylozoismo & Leibnitianismo Sect.* 3. *C.* 2. *& Sect.* 4.

** A Spinoza hocce Atheismi genus nomen sortitum est, non, quod ille primus hujus impietatis inventor fuerit, sed quod eam in systematis formam redegerit, & fallacem quandam speciem ei conciliaverit. Plurimi equidem Veterum talia adseruerunt, quae ad Spinozismum accedunt, licet quaedam propius, quam alia, proxime tamen huc accedit, aut prorsus coincidit, sententia illorum, qui, *omnia unum esse,* docuerunt, ut XENOPHANES COLOPHONIUS, PARMENIDES, MELISSUS atque ZENO ELEATES, de quibus *cap. praeced.* §. *XIX.* dictum. Referenda huc & sententia illorum, qui materiam primam pro Deo habuerunt, quo in errore nonnullos ex Scholasticis versatos esse, *cap praeced.* §. XXIII. docuimus. Ipsius vero SPINOZAE sententiam luculenter *ibidem* §. XXVI. exhibuimus, ubi & de sectatoribus ejus dictum.

*** Si quae alia dantur Atheorum systemata, aut ad unum ex hactenus allatis revocari possunt, aut sua statim imbecillitate corruunt. Exempli loco illi esse possunt, qui ex siderum influxu cuncta ita derivare conantur, ne Numinis directioni locus ullus relinquatur. Etenim si ex

ejusmodi hominibus quaeras, unde ista vis & efficacia siderum proveniat, aut Deus illis admittendus erit, aut unum ex antea memoratis systematibus amplectendum. Agmen inter ejusmodi Atheos ducere nonnullis creditur HIERONYMUS CARDANUS. Sed hunc pro fanatico potius, quam pro Atheo, habendum, supra jam pronuntiavimus, *cap.* I. §. XXIV. Referri etiam huc posset COSMUS RUGGERIUS, de quo itidem *loc. cit.* dictum. Licet autem ex Astrologia judiciaria impia deliria oriri queant, ut ibidem jam observatum, magis tamen superstitioni hominum, quam Atheismo, inservit. Sunt porro alii ex Eruditis atque Philosophis, qui certum equidem systema, quod Atheismo inserviat, aperte non constituunt, sed sparsim hinc inde talia insinuant, quae ad Atheismum tendunt, quibusque mentem suam haud obscure produnt. Nec tamen & hoc una eademque ratione faciunt. Nonnulli, sacra cuncta, religionem cultumque Numinis irridendo, salseque perstringendo, quid sibi velint, significant, ut LUCIANUS, & qui ei sunt similes; alii, Christianae religionis scita tecte sugillando, & argumenta Atheorum magna cum ostentatione proponendo, elumbes autem & jejunas responsiones iis subjiciendo, quod JUL. CAESAR. VANINUM fecisse, supra observavimus; alii indirecte & aliud velut agendo, aut principia Atheistica aliis doctrinis immiscendo, quod THOMAM HOBBESIUM aliquando egisse, novimus, qui tamen, ut aperte veritatem Christianae religionis impugnat, ita ratione systematis Atheistici Epicureis recte annumeratur: alii denique religionem omnem Numinisque cultum enervando, dum eum pro instrumento saltem dominandi, populumque in obsequio continendi, venditant, quem a NIC. MACHIAVELLO merito *Atheismum Machiavellisticum* dixeris; quamvis primus, qui hanc viam ingressus sit, merito CRITIAS censeatur, de quo *cap. praeced.* §. XII. dictum. Hi vero omnes, etsi in eo tandem conspirent, non dari Deum, necesse tamen est, ut unum ex systematibus Atheisticis antea memoratis, admittant, aut talia se asserere fateantur, quae nullo plane innitantur fundamento, quibusve, cur ipsi fidem abhibeant, nullam reddere rationem, multo minus ab aliis, ut idem faciant, postulare possunt. Qui enim receptam quandam evertere sententiam atque explodere suscipit, meliorem firmioribusque rationibus superstructam, certumque adeo systema, quod omnibus dubiis solvendis sufficiat, adferat, necesse est, aut non aegre ferat, si communi omnium consensu sententia ejus exsibiletur. (89)

(89) *Plerique inter hodiernos Atheos parum curant* Systemata *Veterum, si modo* Systemata *dici mereantur; sed argumenta, quae pro existentia Dei adferuntur, exceptiunculis quibusdam, ut sibi atque aliis fucum faciant, enervare studient; ad summum Veterum crambem recoquunt,* con-

confugientes ad decantata Sophismata, Deum intelligi non posse; ex nihilo nihil fieri; nullam in rerum natura dari posse substantiam a concretione corporea penitus remotam, *& quae sunt plura, quae recensentur a* Cudwortho *l. c. pag.* 73—90.; *sed conferendus omnino* Moshemius *in Notis, quia* Cudworthus *ipse Atheorum vel eorum, qui Atheismi fuere suspecti, mentem non ubique videtur adsecutus. Patebit autem in sequentibus, etiam hisce temporibus non deesse, qui* Epicureo *Atheismo eo saltem nomine favere visi sunt, quod argumenta, quae contra fortuitum Atomorum concursum a Deitatis Defensoribus adducuntur, invalida pronuntiaverint.*

§. X.

Fundamentum Atheismi *Sceptici* est, certam non dari rerum cognitionem, judiciumque adeo de omnibus suspendendum esse; * *Dogmatici* generale est, materiam semper fuisse, & ad ejus essentiam pertinere existentiam necessariam; ** *Aristotelici*, mundum, prout nunc est, semper extitisse; *** *Stoici*, Deum cum materia arctissimo vinculo esse conjunctum; * *Epicurei* & *Stratonici*, mundum ex fortuito atomorum concursu coaluisse; ** *Spinoziani*, unam tantum esse substantiam. ***

* Specialius fundamenta Scepticorum, quae ex SEXTO EMPIRICO, aliisque constant, indicare, hujus loci non est. In compendio ea exhibet PETRUS DE VILLEMANDY, in *Scepticismo debellato, cap. V. pag.* 33. *seqq.* conf. & PETRUS GASSENDUS, *tom. I. opp. de fine Logicae, cap. III.*

** Hoc namque fundamentum si evertas, omnia Atheorum systemata corruent; id quod in sequentibus ostendetur. Connexum cum hocce fundamento est decantatum illud totius Ethnicae, & Atheisticae philosophiae principium: *ex nihilo nihil fit.* Quod ut de causa materiali verissimum, ita de efficienti, infinita virtute praedita, falsissimum est, ut itidem in sequentibus ostendetur.

*** ARISTOTELIS hanc fuisse sententiam, tam notum est, ut probatione non indigeat. Recte hoc ex antiquis Ecclesiae Doctoribus jam observatum

tum LACTANTIO: *Nam Stoici animantium fabricam Divinae ſolertiae tribuunt: Ariſtoteles autem labore ſe ac moleſtia liberavit, dicens, ſemper mundum fuiſſe: itaque & humanum genus, & cetera, quae in eo ſunt, initium non habere, ſed fuiſſe ſemper ac fore; libr.* II. *inſtitut. divin. cap.* XI. Et ſane, qui ea ſaltem legerit, quae *libr.* I. *de coelo, cap.* X. hac de re diſſerit, non amplius, hanc ejus mentem fuiſſe, dubitaverit. (90) Hanc itaque ſententiam de aeternitate mundi, ceu Ariſtotelicam, ex inſtituto refutavit NICOLAUS TAURELLUS, (hac quidem in re recte ſentiens, etſi & ipſe a quibusdam Atheismi accuſatus ſit) in libro de *aeternitate rerum*, Marpurgi anno M DC IV edito. Conimbricenſium ibi inter alia redarguit ſententiam, qui, Ariſtotelem creationem agnoviſſe, aſſeruerunt, & ex hocce capite refellit, quod, ſecundum huncce Philoſophum, mundus, prout eſt, ſemper extitit. *Ita quidem*, inquit, *Jeſuitae Conimbricenſes, ego tamen priorem* (Ariſtotelem creationem non ſtatuiſſe) *magis probo ſententiam. Res enim per ſe manifeſta eſt, ſiquidem manifeſtum eſt, Ariſtotelem cenſuiſſe, mundum ab aeterno fuiſſe, ſemperque manſurum eſſe neceſſario, &c. de rerum aeternit. part.* II. *pag.* 260. Non ſine ratione itaque B. JAC. THOMASIUS illis indignatur, qui ex intempeſtivo Ariſtotelem cum Scriptura ſacra conciliandi ſtudio, philoſopho huic ſententiam, quod mundi originem agnoverit, tribuerunt. *Conſentiunt*, inquit, *in hoc, de Ariſtotele ore uno, quod ſciam, priſci pariter ac recentes omnes, ſi unum forte vel alterum excipias, quem intempeſtivum hoc aevo maxime, quo barbaram hiſtoriae veteris ignorantiam exuimus paulatim, ſtudium, demonſtrandi conſenſum Ariſtotelis cum ſacra Scriptura, eo adegit, ut contra tot ſeculorum perſuaſionem, contra manifeſtam oculorum fidem, tueri incipiat, dari juxta Ariſtotelem & creationem mundi, cum novitate eſſendi & interitum;* de *exuſt. mundi Stoic. diſſert.* IV. §. I. *p.* 58. Recte autem, ni fallor, in eo Atheismi Ariſtotelici proprie ſic dicti fundamentum conſtituimus. Ex hoc ipſo enim de aeternitate mundi principio, alterum de primo motore cum ſphaera ſuprema neceſſario nexu conjuncto, fluxiſſe videtur; aut, ſi rem invertere velis, hoc cum Stoicis ei commune fuit, adeoque ſimul evertetur, cum contra Stoicos diſputabimus. Hypotheſis autem de formis & qualitatibus, cum aliis ei itidem communis fuit, & ita praeterea, ut ſupra jam obſervavimus, comparata, ut ab illis etiam adhiberi queat, qui non ſunt Athei.

(90) *Vid. omnino* Moshemius *ad* Cudworth. *l. c. pag.* 211. *Dicit quidem* Ariſtoteles *Metaph. L.* 1. *C.* 2. *pag. m.* 841. *Deum videri cauſam omnium eſſe, & quoddam principium* (ἀρχή τις); *attamen ea, quae de ortu Mundi adfert Lib. I. de coelo Cap. X. nimium manifeſto demonſtrant, eum mundum ſtatuiſſe aeternum, praeſertim ſi conferan-

ferantur cum iis, quae habet L. 2. de coelo Cap. 1. in initio pag. m. 452.

* Conſtat hoc ex iis, quae de Stoicis, *cap. I. §. XVIII.* diximus.

** Praecipuum namque hocce caput eſt ſyſtematis Epicurei, quod ad §. *praecedentem* exhibuimus.

*** Conferenda, quae *cap. I. §. XXVI.* in medium attulimus.

CAP. III.
DE
DOGMATIBUS,
QUAE
CUM ATHEISMO CONJUNCTA SUNT, AUT AD EUM DUCUNT.

Σύνοψις.

Inter dogmata cum Atheismo conjuncta, aut ad eum ducentia, refertur negata Providentia Divino, §. I.
Animae immortalitas in dubium vocata, § II.
Spirituum seu Angelorum bonorum & malorum existentia impugnata, §. III.
Vaticinia rejecta, §. IV. itemque miracula proscripta, §. V.
Christianae religionis veritas labefactata, §. VI.
Scripturae sacrae Divina auctoritas ludibrio habita, §. VII.

§. I.

Inter dogmata, quae cum Atheismo arctissimo quodam vinculo conjuncta sunt, primum merito praecipuumque locum tenet negatio Providentiae Divinae. Quemadmodum enim Atheus hanc non admittit, ita, qui eam negat, non multum ab Atheo differt; saltem omne religionis, cultusque divini, fundamentum tollit. *

* Atheum Providentiam Divinam non admittere, res ipsa docet. Nec temere quisquam dubitabit, eum, qui Providentiam Divinam negat, esse Atheum. Rationibus enim, non minus luculentis, Deum rerum omnium curam gerere, quam eum esse, probari potest. Immo ex ipsa idea Dei hoc sequitur, quam non potest non evertere, qui Divinam Providentiam negat. Epicuri nobis non obstare exemplum, patet ex iis, quae *cap. I.* §. *XIX.* de eo disputavimus, ubi etiam ostendimus, frustra a nonnullis pietatem ejus laudatam, ac si Deum *ob majestatem ejus eximiam, singularemque naturam,* coluerit. Inde vero etiam intelligitur, per Epicureismum religionem omnem, Numinisque cultum penitus everti. Quemadmodum vero itidem, *cap. I.* §. *XXV.* ubi de PETRO BAELIO verba fecimus, ostendimus, dubia, quae circa Providentiam Divinam moventur, inter praecipua Atheismi fulcra referenda esse, ita exempla, quibus hoc probari queat, non desunt. Pertinet huc, quod *cap. praeced.* §. *XVIII.* de Diogene Cynico ex CICERONE observavimus, eum dicere solitum, *Harpagum, qui temporibus illis praedo felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret.* Sed Diagoras quoque Melius, quem inter Atheos merito referri, *cap. praeced.* §. *XIX.* demonstravimus, cum initio saniori de Deo doctrinae addictus esset, postea tamen poëma quoddam, quod elaboraverat, a quodam sibi ablatum aegre ferens, istudque a fure, qui jurejurando, se istud non abstulisse, confirmaverat, frustra repetens, injuriam hac ratione sibi illatam, eamque cum perjurio conjunctam, inultam a Deo dimitti sentiens, publice Atheismum profiteri non dubitavit; ut auctor est HESYCHIUS, *in vita ejus*, & SEXTUS EMPIRICUS, *adv. mathematic. pag.* 318. Immo ad huncce scopulum ipsum Epicurum naufragium fecisse, ex instituto PETR. GASSENDUS, in *syntagm. de vita Epicuri p.* 213. ostendit. Fuit autem negatio Divinae Providentiae dogma velut characteristicum Epicuraeorum, quibus cum alii, tum maxime Stoici se opponebant; qui dum acerrimi Providentiae defensores videri volebant, in alterum

ex-

extremum prolapſi ſunt, fatum aliquod abſolutum introducentes, quod, non minus quam Divinae Providentiae negatio, ad Atheismum ducebat, ut accurate oſtendit B. JAC. THOMASIUS, de *exuſt. mundi Stoica diſſert. XIII.* qua Stoici fati malignitatem exhibet, *pag.* 166 *ſeqq.* Inter ipſos Judaeos error hicce, de negata Providentia Divina, Sadducaeis tribuitur. Diſerte id tradit FLAVIUS JOSEPHUS, qui verba de iis faciens, τὴν μὲν, inquit, εἱμαρμένην παντάπασιν ἀναιροῦσι, καὶ τὸν θεὸν ἔξω τοῦ δρᾶν τι κακὸν ἢ ἐφορᾶν τίθενται· *fatum omnino negant, & Deum extra omnem mali patrationem inſpectionemque conſtituunt, de bello jud. libr. II. cap. VII.* Huncce ducem plurimi ex recentioribus ſequuntur, & inter reliquos JOANNEES DRUSIUS, de *tribus ſectis Judaeorum, lib.* III. *cap.* XII. *pag. m.* 291. 292. qui & ABRAHAMI ZACHUTHI teſtimonio idem confirmat. Sunt tamen alii, qui eos ab hocce errore liberant, quos inter & JOANNES GERHARDUS VOSSIUS eſt, de *idolatria gentilium libr.* I. *cap.* X. cujus hac de re verba jam recitavi in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. pag.* 70. Eandem ſententiam ſequitur PETRUS BAELIUS, hac maxime ratione nixus, quod docuerint, Deum recte facta in hocce remunerari ſeculo, eademque ratione peccata punire; hoc vero nemo aſſerere poteſt, qui non Providentiam Divinam admittit. Et ſane poenas peccatorum, ſed temporales, praemiaque virtutum eos crediſiſſe; etiam JOANNI LIGTFOOTO obſervatum: *Quaenam ergo religio Sadducaei? orat, jejunat, ſacrificat, obſervat legem, & tamen non exſpectat reſurrectionem, aut vitam aeternam. Quorſum haec religio? Ut obtineret ſcilicet bona temporalia, quorum ſolum promiſſionem obſervat ille factam in lege, nihil rimans ultra litteram; in horis ebr. in acta apoſtolorum* ad *actor.* XXIII. 8. *tom.* II. *opp. pag. m.* 787. (91) Quicquid hujus ſit, inter Eccleſiae Chriſtianae haereticos non defuiſſe, qui, ſi non penitus negarent Divinam Providentiam, perperam tamen de ea ſentirent, aut ejusmodi circa eam ſe deprehendere difficultates ſibi viderentur, quas non aliter, quam abſurdiſſima quaeque admittendo ſuperare poſſent, vel Manichaeorum atque Marcionitarum exemplo patet, qui duplex principium independens aſſerebant. Fuiſſe tamen jam ante Manichaeos, qui in eodem luto haererent, conſtat, pluribusque demonſtratum ab JOANNE CHRISTOPHORO WOLFIO, in erudita commentatione, de *Manichaeismo ante Manichaeos.* Noſtra vero aetate PETRUM BAELIUM eandem ſcenam magno adparatu inſtruxiſſe, utque ineptum hocce Manichaeorum de duplici principio commentum rationi inexpugnabile eſſe, demonſtraret, in exaggerandis, quae contra Providentiam Divinam proferri ſolent, argumentis, ingenii vim mirum in modum exercuiſſe, nemini ignotum eſt, & ſupra quoque *cap.* I. §. XXX pluribus a me jam comprobatum. Argumenta, quibus ab iſtis hominibus Divina impugnatur Providentia, omnia adferre, inſtituti ratio non permittit. Praecipua tamen indicare haud abs re fuerit, ad quae & deinceps re-

respondebimus. Primum idque leviſſimum eſt, quod multa in hocce terrarum orbe deprehendantur, de quibus cum dici nequeat, quod in hominum uſum ſint condita, manifeſtum eſſe, quod utilitate omni careant; unde ſequi putant, caſu fortuito talia extitiſſe, non autem ab ente quodam ſapientiſſimo, curam rerum omnium gerente, eſſe profecta. Urget hoc praecipue TITUS LUCRETIUS CARUS, qui, cum in eo eſt, ut oſtendat:

Nequaquam nobis divinitus eſſe paratam
Naturam rerum: tanta ſtat praedita culpa,

exempli loco haec adfert:

Principio, quantum coeli tegit impetus ingens
Inde avidam partem montes, ſilvaeque ferarum,
Poſſedere, tenent rupes, vaſtaeque paludes,
Et mare, quod late terrarum diſtinet oras.

de *rerum natura lib. V. pag. m.* 154. ex edit. OBERTI GIFANII. Variae, quae hominem premunt, calamitates, miſeriaeque fere infinitae, quae eum a primo nativitatis momento ad mortem usque comitantur, alterum argumentum praebent Epicureis, quo Divinam providentiam impugnent. LUCRETII verbis hoc ita exprimere poſſes:

Praeterea genus horriferum, natura ferarum,
Humanae genti infeſtum, terraque marique
Cur alit, atque auget? cur anni tempora morbos
Adportant? quare mors immatura vagatur?
Tum porro puer, ut ſaevis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
Vitai auxilio, cum primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profudit,
Vagituque locum lugubri complet, ut aequum eſt,
Cui tantum in vita reſtet transire malorum.

loc. cit. pag. 155. Atque haec ſunt mala illa phyſica, quae cum non poſſent cum bonitate Numinis conciliare, iis ad negandam ejus providentiam ſe induci paſſi ſunt. Pertinet huc argumentum illud, quod ex mente Epicuri proponit LACTANTIUS: *Deus, inquit* (Epicurus) *aut vult tollere mala, & non poteſt; aut poteſt, & non vult; aut neque vult, neque poteſt; aut & vult & poteſt. Si vult, & non poteſt, imbecillis eſt, quod in Deum non cadit. Si poteſt & non vult, invidus; quod aeque alienum a Deo. Si neque vult, neque poteſt, & invidus & imbecillis eſt,*

ideo-

ideoque neque Deus. Si vult & potest, quod solum Deo convenit; unde ergo sunt mala? aut cur illa non tollit? Scio, plerosque Philosophorum, qui providentiam defendunt, hoc argumento perturbari solere, & invitos pene adigi, ut Deum nihil curare fateantur, quod maxime quaerit Epicurus; de ira Dei cap. XIII. Vocat deinde LACTANTIUS hocce argumentum *formidolosum*, simulque ad illud respondet, sed ita, ut PETRO BAELIO non satisfaciat, qui non tantum Lactantii responsionem explodit, sed omnes ingenii vires intendit, ut probet, hocce argumentum plane esse insolubile; in *diction. histor. crit. voc. Manicheens. p.* 2324. Cum autem LACTANTIUS ex mente Epicuri de *malis physicis* loquatur, idem, quem modo laudavimus, PETRUS BAELIUS, existimat, longe majus adhuc ei accedere robur, si de *malis moralibus* seu *peccatis* accipiatur; *loc. cit.* Atque hoc tertium est argumentum, quod providentiae Divinae opponitur. Idque hominibus rationis ductum tantum sequentibus aliquid negotii facessere posse, non diffitemur. Agnovit illud ORIGENES: Εἴπερ ἄλλός τις τόπος τῶν ἐν ἀνθρώποις ἐξετάσεως δεόμενος δυσθήρατός ἐστι τῇ φύσει ἡμῶν, ἐν τούτοις καὶ ἡ τῶν κακῶν ταχθείη ἂν γένεσις; *Si quis alius est locus, in rebus humanis, scrutatu difficilis naturae nostrae, inter hos merito numerari potest malorum origo; contra Celsum libr. IV. pag.* 207. Plane vero illud insolubile esse, lectoribus persuadere annititur PETRUS BAELIUS, *loc. cit. voc. Pauliciens, pag.* 2324. *seqq.* item *voc. Manicheens, pag.* 2022. *seqq.* ut & *voc. Marcionites pag.* 2039. *seqq.* Sed, si, quae vir ille doctus magnis & taediosissimis verborum ambagibus hac de re differit, paulo accuratius consideres, cuncta tandem eo redeunt, bonitati Divinae prorsus repugnare, permittere mala. Ad quod quid respondendum sit, ex infra dicendis patebit. Ultimum denique, idque praecipuum fere contra Divinam providentiam argumentum est, quod experientia constet, impiis subinde cuncta ex voto cedere, cum piis contra bonisque viris cum variis calamitatibus sit colluctandum. Jam antiquissimis temporibus hancce quaestionem, etiam sanctorum hominum animos aliquando solicitos tenuisse, vel ex *Psalm.* LXXIII. *seqq.* discimus, ejusque rei librum Jobi documentum luculentissimum praebere, observatum in *introduct. ad histor. philosoph. Ebraeor. pag.* 26. 27. Idem ex SENECAE libro *de providentia* patet, quippe in quo ex instituto disputat: *quare bonis viris mala accidant, cum sit providentia?* Eleganter hoc expressit CLAUDIANUS. Cum enim quaestionem hanc ita proposuisset:

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.

allatisque rationibus quibusdam providentiam probasset, tum in contrariam sententiam ita verba facit:

Sed, cum res hominum tanta caligine volvi
Adſpicerem, laetosque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rurſus labefacta cadebat
Religio &c.

Tandem tamen vel Rufini, ſcelerum poenas juſtiſſimas dantis, exemplo, Deum rerum humanarum gerere curam, ſe edoctum profitetur:

Abſtulit hunc tandem Rufini poena tumultum,
Abſolvitque deos. Jam non ad culmina rerum
Injuſtos creviſſe queror; tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant.

in *Rufin. lib. I.* Sed reſponſio haecce CLAUDIANI displicet PETRO BAELIO, qui & hocce contra Divinam providentiam argumentum ita comparatum eſſe putat, ut nihil ſolidi ad illud ratio reſpondere queat. Nec vacare culpa Deum contendit, ſi dicatur, permittere eum, improbos in altum tolli, *ut lapſu graviori ruant.* Perinde hoc eſſe, ac ſi ipſe graviorem illorum ruinam quaerat, quod cum bonitate ejus conſiſtere nequeat; in *voc. Rufin. pag.* 2623. *& ſeqq.* Qua de re quid ſentiendum ſit, in ſequentibus ſuo loco exponemus. (92) Conveniunt fere cum ultimo hocce argumento illorum ſermones, qui nunquam non *fortunam* in ore habent, aut de ejus injuſtitia ac crudelitate conqueruntur; qui aut ipſi, quid dicant, neſciunt, aut Divinam rejiciunt providentiam, ac ſi cuncta coeco impetu in mundo ferrentur. Legi merentur, quae hac de re PLINIUS habet, *hiſtor. natural. lib.* II. *cap.* VII. (93) Argumentum Epicuri a beatitudine Dei deſumtum, ac ſi rerum omnium cura cum ea conſiſtere nequeat, ideo praetermiſi, quod dignum neutiquam ſit, ut in cenſum veniat.

(91) *Dogmata* Sadducaeorum *nullo modo inter ſe cohaererent, ſi omnem Providentiam divinam negaſſent, neque ex loco* Joſephi *id ipſum demonſtratur; quippe obſervavit Cl.* Bruckerus *Hiſt. Crit. Phil. Tom.* 2. *p.* 726. ſeq., *vocabulum* εἱμαρμένη *non tantum denotare* cognitionem, *verum etiam* directionem *&* influxum in voluntatem agentis; *hanc autem negabant, ut, ſcilicet, libertatem hominis ſervarent integram: imo, quae narrat de Sadducaeis* Mattheus *Cap.* 3. *vſ.* 7., *aliquo modo probabile reddunt, hoſce de ira divina aufugienda fuiſſe ſollicitos, cum eo fine accederent ad Baptiſmum Joannis. Conf.* Baile *loco ab Auctore citato Lit. C, E & G.*

(92) Baile, *more conſueto, ad fidem, in revelatione divina reponendam, confugere ſuadet:* En vera via tollendi haecce dubia; ſilentium im-

ponas rationi, eamque in auctoritate acquiescere jubeas (*secundum* Pſalm. 39: 10.) Deus id dixit, αὐτὸς ἔφα, Deus id fecit (florere, *scilicet*, fecit nocentes, vexarique pios) Deus permiſit; verum igitur eſt, & juſtum, ſapienter factum, ſapienter permiſſum, *&c.*

(93) *Notabilis eſt* Plinii *locus, ad quam reſpicit Cl.* Buddeus, Toto mundo & locis omnibus, omnibusque horis omnium vocibus Fortuna ſola invocatur; una nominatur, una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur & cum convitiis colitur: volubilis, a plerisque vero & coeca etiam aeſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorumque fautrix. Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta; & tota ratione mortalium ſola utramque paginam facit. Adeoque obnoxii ſumus ſorti, ut ſors ipſa pro Deo ſit, qua Deus probatur incertus. *Caeterum, quo animo id ſcripſerit* Plinius, *& quaenam ejus de Deo fuerit ſententia, ex toto hocce Capite VII. poteſt dijudicari. Conf. ea, quae notavi ad Cap. I.* §. 22. *n.* 45.

§. II.

Alterum inter haecce dogmata locum illorum ſibi vindicat error, qui, animas hominum mortales eſſe, & una cum corpore interire, ſibi perſuadent. Qui Deum eſſe negat, vix a ſe impetrabit, ut credat, animam hominis eſſe immortalem. Fieri equidem poteſt, ut, qui animam hominis mortalem credit, non ſtatim, Deum eſſe, neget; ſimul tamen fatendum, quod ejusmodi homo praecipuum religionis cultusque divini fundamentum tollat, penitusque evertat; qui proximus ad Atheismum gradus eſt. *

* Atheum vix dari, qui, animam hominis immortalem eſſe, credat, non temere quis dubitaverit. Lucem tamen hic dabunt, quae in ſequentibus disputabimus, an & quousque Athei ſpiritus finitos admittere queant? Eum rurſus, qui animae immortalitatem negat, non ſtatim directe negare exiſtentiam Numinis, in confeſſo eſt; non minus tamen, & illud certum, ejusmodi hominem praecipuum religionis cultusque Divini fundamentum evertere. Qui enim animae immortalitatem negat, praemia virtutum, & poenas peccatorum poſt hanc vitam tollit, quibus tamen vel maxime ad Deum colendum homines induci ſolent. Fieri equidem poteſt, ut, qui animam mortalem credit, in-

intuitu praemiorum in hacce vita obtinendorum Deum colat; quod exemplo Sadducaeorum videtur comprobari posse, de quorum religione ad §. *praeced.* diximus: sed ad veram religionem cultumque Numinis hoc non sufficere, res ipsa docet, nec diffitetur PETRUS BAELIUS, hac de re disputans, *dictionar. histor. crit. voc. Sadduceens, pag.* 2639. Sane, si quis cum Arabicis, seculi tertii haereticis, animas hominum mortales afferat, sed cum corpore aliquando resuscitandas, quem errorem nostra aetate nonnulli, ut WILHELMUS COWARDUS, Medicus Londinensis, itemque auctor anonymus, in schediasmate, lingua Germanica edito, ut deinceps dicemus, resuscitarunt, is poenis & praemiis post hanc vitam locum relinquere videtur, sed in hanc quidem paucissimi ex iis, qui animae immortalitatem negant, ingredientur sententiam, quae insuper inepta prorsus est, & omni fundamento destituta, ut pluribus a me demonstratum, in *programmate de Arabicorum haeresi*, quod extat in *syntagmate dissertation. academicar. pag.* 738. *seqq.* (94) Ad rem ipsam quod attinet, Aegyptios primos fuisse, qui animas immortales esse docuerint, auctor est HERODOTUS: πρῶτοι δὲ καὶ τὸν δὲ τὸν λόγον Αἰγύπτιοι εἰσὶ, εἰπόντες, ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατός ἐστι. *Aegyptii primi sunt, qui animam hominis immortalem dicerent, histor. lib.* II. *cap.* CXXIII. *pag.* 137. Chaldaeis contra & Indorum magis huncce honorem vindicat PAUSANIAS: Ἐγὼ δὲ Χαλδαίους καὶ Ἰνδῶν μάγους πρώτους οἶδα εἰπόντας, ὡς ἀθάνατός ἐστιν ἀνθρώπων ψυχή· *Ego Chaldaeos & Indorum Magos primos scio dixisse, immortalem esse hominum mentem;* in *Messeniac. p.* 277. Sed Ebraeis potius hanc tribuendam gloriam, certiora ex Scriptura sacra edocti, novimus, qui hocce dogma cum aliis doctrinae coelestis capitibus, a majoribus suis, patriarchis, acceperant. Atque id recte observatum EUSEBIO, qui, Mosen primum fuisse, contendit, qui animam hominis immortalem (secundum doctrinam Patriarcharum) statuit, siquidem docuit, hominem ad Dei imaginem conditum, *praepar. euangel. lib.* XI. *cap.* XXVII. Corrupta deinceps in hacce gente ista doctrina fuit, dum Sadducaei animae immortalitatem negarunt, Pharisaei autem receptam valde per totum fere Orientem doctrinam de μετεμψυχώσει assumserunt, ut auctor est FLAVIUS JOSEPHUS, de *bello jud. lib.* II. *c.* VII. & a me jam obervatum, *introd. ad histor. philos. Ebr. pag.* 65. (95) conf. BASNAGE, *histor. des Juifs tom. I. libr.* II. *c.* VII. Sed, ad Aegyptios ut redeamus, illi animae immortalitatem ita asseruerunt, ut μετεμψύχωσιν simul statuerent, hujus quidem commenti, quod, ut diximus, totum fere Orientem pervasit, & a Pythagora quoque receptum ac propagatum fuit, primi auctores rectius dicendi. Corpore namque moriente animam in aliud, quod nascitur, animal continuo migrare, docebant; ubi vero per omnia terrestria, marina, volucria, circumierit, rursus in humanum, quod nascitur, corpus introire; τὴν περιήλυσιν δὲ αὐτῇ γίνεσθαι ἐν τρισχιλίοισιν ἔτεσι; *circuitum autem hunc*

ab anima fieri intra tria millia annorum ; ut auctor eſt HERODOTUS, *lib.* II. *cap.* XXIII. Alii autem, qui arcana philoſophiae Aegypticae paulo accuratius ſe introſpexiſſe ſibi videntur, hoc eos voluiſſe contendunt, animam in Deum, ſeu animam mundi, ex qua orta ſit, tandem reverti, unde ſequitur, animam non prorſus immortalem eſſe, etſi diſſolvi nequeat aut deſtrui. Convenit hoc cum iſta ſententia, quae Aegyptiis itidem a quibusdam tribuitur, nihil perire in univerſo, ſed tantum mutari; quod quam prope a Spinozismo abſit, nemo non intelligit. Et hanc, non Aegyptiorum modo, ſed Chaldaeorum, immo Orientalium fere omnium, ad quos Aegyptiorum ſententia pertranſiit, mentem fuiſſe, autumant. Non ſine omni profecto fundamento, ſi JAMBLICHI hic ſtandum auctoritate, quippe cujus ex Aegyptiorum mente hoc extat effatum : ἀπὸ τῆς πρώτης καθόδου ἐπὶ τούτῳ κατέπεμψεν ὁ θεὸς τὰς ψυχὰς, ἵνα πάλιν εἰς αὐτὸν ἐπανέλθωσιν; *a primo deſcenſu propterea demiſit Deus animas, ut rurſus in ipſum revertantur ; de myſteriis Aegyptior. ſect.* VIII. *cap.* VIII. Sed miſſis gentibus barbaris, ad Graecos transeamus. Apud hos primum Thaletem Mileſium animae immortalitatem aſſeruiſſe, jam olim nonnulli tradiderunt. Ἔνιοι δὲ, inquit DIOGENES LAERTIUS, καὶ αὐτὸν πρῶτον εἰπεῖν φασιν, ἀθανάτους τὰς ψυχάς· ὧν ἐστι Χοίριλος ὁ ποιητής· *Sunt, qui illum immortales animas primum dixiſſe aſſererent, ex quibus eſt Choerilus poëta; lib.* I. *ſect.* XXIV. *pag.* 16. Sed, cum idem Thales principium omnium rerum aſſeruerit aquam, ſi animam etiam aqueae naturae eſſe dixerit, quo pacto eam immortalem eſſe, ſtatuere potuerit, non ſatis capio. Eadem difficultas de Ionicis reliquis, qui primam claſſem conſtituunt, moveri poteſt ; quippe qui non aliud rerum omnium principium, quam materiam admiſiſſe a nonnullis perhibentur, aliud principium efficiens admiſerunt, ut alii exiſtimant, forte eandem, quam Aegyptii, de anima foverunt ſententiam. Interim CICERO hanc gloriam Pherecydi Syrio vindicat, primus quod animae immortalitatem docuerit: *Sed quod litteris extet*, ait, *Pherecydes Syrius primus dixit, animas hominum eſſe ſempiternas; quaeſtion. Tuscul. libr.* I. *num.* XXII. repetit idem LACTANTIUS, ut ſimul addat, in eadem ſententia fuiſſe Pythagoram : *in eadem ſententia fuit Pythagoras ejusque praeceptor Pherecydes, quem Cicero tradidit primum de aeternitate animarum diſputaſſe.* Sed, cum Pherecydis pariter ac Pythagorae ſententia, ſi primam originem ſpectes, ab Aegyptiis derivanda ſit, non alia quoque eandem intelligendam ratione, quam qua Aegyptii intellexerunt, nonnulli contendunt. Animam ſcilicet Divinae eſſentiae eſſe particulam, quae ut a Deo ſit, ita iterum in ejus eſſentiam ſit reducenda. Faciunt huc quodammodo, quae THEODORETUS de Pythagorae ſententia habet, *de curand. Graecor. affectionib. lib. V. pag.* 516. & CLEMENS Alexandrinus, *ſtromat. lib. V. pag.* 590. Cumprimis vero CICERONIS ille locus *libr. I. de nat. deor. pag.* 9. quem ſupra jam ad

cap. I. §. XIX. recitavimus, hujus erroris eum convincere videtur. Immo sunt, qui, Pythagorae hanc fuisse mentem, existimant; Deum, qui sit anima hujus universi, etiam uniuscujusque hominis animam constituere, per Deum autem nihil aliud, quam aetherem, eum intellexisse. Sed num, hanc Samii senis de Deo sententiam fuisse, clare satis demonstrari queat, dubito. Conferenda, quae *cap.* I. §. XIX. de eo diximus. Si vero haec, quam commemoravimus, mens ejus fuisset, non posset dici, quod animam prorsus immortalem statuerit, sed destructionis saltem tam diu expertem, donec iterum cum anima mundi uniatur. Qui ex Eleatica secta nihil aliud, quam materiam & inane admittunt, ut Leucippus, Democritus, Epicurus, non possent non animam materialem, adeoque & mortalem credere. Idque & diserte non tantum docet, sed rationibus variis quoque probare annititur T. LUCRETIUS CARUS, de *rerum natura libr.* III. *pag. m.* 86. *seqq.* Est vero ὡς ἐν παρόδῳ observandum, Epicureos existimasse, sententiam de immortalitate animae multum obstare vitae jucunditati, tranquillitative, cum eos, qui illam credant, metus de statu animi post hanc vitam semper solicitos teneat. Qua de re ita canit LUCRETIUS:

Et metus ille foras praeceps Acherontis agendus,
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo,
Omni suffundens mortis nigrore, neque ullam
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit;

loc. cit. pag. 74. Atque haec sane vera caussa est, cur Athei, hominesque impii, tam libenter in hanc sententiam ingrediuntur. (96) Primum autem praecipuumque LUCRETIUS ex eo deducit argumentum, quod anima (quo nomine etiam animum comprehendit) sit corporea, constetque ex atomis longe tenuioribus, mobilioribusque, non modo quam aqua, verum etiam, quam nebula, aut fumus, quippe cum percellatur rebus, nebula, fumoque tenuioribus (ut puta simulacris, ex quorum per somnum appulsu res ejusmodi cogitemus) ac ideo necesse sit, illam dissipari, quam ista, facilius. Reliqua apud PETRUM GASSENDUM legi possunt, in *syntagm. philosophiae Epicuri part.* II. *sect.* I. *cap.* I. *pag.* 29. *seqq.* Stoici ab Epicureis in plurimis equidem dissentiebant capitibus, de animae tamen non rectius philosophabantur immortalitate. Sunt equidem, qui, hanc eos asseruisse, autumant, ut LACTANTIUS, *divinar. institut. libr.* III. *cap.* XIX. Sed, si paulo accuratius in veram & genuinam illorum mentem inquiratur, aliter pronuntiandum videtur. Diversimode namque licet de anima loquerentur, in eo tamen tandem consentiebant, animam, (quo nomine & animum comprehendebant) esse πνεῦμα πυρῶδες, substantiam ex aethere & igne compositam, adeoque materialem. SENECA ita hac de re loquitur; *quid est aliud animus,*

quam

quam quodammodo ſe habens ſpiritus, epiſt. I. Ubi cave, ne per *ſpiritum* ſubſtantiam materialem intelligas. Eam Stoicos non intellexiſſe, TERTULLIANUS nos docet: *Stoicos allego, qui ſpiritum dicunt animam, pene nobiſcum: quia proxima ſunt flatus & ſpiritus; de anima cap. V.* Sed quid illud ſibi vult: *quodammodo ſe habens?* Certum nimirum ſpiritum, ſeu aetheris qualitatem vult indicare, quae in calore conſiſtebat. Unde clarius Zeno & Poſidonius dicebant: πνεῦμα ἔνθερμον εἶναι τὴν ψυχὴν, *ſpiritum calidum eſſe animam;* vid. JUSTUS LIPSIUS, *phyſiol. Stoicor. libr.* III. *diſſertat.* IX. Praeterea animam pro parte quadam Dei, hoc eſt animae mundi, ſeu ipſius naturae habebant. Nota ſunt illa SENECAE: *Quid eſt autem, cur non exiſtimes in eo divini aliquid conſiſtere: qui Dei pars eſt? totum hoc, quo continemur, & unum eſt, & Deus, & ſocii ejus ſumus, & membra; epiſt.* XCII. *pag. m.* 432. Quodſi autem anima noſtra pars eſt animae hujus univerſi, tam diu ſaltem ſeparatim ſubſiſtit, donec in animam mundi iterum convertatur. Jam ad Platonem quod attinet, eum animarum crediḍiſſe immortalitatem, negari nequit, cum in dialogo, cui titulum fecit, φαίδων ἢ περὶ ψυχῆς eam variis argumentis adſtruat, quanquam ſimul fateatur, certam demonſtrationem in hac vita exſpectandam non eſſe, εἰ μή τις δύναιτο, ἀσφαλέστερον καὶ ἀκινδυνότερον ἐπὶ βεβαιοτέρου ὀχήματος ἢ λόγου θείου τινὸς διαπορευθῆναι, *niſi detur firmius ſecuriusque niti divino aliquo teſtimonio.* Hinc & paſſim & CLEMENTI Alexandrino, EUSEBIO, aliisque, ob adſtructam animae immortalitatem laudatur. Errores tamen graviſſimos huic dogmati adſperſit, dum ſimul animarum προΰπαρξιν & μετεμψύχωσιν cum Pythagora, atque Aegyptiis, aſſeruit. Immo dum & ille animae humanae originem ex anima mundi derivavit, in quam & aliquando reverſura eſſet, palam eſt, quod animam abſolute immortalem dicere non potuerit. Interim a Stoicorum ſententia differt ſententia Platonis. Illi enim ipſum Deum pro anima mundi habebant; hic autem per animam mundi aliquid a ſummo Deo diſtinctum, intelligebat. Tres namque ſtatuebat ὑποστάσεις, quarum apud MACROBIUM haec ſunt nomina: 1) *Deus ſummus,* 2) *mens ex Deo nata,* & 3) *mundi anima, quae animarum omnium fons eſt; in ſomn. Scip. lib.* I. *cap.* VI. *pag.* 32. Et hoc ſenſu anima humana, ex mente Platonis, ceu particula eſſentiae Divinae, ex Deo originem trahere, & in eum reverti, dici poteſt; quod, ut cum ejus immortalitate in ſenſu genuino & orthodoxo non convenit, ita inter fundamenta Enthuſiaſmi non ultimum locum tenet. Legenda, quae de *fonte animarum* diſſerit JAC. THOMASIUS, de *exuſt. mundi Stoica, diſſert.* XXI. *pag.* 229. *ſeqq.* Tandem ad Ariſtotelem accedimus, qui cum & alias tenebricoſus ſit, & ſua ſe caligine involvat, de anima ita data opera locutus videtur, ne quisquam mentem ejus ſententiamque intelligere poſſet. (97) Hinc mirum in modum inter veteres pariter ac recentiores diſceptatum fuit, an Ariſtoteles, animam hominis immortalem eſſe, crediderit? Nos

miſſis

miſſis reliquis, quae hac de re dici poterant, id ſaltem obſervamus, ſeculo poſt Chriſtum natum duodecimo ex peripatetica diſciplina prodiiſſe AVERROEM, gente Arabem, ſed in Hiſpania natum, quem Ariſtotelis ita introſpexiſſe ſententiam nonnulli crediderunt, ut ejus animam eſſe dicerent. Hic autem unam numero mentem ſeu unum intellectum, non per ſingulos diviſum, ſed communem omnibus ineſſe ſtatuit; eundemque eſſe incorruptibilem; at animam, quae ſingulis inſit, adeoque multiplicetur, mortalem eſſe atque corruptioni obnoxiam. Quantumvis autem impia pariter ac inepta ſit haec ſententia, tanta tamen olim Averrois fuit auctoritas, ut plurimi viri docti in eam ingrederentur, praeſertim in Italia; adeo ut Leo X. Pontifex, bulla, XIX. die Decembr. anno M D XIII data, eam condemnare conſultum duxerit. Interim illi, qui in peripatetica philoſophia vel maxime verſati ſunt, Averrois hactenus adprobarunt ſententiam, ut contenderent, ex mente Ariſtotelis dici non poſſe, animam eſſe immortalem. Inter hos haud ultimus fuit PETRUS POMPONATIUS, de quo fuſe ſupra egimus, *cap.* I. §. XXIV. conf. PETRUS BAELIUS, *diction. hiſt. crit. voc. Averrhoes, p.* 414. *ſeqq.* it. in *voc. Spinoza, pag.* 2780. Et ſane, ne quid diffitear, non errant meo judicio, qui, Averroem mentem Ariſtotelis recte aſſecutum, contendunt. Conſtat enim, Stagiritam diſcrimen inter νῦν & ψυχὴν conſtituiſſe, & quod ad νῦν attinet, notiſſima ſunt ejus verba: Λείπεται, τ̀ νῦν θύραθεν ἐπεισιέναι, ϗ θεῖον εἶναι μόνον· *Reſtat, ut mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola divina ſit.* Accedit, quod haec ſententia cum toto Ariſtotelis ſyſtemate egregie conveniat. Cum enim ſingulis orbibus intelligentias praeficeret, non minus & inferiori huic orbi una praeficienda erat, quae ſimul in omnibus hominibus intellectus, ſeu mentis, officio fungi poterat. Inter veteres Ariſtoteli ſectatores itidem nonnulli fuerunt, qui diſerte animae immortalitatem negarunt. Sed unicum ſaltem placet commemorare, DICAEARCHUM, qui, ut TULLIUS auctor eſt, *acerrime contra hanc immortalitatem diſſeruit. Is enim,* ita pergit, *tres libros ſcripſit, qui Lesbiaci vocantur, quod Mitylenis ſermo habetur, in quibus vult efficere, animos eſſe mortales; quaeſtion. Tuſculan. lib.* I. *cap.* XXXI. Sententiam ejus antea plenius ita expreſſerat: *nihil eſſe omnino animum, & hoc eſſe totum nomen inane, fruſtraque & animalia & animantes adpellari, neque in homine ineſſe animum, vel animam, nec in beſtia. Vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel ſentiamus, in omnibus corporibus vivis aequaliter eſſe fuſam, nec ſeparabilem a corpore eſſe, quippe quae nulla ſit, nec ſit quicquam, niſi corpus unum & ſimplex, ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat, & ſentiat; cap. X.* Quam quidem Philoſophi hujus ſententiam diligenter ſub examen revocat PETRUS BAELIUS, *dictionar. hiſtor. crit. voc. Dicearque pag.* 1048. *ſeqq.* Inter recentiores RENATUS CARTESIUS, etſi errores quosdam in doctrina de anima admiſerit, diſcrimen tamen

maximum inter corpus & ſpiritum luculenter oſtendendo, fundamenta ſolida immaterialitatem & immortalitatem animae demonſtrandi, ſuppeditavit. (98) BENEDICTUS contra DE SPINOZA, cum unicam ſaltem admittat ſubſtantiam, non poteſt non animam pro materiali, adeoque mortali, habere. Si enim eam ſpiritum materiae prorſus expertem eſſe crederet, non poſſet non ſubſtantias diverſas admittere. Interim veterator turpiſſimus, ſe animae immortalitatem credere vult videri. Immo in *appendice ad Principia Carteſii more geometrico demonſtrata. part.* II. *cap.* XII. *p.* 135. ex principiis, ut putat, evidentiſſimis demonſtrat, mentem hominis non poſſe non eſſe immortalem. Sed cuncta eo redeunt, in quantum nulla pars ſeu adfectio naturae, quam Deum vocat, poteſt annihilari, etiam anima annihilari nequit; interim cum animae ſubſiſtentiam peculiarem non concedat, corpore deſtructo, non poteſt non modificatio, quae animam conſtituebat, deſinere, adeoque in prima principia, ſeu naturam hujus univerſi reſolvi. JOANNES TOLANDUS, Spinozae ſtrenuus ſectator, de animae, non aliter, quam magiſter, immortalitate ſentire poterat. Immo hanc ſuam de ejus mortalitate ſententiam ne diſſimulat quidem, ſed in ſecunda epiſtola, ad Boruſſiae Reginam ſcripta, aperte profitetur, aſſerens, *opinionem de immortali noſtrae animae natura primo fluxiſſe ab Aegyptiis ad Perſas, deinde ad Graecos, & a Graecis ad Romanos ceterasque gentes Europaeas: ipſos vero Aegyptios hanc opinionem hauſiſſe ex nimio & ſuperſtitioſo mortuorum cultu*; vid. JACOB. FAYUS, in *defenſione religionis &c. part. I. cap. XXIV. pag.* 133. 134. THOMAS HOBBESIUS cum ſubſtantias incorporeas diſerte neget, *Leviath. cap. IV.* immo corpus & ſubſtantiam unum idemque ſignificare, contendat, ib. *cap. XXXIV.* uti jam *cap. I.* §. *XXVII.* obſervavimus; quae de anima ejusque immortalitate ſententia ipſius fuerit, nemini obſcurum eſſe poteſt. Eodem redit ſententia W. COWARDI, Medici Londinenſis percelebris; quippe qui cum itidem ſupponat, nullam dari ſubſtantiam immaterialem, animam quod attinet, doctrinam de ea inter omnes Chriſtianos hodie receptam, quod ſit ſubſtantia immaterialis corpori unita, a paganis fuiſſe confictam, nec principiis philoſophiae, rationis, religionis, conſonam eſſe, audacter pronuntiat, atque evincere connititur; juxta ſcripturam vero animam nihil aliud, quam vitam hominis, hoc eſt, unam eandemque virtutem, qua homo movetur, vivit, ſentit, ratiocinatur, quaeque in corpore reperiatur, quam diu vivit, ceſſet vero prorſus, quamprimum illud interit, rurſus tamen in univerſali corporum reſuſcitatione exſtitura ſit, eſſe contendit. Hanc ſententiam COWARDUS variis in ſcriptis non tantum proponere, ſed contra adverſarios, quos nactus eſt, acriter defendere anniſus eſt, uti in *Actis eruditor. Lipſ. anno MDCCVII. menſ. Aug. p.* 352. *ſeqq.* indicatur. Convenit prorſus ſententia auctoris anonymi, in ſchediaſmate, lingua Germanica

ſcripto,

ſcripto, & ſub titulo: *Zweyer guter Freunde vertrauter Brief-Wechſel vom Weſen der Seelen*, edito, propoſita, cujus jam antea mentionem fecimus. Nimirum homines ſibi fingit anima deſtitutos; quod nos animam vocamus, pro facultatibus ſaltem ex Mechanismo reſultantibus habet, Ariſtotelicorum ἐντελέχειαν, quam PHILIPPUS MELANCHTON *ipſam rei exaedificationem* vocaverit, revocans, & hinc intelligendi pariter ac volendi, ut vocat, proceſſum explicare allaborat; ut ex inſtituto a me oſtenſum, in *programmate de Arabicorum haereſi in ſyntagmate diſſertation. theolog. pag.* 742. Tandem nec DODWELLUS hic eſt praetermittendus, vir ceteroquin eruditiſſimus, qui, animam itidem per naturam ſuam mortalem eſſe, ſtatuit, ſed immortalitatem tamen aut ex libero Dei arbitrio ad poenam, aut ex gratia Dei per Baptismum, conſequi; ſimul tamen ſolis Epiſcopis, quales agnoſcit Eccleſia Anglicana, poteſtatem, Spiritum divinum, immortalitatis auctorem, conferendi, vindicat. Ipſe titulus libri, lingua Anglicana anno M DCC VI Londini editi, mentem ejus plenius indicat: *Diſcurſus Epiſtolaris, probans ex ſcripturis & patribus primitivae Eccleſiae, quod anima ſit principium naturaliter mortale, ſed immortale reddendum, vel per merum Dei arbitrium, ut puniatur; vel per illius cum divino Spiritu Baptismali unionem, ut praemium accipiat, ubi ſimul oſtenditur, neminem poſt Apoſtolos habere poteſtatem dandi Spiritum divinum immortalizantem, niſi Epiſcopos.* Summa ejus exhibetur in *actis eruditorum Lipſ. ann. M DCC VII. menſ. Majo pag.* 207. *ſeqq.* Quae quidem Viri docti ſententia uti & impia eſt, revera animae humanae immortalitatem evertens & ridicula, ita merito a SAM. CLARCKIO, TH. MILLIO, aliisque in Anglia fuit confutata. Id me ſatis capere non poſſe, fateor, quod animam hominis natura mortalem eſſe docet, nec tamen eam vult eſſe materialem; item diſſoluto corpore in auram reverti, nec tamen cum eo perire. Cuncta, quae hactenus, varias Philoſophorum de immortalitate enumerando ſententias, diximus, eo pertinent, ut fundamenta erroris impii, deinceps evertenda, eo rectius intelligantur. Haec vero, ut ſummatim rem omnem complectamur, eo redeunt, I) animam tandem in eſſentiam Dei aut animam mundi redire; quae eſt ſententia Aegyptiorum, Orientalium, Pythagoraeorum, Platonicorum & Stoicorum; quanquam in eo diſcrimen aliquod admittendum ſit, quod nonnulli eam in eſſentiam Dei reverti velint, ut Stoici aliique; alii in animam mundi, quam a Deo ſupremo diſtinguunt, eas abire, ut Platonici; II) animam nihil aliud eſſe, quam corpus ſubtiliſſimum, poſt corporis mortem iterum diſſolvendum, quae eſt ſententia Epicuraeorum, omniumque, qui cum illis faciunt; III) unicum tantum numero omnium hominum eſſe intellectum, quae eſt ſententia Averrois, &, ut probabile, ipſius Ariſtotelis, certe quorundam Ariſtotelicorum; IV) ani-

animam denique esse qualitatem quandam, seu virtutem ex materiae dispositione ortam, & cum ejus destructione cessantem; quorsum Dicaearchi, W. Cowardi, aliorumque, sententia tendit. Haec vero omnia quam lubrica sint, in sequentibus ostendemus. (99)

(94) *Qui animas cum corpore resuscitandas esse, easque proinde cum corpore otiari credunt, & mortis speciem subire, haud multum absunt ab iis, qui eas in sopore quodam post corporis obitum versari opinantur, usque dum denuo conjungentur cum eo resuscitato: si, scilicet, mentis essentia consisteret in perpetua cogitationum serie, sive in cogitandi actuositate, seu* in τὸ cogitare, *quemadmodum nonnulli voluerunt, sed cujus contrarium patebit in seqq.*, mens non cogitans, *& in sopore constituta est* non-ens; *& idem fere est, acsi moriente corpore annihilaretur, & de novo ex nihilo educeretur omnipotentis rerum Domini jussu. Dico* fere, *quia post soporem in memoriam revocare fortassis posset nonnulla saltem eorum, quae in hac vita peregit, vel passa fuit; quod non obtineret, si annihilaretur & dein reproduceretur, cum sic cessaret* personalitas *ejusdemque (uti loquuntur Scholastici)* identitas. *Vid. infra Cap. VII.* §. 2. *Verum si vel mentis essentia, ejusque facultas cogitandi maneret integra, dum hancce facultatem actu non exercet, non tamen somnus ille vel sopor animarum a Christiano Philosopho posset admitti, licet ingeniose pro eo disputaverit* Burnetus *de Statu Mort. Cap.* 4.; *rationes vero contra illum militantes adduxisse, hujus non est loci, utpote ex Revelatione unice hauriendas.*

(95) *Ipse Cl.* Buddeus *hoc revocavit in nova editione hujus laudati opusculi pag.* 85.; *neque verba* Josephi *l. c. id necessario inferunt; cum* μεταβαίνειν εἰς ἕτερον σῶμα *non notet* migrare animas ab uno corpore in aliud & iterum in aliud; *sed significare possit*, eas migrare ex corpore mortali in corpus gloriosum. *Attamen ab altera parte, licet resurrectionem mortuorum, tum piorum, tum impiorum crediderint, transmigratio animorum posset cum illo dogmate quodammodo conciliari; neque* Josephus *de resurrectione, aut de transmutatione corporis terreni in gloriosum ullo modo disserit, sed de statu animarum statim post mortem. Adjicit aliud argumentum Cl.* Bruckerus *Hist. Crit. Philos. Tom.* 2. *p.* 754., *nim. quod non tantum varii fuerint inter Judaeos, qui* μετεμψύχωσιν *crediderunt, verum etiam quod Rabbanitae, qui Pharisaeorum genuini erant discipuli & asseclae, illud dogma propugnaverint.*

(96) *Hoc egregie expressit Cardinalis* de Polignac *in Antilucret. Lib. V. vs.* 1047. seqq.

Tan-

Tantus amor nihili, tanta eſt vecordia; ſolum hoc
Permetuunt coeci, ne Mens, compage ſoluta,
Duret adhuc nimium vivax, buſtoque ſuperſtes
Evolet: hoc cupiunt unum, ut cum corpore vitam
Ponat, & in ventos tenuis velut aura recedat.

(97) *Multum diuque diſputatum fuit de vera* Ariſtolis *opinione circa Mentis immortalitatem; praecipuus ejus locus (qui occurrit de Gener. Animalium L.* 2. *C.* 3. *pag. m.* .) *lucem demum accepit a Cl.* Moshemio *ad* Cudworthi *Syſt. Intell. pag.* 1172. ſeq., *qui docuit, non tantum ex eo demonſtrari non poſſe, eum immortalitatem animae agnoviſſe, ſed potius contrarium exinde probabile reddi; quod robur accipit ex* Ethic. ad Nicomach. *L.* 3. *Cap.* 9., *ubi dicit*, nihil omnium rerum terribilius eſſe morte, cum omnium rerum ſit extremum; nihilque, *adjicit*, reliquum eſſe mortuo videtur, neque bonum, neque malum.

(98) *Demonſtravit quidem* Carteſius *Medit. VI. & Epiſt. Part. II. Epiſt.* 56. *mentem eſſe* immaterialem, *verum exinde tantum ſequitur*, eam diſſolvi non poſſe in partes; *non vero eam eſſe* immortalem, *ita ut, a corpore ſeparata, conſcientiam ſui, & rerum praeteritarum memoriam retineat: ut hoc evincatur, altius eſt adſcendendum, & ex conſideratione Divinarum perfectionum petenda eſt demonſtratio, quemadmodum videbimus infra Cap. VII.* §. 2.

(99) *Inter recentiores, qui ſine pudore immortalitatem animae riſerunt, eſt* la Mettrie *l'Hiſt. Naturelle de l'Ame (in cujus titulo ponitur* Participem lethi quoque convenit eſſe) *pag.* 328. ſeqq. *ubi inquit:* j'avoue moimême, que toute ma Philoſophie ne m'empêche pas, de regarder la mort comme la plus triſte neceſſité de la Nature, dont je voudrois pour jamais perdre l'affligeante idée: *Egregius ſane Philoſophiae Cultor, ſi vera Philoſophia ſit meditatio mortis! & quid ſibi velit, ſatis manifeſtum eſt ex carmine Abbatis* de Chaulieu, *quod ſuum facit, cujus ultima verba:*

Et plein d'une douce eſperance
Je mourrai dans la confiance
Au ſortir de ce triſte lieu,
De trouver un aſyle, une retraite ſure
Ou dans le ſein de la Nature
Ou bien dans les bras de mon Dieu.

ac tandem adjicit: Cependant je ceſſe d'etre en quelque ſorte; toutes les fois que je penſe, que je ne ſerai plus. *Conferenda ſunt ea, quae ſcripſit impudentiſſimus Auctor* l'Homme Machine, *pag.* 106.

§. III.

Sequitur tertium dogma, Spirituum ſive Angelorum bonorumque malorumque negata exiſtentia. Certe, qui Atheismi ſui in eo collocant fundamentum, non alias, praeter corpora, dari ſubſtantias, Angelos ſeu Spiritus admittere nequeunt. Unde, qui Spirituum ejusmodi exiſtentiam negant, etſi ideo non ſtatim pro Atheis habendi ſint, ejusmodi quid docent, quod ad Atheismum ducit. (100) Sunt equidem, qui putant, Atheos quosdam Spiritus admittere poſſe, adeo ut Athei eſſe non deſinant, etſi certo quodam ſenſu Spiritus ab anima hominis diſtinctos ſtatuant; ſed tamen, ſi rem omnem paulo accuratius conſideremus, a receptis & genuinis notionibus recedendo, fucum ſaltem eos facere imperitioribus deprehendemus. Hinc vero, quo usque ſpectra, magos, ſagas, admittere queant, dijudicandum. *

(100) *Ex duplici fonte profluere poteſt negatio* Spirituum, *ſi per eos cum Auctore intelligamus* angelos bonos malosque; vel, *ſcilicet, quia non agnoſcitur Revelationis veritas & divina origo, qua negatâ, etiam Angelorum exiſtentia negabitur, utpote ex naturae lumine non demonſtranda, adeoque Naturaliſta, qui nondum eſt Atheus, hanc agnoſcere detrectabit;* vel *quia nullae admittuntur ſubſtantiae incorporeae, ita ut & ipſe Deus eſſet corporeus, quales inter Atheos* ſecundi ordinis *poſſunt numerari. Quilibet igitur, qui ſubſtantiarum omnium incorporearum exiſtentiam negat, ſine injuria* Atheus *poteſt haberi, ſed non, viciſſim, omnis Atheus exiſtentiam entium ſpiritualium a mentibus humanis diverſorum, neceſſario negabit: ipſum ſyſtema* Spinoſae *admittere poſſet animas, ſive entia cogitantia a mentibus noſtris diſtinctas, tanquam* modificationes cogitationis, *quam inter attributa Dei numerat.*

* Ut Atheorum, de Spirituum finitorum exiſtentia, & operationibus, opiniones eo rectius intelligantur, diverſa iterum Philoſophorum conſideranda ſunt ſyſtemata. In gente Ebraea veram & genuinam de Spiritibus creatis, ſeu Angelis, doctrinam viguiſſe, Scriptura ſacra nos dubitare non ſinit. Corrupta tamen deinceps apud eos & haec doctrina fuit, Sadducaeis quidem, Angelorum ac Spirituum omnium exiſtentiam negantibus, ut ex *Actor.* XIII. 8. (101) conſtat, aliis autem ex eadem gente, de Angelorum nominibus, poteſtate, operationibus, talia comminiſcentibus, aut a Gentilibus conficta aſſumentibus, quae ad ſummam ſuperſtitionem, immo & ad magiam ducerent; quorſum & illud pertinet, quod nonnulli ex recentioribus, Angelis corpora ſubtilia tribuunt. (102) Dictum hac de re in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebr. p.* 67. 333. 343. *ſeqq.* Aegyptios, Chaldaeos, aliosque gentium Orientalium Philoſophos, ſpiritus daemonesque credidiſſe, nemini temere ignotum eſſe poteſt. Legenda ſaltem, quae de Chaldaeis congeſſit THOMAS STANLEJUS, in *hiſtor. philoſ. lib.* XIII. *ſect.* II. *cap.* IX. *pag.* 1127. Pythagoras, qui plurima ab Aegyptiis aliisque gentibus barbaris accepit, totum aërem plenum eſſe animarum, tradidit, easque & daemones & heroas exiſtimari, atque ab his hominibus immitti ſomnia, & ſigna morbi & ſanitatis, neque ſolum hominibus, verum & pecudibus & jumentis; atque ad has referri luſtrationes, & expiationes, divinationemque omnem, & vaticinia & cetera id genus; ut auctor eſt DIOGENES LAERTIUS, *libr.* VIII. *ſect.* XXXII. *pag.* 514. Platonicos itidem varia daemonum ſtatuiſſe genera, notius eſt, quam ut a me moneri debeat. Id ſaltem obſervamus, omnes iſtos philoſophos, qui rerum omnium, ſpeciatim animarum emanationem ex eſſentia divina ſtatuebant, ſine omni difficultate ſpiritus finitos, ſeu daemones, admittere potuiſſe. Si enim animae humanae ex eſſentia Dei, aut anima mundi, emanarunt, cur non & alii ſpiritus? Plerique tamen, praeſertim & Platonici, corpora ſubtiliora, ſaltem ceu vehicula, aeque ac animabus hominum, iis tribuebant. Lectu digna ſunt, quae hac de re diſſerit PETRUS GASSENDUS, *ſyntagm. philoſ. Epic. ſect.* II. *cap.* VI. *pag.* 301. *ſeqq.* Iſta autem cum Pythagoraeorum ac Platonicorum de ſpiritibus fuerit ſententia, nemo mirabitur, quosdam illorum in magiae ſuſpicionem veniſſe. (103) Cum vero hypotheſis de rerum omnium ex eſſentia Divina emanatione ad Spinozismum ducere haud immerito credatur, patet ex dictis, poſſe aliquem ejusmodi hypotheſin fovere, qui nihiloſecius ſpiritus ſeu daemones ſtatuit, etſi utique non eo ſenſu, quo nos id facimus. Qui non alias, quam corporeas, aut materiales ſubſtantias ex veteribus admittebant, non poterant non ſpirituum & exiſtentiam & operationes negare. Hinc EPICURUS eos, qui genios ſibi apparere commemorant, aut mentiri & fingere, aut melancholicos eſſe exiſtimabat, talesque, ut aerumnoſum corpus ipſis tum ſuſpendat,

ſpendat, tum ad extraordinaria deflectat, imaginationem; vid. PETRUS GASSENDUS, *ſyntagm. philoſophiae Epicureae ſect.* II. *cap.* VI. *pag. m.* 295. De Ariſtotelis ſententia, an ſpiritus finitos, ſeu daemones, crediderit, inter Viros doctos diſputatum fuit. Credidiſſe, & quidem, quae Scripturae ſacrae prorſus conſentanea ſint, de iis docuiſſe, perſuadere lectoribus cupit JOANNES ZEISOLDUS, de *Ariſtotelis cum ſcriptura ſacra conſenſu &c. diſputat.* IV. *pag.* 107. *& ſeqq.* Et ſane aliquid, intelligentias admiſiſſe Ariſtotelem, notum eſt; idque nec aliud quid evincunt loca ejus a ZEISOLDO in medium allata. Intelligentias autem ſuas cum Ariſtoteles ſingulis orbibus praefecerit, easque neceſſario vinculo cum iis colligatas exiſtimaverit, non poſſe eas eo loco, quo ſpiritus, angeli, daemones apud nos ſunt, habere, manifeſtum eſt. (104) Idque recte etiam obſervatum GERHARDO JOANNI VOSSIO, de *idololatr. gentil. libr.* II. *cap.* XLI. Commemoratur equidem inter ſcripta Ariſtotelis a PLINIO, *lib.* XXX. *cap.* I. & DIOGENE LAERTIO, *prooem. ſect.* I. liber Μαγικὸν ſeu Μαγικὸς dictus. Praeterquam vero, quod contenta ejus, cum non amplius extet, nobis ignota ſint, ab aliis jam obſervatum, eum minus recte Ariſtoteli tribui; vid. AEGIDIUS MENAGIUS, ad *Diogenis Laërtii l. c.* Inter recentiores ipſe BENEDICTUS DE SPINOZA ſe ſtatim nobis offert, quem Spiritus finitos ſeu Angelos ſtatuiſſe, ut non temere quis, cui doctrina ejus perſpecta eſt, crediderit, ita etiam haud obſcure hoc negat, quicquid de ſpectris ſeu ſpirituum adparitionibus refertur, in dubium vocans, *epiſt. LVI. LVIII. & LX.* Nihilosecius PETRUS BAELIUS in eam ingreditur ſententiam, ſyſtema SPINOZAE ſibi non conſtare, niſi ſpiritus ſeu daemones admittat; immo hosce dum negavit, oſtendiſſe illum, quod ſuum ipſemet non ſatis intellexerit ſyſtema, adeoque, quid ex principiis a ſe poſitis deduci poſſet, ignoraverit. Cum enim res omnes creatas pro modificationibus ſaltem creatoris, hoc eſt, hujus univerſi habeat, fieri aliter non poſſe, quam ut cogitatio creatoris non tantum in homine, ſed & in multis rebus aliis, iisque inviſibilibus, fuerit modificata; unde ſequatur, infinitum eſſe ejusmodi animalium numerum, quae ut cognitione, ita malitia hominem in tantum ſuperent, in quantum hic iis canes & boves ſuperat. Et hac etiam ratione explicat, quo pacto juxta idem ſyſtema anima hominis poſſit eſſe immortalis; immo quo pacto infernus poſſit admitti, ſeu ejusmodi animarum poſt mortem ſtatus, in quo variis cruciatibus ſint obnoxiae. Si enim opponantur ejusmodi ſubſtantiae inviſibiles, ex modificatione naturae hujus univerſi ortae, quarum magna ſit poteſtas & malitia, fieri aliter vix poſſe, quam ut aliis ejusdem generis ſubſtantiis, quae iis reſiſtere nequeant, mala plurima ab eis & infinitae immineant calamitates. Huc fere redeunt, quae hac de re diſſerit in *diction. hiſtor. & crit. voc. Spinoza lit. M. & P. p.* 2780. *ſeqq.* Verum valde vereor, ne cuncta tandem in meram illuſionem abeant, ut homines ſibi perſau-

ſuadeant, Spinoziſtas poſſe admittere, animae humanae immortalitatem, Angelos, poenas infernales, cum tamen revera nihil horum admittant, quemadmodum nec Spinoza ipſe admiſit, ut ipſemet auctor doctisſimus fatetur. Hoc vero ut eo evidentius pateat, obſervandum, in ſyſtemate Spinozae Spiritus proprie ſic dictos, hoc eſt, ſubſtantias immateriales locum non invenire. Corrueret enim ſtatim primum ejus principium, unicam tantum dari ſubſtantiam, ſi ſubſtantias diverſi plane generis, materiales & immateriales admitteret. Ergo & non aliam, quam materialem homini tribuere poteſt animam, & ſi ſpiritus admittendi, tantum materiales erunt, hoc eſt, revera corpora, non ſpiritus. Eundem in finem & cogitationem ejusmodi affectionem eſſe ſtatuit, quae una cum extenſione in uno eodemque ſubjecto eſſe poſſit. (105) Neque quantum ego capio, ſecundum Spinozae ſyſtema dici poteſt, *cogitationem Creatoris* eſſe modificatam; ſed dicendum potius, ipſam ſubſtantiam hujus univerſi, cujus duae affectiones ſint, cogitatio & extenſio, in rebus creatis diverſimode eſſe modificatam. Quae modificatio uti in homine per ipſum corpus organicum facta eſt, aut fieri potuit, ita cur alia animae modificatio tribuenda ſit, non video; certe ipſe Spinoza haud dubio non tribuit. (106) Sane quidem nihil impedit, quo minus in corporibus inviſibilibus idem fiat, nec tamen, quod fieri debeat, ſequitur; multo minus, ſi fiat, Spiritus proprie ſic dicti inde exiſtent. Unde &, quid de inferno ex mente Spinozae, aut potius PETRI BAELII, cenſendum ſit, patet. Praeterquam enim quod talis infernus lubrico fundamento innititur, longe aliam huic voci aeque ac voci *Spiritus*, notionem tribuit; cunctaque ſaltem ad fucum aliis faciendum videntur eſſe comparata. Dijudicanda vero hinc etiam eſt quaeſtio, an ex Spirituum finitorum exiſtentia probari poſſit exiſtentia Dei; item an ex eo, quod aliquis neget, dari Spiritus finitos, tuto colligere liceat, eum eſſe Atheum. Utramque negat PETRUS BAELIUS, *loc. cit.* item in *voc. Ruggeri pag.* 2628. Enim vero ad priorem quod attinet quaeſtionem, contra eos ſaltem Atheos, qui Atheiſmi ſui fundamentum in eo collocant, quod nulli dentur ſpiritus, ſeu non aliae praeter materiam & corpora ſubſtantiae, argumentum hocce omnino plurimum valet. Si enim probatum fuerit, dari Spiritus creatos, proprie ſic dictos, falſa eſt extra controverſiam propoſitio contraria: nullas alias praeter corpora, ſeu res materiales, dari ſubſtantias. Militat quoque hocce argumentum contra Spinozam: ſi enim dantur Spiritus, hoc eſt ſubſtantiae toto genere a ſubſtantiis materialibus diverſae, ergo falſum eſt, unicam tantum dari ſubſtantiam. (107) Ad alteram vero quaeſtionem quod attinet, ſane fieri poteſt, ut quis Deum eſſe credat, qui creatorum ſpirituum exiſtentiam negat: id quod vel Sadducaeorum exemplo conſtat. Interim tamen, quia ejusmodi homines ſine omni cauſa argumentum iſtud nobis eripiunt, quo Athei-

ſmus everti certa ratione poteſt, non errabimus, ſi dicamus, hanc ſententiam favere Atheismo, & ad eum ducere. (108) Ut vero nunc reliquos etiam, qui Spirituum finitorum aut exiſtentiam, aut operationes, in dubium vocarunt, paucis attingam. THOMAM HOBBESIUM huc itidem referendum eſſe, ſatis conſtat. Certe, cum nullam aliam, quam corpoream ſubſtantiam, ut ſupra *cap. I.* §. XXVII. oſtendimus, ſtatuat, Spiritibus, proprie ſic dictis, locum concedere nequit. Nec diſſimulat illud, ſed laudi potius ducit auctor *vitae Hobbeſii*, etſi ſimul addat, inſimulatum eum a quibusdam, ac ſi ſpectra metueret: *Nec minus falſo a quibusdam inſimulatus eſt, tanquam ſolitudinem fugeret, ſpectra metuens & phantasmata, vana ſtultorum terriculamenta, quae philoſophiae ſuae lumine diſſipaverat; pag.* 106. Intercedit vero hic iterum PETRUS BAELIUS, &, metuere Hobbeſium ſpectra potuiſſe, putat, etſi vel maxime fuerit Atheus, aut omnino exiſtentiam Spirituum negaverit. Nihil enim obſtare, quo minus plurimae dentur ſubſtantiae inviſibiles, malignae, quae hominibus male cupiant. Quodſi etiam hoc non admittatur, tantam imaginationis vim eſſe, ut homini, qui ſpectra non credit, nihiloſecius metus aliquis ob ſpectra incuti queat; *diction. hiſtor. crit. voc. Hobbes, pag.* 1574. (109) Verum de priori quid ſentiendum ſit, antea expoſuimus. Ad poſterius quod attinet, pauci erunt, qui credent, dignum tanto philoſopho fuiſſe, quantus Hobbeſius videri voluit, imaginationis potius, quam rationis (ex ipſius ſaltem perſuaſione) imperio regi. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Praetermittendus vero hic nobis non eſt BALTHASAR BECKERUS, quo nemo temere majorem in doctrina de Spiritibus, recentiori aetate, ſtrepitum dedit. Edito namque Leowardiae anno M DC XCI. belgica lingua libro, cui titulum fecit, *mundus faſcinatus*, in id omnes ingenii vires intendit, ut infernalem genium ex hocce mundo relegaret, & ab hominum negotiis procul amoveret; immo ut generatim ſpiritibus (quorum ſe non vult videri negari exiſtentiam) vim omnem in corpus agendi, aut ſimiles effectus producendi, abjudicaret. In quem errorem ut notio *ſpiritus*, quam ex Carteſiana philoſophia hauſit, qua eſſentia ejus in cogitatione conſtituitur, eum induxiſſe videtur (110), ita majorine ſtudio, incertum, an impudentia, luculentiſſima Scripturae oracula mirum in modum pervertere, & in alienum detorquere ſenſum, auſus eſt. In compendio praecipua ejus fundamenta, cum eorum refutatione, exhibui, in *elementis philoſophiae theoreticae, part. VI. cap. II. pag.* 339. *ſeqq.* Extiterunt plurimi, qui Beckerum ex inſtituto refutarunt, quos inter praecipue commendari ſolent JOANNES AALSTIUS, & PAULUS STEENWINCKELIUS, in libro, belgico idiomate, ſub titulo: *Zedige Aenmerckingen*, contra Beckerum anno M DC XCIII edito. Reliquos, qui contra eum ſcripſerunt, laudat ZACHARIAS GRAPIUS, in *theologia recens controverſa, continuata, cap. II. quaeſt. IX. pag.* 81. *ſeqq.* ubi illos & com-

commemorat, qui post Beckerum Spirituum existentiam, aut operationes, diversa quidem ratione, in dubium vocare ausi sunt. Varias etiam auctorum veterum ac recentiorum de Spiritibus & eorum operationibus, speciatim de spectris, & magia, sententias, diligenter collectas, exhibet CAROL. FRIDER. ROMANUS, in *schediasmate polemico, expendente quaestionem, an dentur spectra, magi & sagae.* Fundamenta praecipua eorum, qui aut existentiam, aut operationes spirituum negant, uti ex hactenus dictis facile intelliguntur, ita huc fere redeunt: non dari alias substantias, praeter materiales; nihil obstare, quo minus & substantia materialis, seu corpus, cogitet; quod si substantia quidem materiae expers, seu spiritus detur, essentiam ejus consistere in cogitatione, adeoque non posse concipi, quo pacto in materiam agat; quicquid de Spirituum apparitionibus, spectris, magia, &c. narratur, pro commentis otiosorum hominum, aut anilibus fabulis, esse habendum, &c. (111) Quae omnia in sequentibus sub examen revocabimus.

(101) Sadducaei *tamen admittebant credebantque Mosis scripta, in quibus creberrima est Angelorum mentio: unde nonnulli voluerunt, vocabula* Act. *XXII:* 8. μηδε Αγγελον *esse glossema, quod tractu temporis in ipsum textum irrepserit; ita ut simpliciter legendam sit* Σαδδουκαιοι λέγουσι μὴ εἶναι ἀναστασιν μηδὲ πνεῦμα; *eaque suspicio roborari videtur verbis sequentibus* φαρισαιοι δὲ ὁμολογῦσι τὰ ἀμφότερα, *quod innuere videtur, tantum agi* de duobus, *non de tribus dogmatibus. Fatendum quidem, vocabulum* αμφοτερα *nihil demonstrare,* tum *quia respicere potuit* Lucas *ad* duo *tantum dogmata; ita ut* negatio & Angeli & Spiritus *habeatur pro uno eodemque dogmate, quod duplici respectu erroneum est;* tum *quia non est inusitatum apud Graecos, illud vocabulum spectare ad ternarium rerum in antecedentibus memoratarum numerum, quemadmodum docuit Cl.* Wesselingius *apud Cl.* Ode *in Comment. de Angelis Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 2. *Attamen manet scrupulus, qualis fuerat in initio; nec eximi potest, nisi cum* Vossio *Theol. Gent. Lib.* 1. *Cap.* 6. *&* Markio *in Medulla Theol. Cap.* 9. §. 3. *statuamus, Sadducaeos* permanentem *Angelorum existentiam post factas apparitiones, vel post absolutas operationes non admisisse.*

(102) *Notum est, Cl.* Joh. Christ. Loersium, *in Dissert.* de Corporibus Angelorum, *sententiam, quae, Angelicas mentes cum subtilibus corporibus perpetuo esse unitas, statuit, revocasse, & novis roborasse argumentis, quae a specie non destituuntur, quaeque ad examen sunt revocata a Cl.* Ode *l. c. Sect.* 3. *Cap.* 1. §. 24-34. *an ubique aeque feliciter, nunc non disquiro.*

(103) *Quinam apud Veteres Gentiles Angelorum, Daemonumve existentiam agnoverint, & quomodo ad illam notitiam pervenerint, fuse disquirit Cl.* Ode *l. c. Sect. II. Cap.* 3. *pag.* 237-271. *conf.* Pfannerus *in Syst. Theol. Gent. Cap.* 6. *&* Moshemius *ad* Cudworth. *pag.* 854. seqq.

(104) *Vid.* Moshemius *ad* Cudworthi *Syst. Intell. pag.* 491. seqq.

(105) *Non magis in Systemate Spinosiano admittuntur* Spiritus materiales, *quam* corpora Spiritualia; *non magis cogitatio inter infinita attributa, quae unicae substantiae competunt, eminet supra extensionem, quam extensio supra cogitationem, cum & cogitatio & extensio infinitam Dei essentiam exprimant.*

(106) *Secundum* Spinosam (*Eth. Part. II. prop.* 1.) Cogitatio est attributum Dei; *hoc attributum Dei, haec* Dei cogitatio *est modificata proinde in essentia hominis; nam dicit Part. II. Prop. X. in Coroll.* Hinc sequitur, essentiam hominis constitui a certis Dei attributorum modificationibus. *Non recte igitur Cl.* Buddeus *a se invicem distinguit, quae revera coincidunt, vel non recte mentem* Spinosae *percepit; quatenus* modificationes *non directe pertinent ad illam unicam Spinosae* substantiam, *sed ad istius substantiae* attributa.

(107) *Totius controversiae status in eo maxime est repositus, an* entia cogitantia, *qualia sunt mentes humanae, sint* substantiae cogitantes; *quamlibet mentem humanam existere & in sua existentia perseverare absque ope alterius rei* finitae, *salvo suo Systemate, concedere potuit* Spinosa; *sed tamen eandem esse* substantiam *cogitantem negare debet: ideoque in* seqq. *praecipue demonstrandum erit, ipsum fallacem dedisse* substantiae *definitionem.*

(108) *Potest quis Deum credere, qui tamen non persuasus est, de immaterialitate mentis, vel qui existimat usque adeo nobis ignotam esse naturam tum mentis, tum corporis, ut determinare non liceat, an non Deus materiae superaddiderit facultatem cogitandi, licet haec ex nobis perspectis materiae attributis profluere non videatur; erroneam esse hanc opinionem demonstrabitur quidem Cap. VII.* §. 2. *sed nondum asseverare licet, illam ad Atheismum ducere; saltem potentiam Divinam infinitam supponit, quamvis simul, eandem ad contradictoria sese exporrigere, tacite agnoscat.*

(109) *Eo usque procedit* Bayle *l. c. lit. N, ut statuat, nullos dari Philosophos, qui minori jure Magiam & artes Diabolicas, sive* (*uti loquitur* Ho-

Horatius *Lib. II. Epist. II.*) somnia, terrores magicos, miracula, sagas, nocturnos lemures, portentaque Thessala rident, *quam qui existentiam Dei negant.* Hobbesius *quidem, non dari substantias statuit a materia distinctas; sed entia dari possunt menti nostrae similia, quae malitiâ sunt insignia. Uti corpuscula sunt, quae excitant in nobis, secundum systema Hobbesianum, cogitationes & inclinationes malas, aliisque noxias; sic etiam in aëre istius indolis corpuscula versari possunt, quae norunt, quomodo cerebrum nostrum sit adficiendum, ut spectra a nobis videantur. Et certe, si eo stupiditatis progrediatur aliquis, ut in corpusculis quibusdam quaerat cum* Epicuro *&* Lucretio *cogitationum fontem, etiam facile spectra & Lemures formabit ipse ex corpusculis in aëre volitantibus. Verum non video, quo fundamento asseruerit* Bayle, *Atheos* minori *jure Magiam, &c. rejicere, quam alii, qui de existentia Dei sunt certi; nisi respexerit ad beneficam divinae providentiae directionem, quae avertat & impediat malas Daemonum artes, ita ut, positâ Dei existentiâ, fraenum injiciatur eorum malitiae.*

(110) *Licet erraverint* Cartesius *ejusque asseclae, mentis, vel in genere, cujuscunque intelligentiae essentiam in cogitatione, seu cogitandi actuositate constituentes, non tamen necessarius inter hanc sententiam atque inter illam* Bekkeri *datur nexus. Si enim ideo non possit concipi, quo pacto Spiritus, cujus essentia in sola cogitatione consistit, in materiam agat, & propter hancce ignorantiam nostram infernalis Genius ex hocce mundo esset relegandus, eodem jure operationes mentium humanarum in sua corpora inter fabulas numerare potuisset, imo debuisset* Bekkerus. *Dantur certe plurimi, qui in hac Cartesiana sententia versantur, & tamen systema influxus Physici agnoscunt; imo licet systema causarum occasionalium foverit Cartesianus, tamen operationes infernalis Genii ejusque sociorum vel ministrorum potuisset admittere, aeque ac illas, quae a malis hominibus proficiscuntur. Imo aliae fuerunt* Beckero *rationes in sequentibus memorandae & revocandae ad examen, quae ab illis etiam possent adhiberi, qui essentiam spiritus in cogitatione repositam esse negant: ne dicam, illos, qui, facultatem vel actuositatem cogitandi alicui subjecto nobis incognito inhaerere, judicant, non multum proficere in explicatione operationum, quae a spiritibus, ab Angelis bonis malisve eduntur, nisi supponere velint, illud subjectum propius accedere ad naturam corporum, quam ipsae cogitationes, quae ex illo subjecto procedunt, vel saltem, illud cum corpore, aut cum extensione habere aliquid commune.*

(111) *Chr.* Thomasius *in variis scriptis ansam quibusdam praebuit suspicandi, acsi eâdem in sententia versaretur cum* Bekkero; *sed falso eum esse*

 accu-

accusatum, *manifestum fit ex ipsius Thesibus* de Crimine Magiae, *ubi* §. 6. *expresse dicit:* arbitramur, dari diabolum extra hominem, eumque ab extra intrinsece tamen & invisibiliter operari in hominibus improbis; sed, *addit*, (*quod multis displicuit*) negamus, dari Sagas & Magos, pacta cum diabolo ineuntes, quin potius arbitramur, hanc fabulam ex Judaismo, Gentilismo & Papismo conflatam esse, &c. *an vero hocce assertum satis cum Revelatione conspiret, nunc non disquiram; dantur saltem inter vere Orthodoxos, qui istiusmodi pacta, serioribus aevis inita, rident, eorumque vix ulla exempla in Historia sacra reperire valent; nisi forte excipiantur Magi Aegyptiaci, & Mulier Endoraea, de quibus disputatur inter Eruditos. Conf. Cap. VII.* §. 3.

§. IV.

Vaticinia seu praedictiones de rebus futuris, iisque mere fortuitis, ut argumentum pro Numinis existentia firmissimum praebent; ita Atheis haud immerito favere creduntur, qui ista aut in dubium vocant, aut causas quasdam naturales, inepte tamen prorsus atque irrito conatu, illis assignare annituntur. Ipsos namque Atheos, immo & eos, qui Divinam providentiam negant, vaticinia ejusmodi non admittere, res ipsa docet. *

* Quae de rebus futuris eduntur vaticinia, non sunt ejusdem generis. De iis, quae causarum, ex quibus certi non possunt non effectus consequi, notitia, aut conjecturis quibusdam nituntur, nobis nunc sermo non est. Multo minus de iis, quae fallaces ac superstitiosas artes divinatorias, aut omnino imposturas hominum, pro fundamento habent. Namque de iis nobis sermo est, quibus eventus revera respondet, & quae tamen vim mentis humanae prorsus superant. Haec autem iterum duplicis sunt generis. Nonnulla namque humanae mentis vim equidem superant, sed in spiritus tamen creatos, quorum longe amplior, quam hominum, est cognitio, cadunt; alia autem, de rebus scilicet mere contingentibus, omnium etiam spirituum vim superant, & a solo Deo, cui etiam fortuita quaevis perspecta sunt, proficisci possunt. Posterioris generis vaticinia Atheis; prioris, illis etiam recte opponuntur, qui Spirituum creatorum existentiam negant. Facile hinc conjicere licet, diversas Philosophorum de vaticiniis atque divinatione fuisse

fuiſſe ſententias, prouti de ipſa, aut Dei, aut Spirituum exiſtentia, ac operationibus, in diverſas partes abierunt. Obſervatum id jam TULLIO fuit, quem hac de re audire juvabit. *Philoſophorum vero*, inquit, *exquiſita quaedam argumenta, cur eſſet vera divinatio, collecta ſunt, e quibus, ut de antiquiſſimis loquar, Colophonius Xenophanes, unus, qui deos eſſe, diceret, divinationem funditus ſuſtulit. Reliqui vero omnes praeter Epicurum, balbutientem de natura deorum, divinationem probaverunt, ſed non uno modo. Nam cum Socrates omnesque Socratici, Zenoque, & hi, qui ab eo eſſent profecti, manerent in antiquorum philoſophorum ſententia, vetere Academia, & Peripateticis conſentientibus, cumque huic rei magnam auctoritatem Pythagoras jam ante tribuiſſet, qui etiam ipſe augur vellet eſſe, plurimisque locis gravis auctor Democritus, praeſenſionem rerum futurarum comprobaret, Dicaearchus Peripateticus cetera divinationis genera ſuſtulit, ſomniorum & furoris reliquit; Cratippusque, familiaris noſter, quem ego parem ſummis Peripateticis judicio, iisdem rebus fidem tribuit, reliqua divinationis genera rejecit;* de *divinatione lib.* I. *p. m.* 1204. Ex quibus quidem CICERONIS verbis diſcimus, reliquos Philoſophos omnes, praeter Xenophanem & Epicurum, vaticinia ſeu praedictiones futurorum credidiſſe; ita tamen, ut nonnulli omnia praedictionum genera, alii quaedam tantum admitterent. Addendum vero, inter eos, qui praedictiones rerum futurarum admiſerunt, nonnullos quidem earum cauſam ad Deum, ſeu genios vel daemones, retuliſſe, ut Pythagoraeos & Platonicos; alios autem vim quandam naturalem futura praedicendi hominibus inſitam, aſſeruiſſe, quae modo in dormientibus, modo in furore percitis, accedentibus praeſertim cauſis, vim hancce excitantibus, ſeſe exereret, ut Stoicos; immo & Peripateticorum huc redibat ſententia; ſaltem ex cauſis naturalibus facultatem omnem vaticinandi procedere, ſibi perſuadebant. Cumprimis AMMONIUS hoc variis rationibus probare anniſus eſt, quas refert PLUTARCHUS, de *def. oraculor. tom.* II. *opp. pag.* 196. ex quo eas repetit, preſſiusque urget PETRUS PETITUS, de *Sybillis lib.* I. *cap.* VIII. *pag.* 30. *ſeqq.* de quo & deinceps erit dicendi locus. De Epicuro quod dixit CICERO, eum praedictiones omnes rejicere, & aliunde etiam conſtat, & alibi idem confirmat. *Nihil*, inquit, *tam irridet Epicurus, quam praedictiones rerum futurarum; de natura deorum lib.* II. *pag.* 1192. Et alibi: *Doleo, Stoicos noſtros Epicuraeis deridendi ſui facultatem dediſſe; non enim ignoras, quam iſta derideant; lib.* II. *de divin. pag.* 1230. Atque hoc eſt, quod etiam PLUTARCHUS dicit, Epicuraeorum fuiſſe χλευασμοὺς ϗ γέλωτας, *ſannas & riſus, de orac. def. tom.* II. *opp. pag.* 429. Facile hinc etiam conjicere licet, quae Epicuraeorum de oraculis, de inſomniis, de oſtentis, fuerit ſententia; de qua tamen, qui plura cupit, PETRUM GASSENDUM adeat, *ſyntagm. philoſ. Epicur. ſect.* II. *cap.* VI. *pag.* 297. *ſeqq.* In hiſce vero omnibus

rite

rite dijudicandis, caute incedendum esse, nemo temere negaverit. Etenim, si vaticinia praedictionesque futurorum, prout apud Gentiles se habebant, spectes, multas imposturas, mendacia, figmenta, inanes vanasque persuasiones, intercessisse, nemo dubitaverit. Et haec quidem jure rejiciebant Epicuraei, Stoicosque talia promiscue defendentes, & superstitioni anili patrocinantes, merito cachinnis excipiebant. In eo tamen peccabant, quod omnes sine discrimine praedictiones, ceu meras imposturas & figmenta, rejiciebant; cum nihil obstet, quo minus Deus futura revelare queat; & apud Ethnicos etiam quaedam praedictiones extarent, quae vim & cognitionem humana majorem omnino indicabant. (112) Quemadmodum autem haecce Epicuraeorum sententia Atheismo mirifice favet, ita tamen nec Stoicorum, aliorumque, qui, naturalem hominibus inesse vaticinandi facultatem, contendebant, ullo modo admittenda. Immo haec non minus, quam illa, Atheis insignem usum praebet, cum per eam aeque, ac per priorem, argumentum a vaticiniis desumtum eludere queant. Proxime vero ad eam accedit sententia illorum, qui ad minimum naturalem dispositionem homini ad vaticinandum tribuunt, quam & calculo suo adprobat BENEDICTUS DE SPINOZA. Hominis namque temperamentum non tantum plurimum valere, contendit, ad prophetiam generatim consideratam, sed & pro ratione temperamenti variare prophetias. (113) *Nempe, si propheta*, inquit, *erat hilaris, ei revelebantur victoriae, pax, & quae porro homines ad laetitiam movent, tales enim similia saepius imaginari solent. Si contra tristis erat, bella, supplicia, & omnia mala ei revelabantur. Et sic, prout Propheta erat misericors, blandus, iracundus, eatenus magis aptus erat ad has, quam ad illas revelationes;* quod exemplis etiam quibusdam, cumprimis Elisaei, qui musica ad vaticinandum excitari voluit, II. *reg.* III. 15. comprobare annititur, in *tract. theolog. polit. cap.* II. *pag.* 18. Immo imaginatio apud SPINOZAM in vaticiniis utramque facit paginam, ut dubitandum non sit, quin vaticinia pro mero imaginationis effectu habuerit. Hinc & eum, qui imaginatione non excellit, ad vaticinandum minime aptum esse, contendit, etsi ceteroquin mortalium sit sapientissimus. *Prophetas non fuisse perfectiore mente praeditos*, diserte pronuntiat, *sed quidem potentia vividius imaginandi*, idque Scripturae narrationes abunde docere putat. *De Salomone enim* (ita pergit) *constat, eum quidem sapientia, sed non dono prophetico, ceteros excelluisse. Prudentissimi etiam illi, Heman, Darda, Kalchol, Prophetae non fuerunt, & contra homines rustici, & extra omnem disciplinam, immo mulierculae etiam, ut Hagar, ancilla Abrahami, dono Prophetico fuerunt praeditae. Quod etiam cum experientia & ratione convenit. Nam, qui maxime imaginatione pollent, minus apti sunt ad res pure intelligendum &c. loc. cit. pag.* 15. (114) Praeluserunt quodammodo hac in re Spinozae nonnulli ex gentis Ebraeae docto-

doctoribus, immo ipse MOSES MAIMONIDES, in *moreh neuochim part.* II. *cap.* XXXIII. XXXVI. & XXXVII. dispositionem quandam naturalem in homine, ad recipiendum Prophetiae donum, requirentes, a quibus tamen non sine ratione dissentit R. IS. ABARBANEL, ad I. *reg.* III. *fol.* 110. *col.* 4. (115) Nemo autem majori conatu, ampliorique eruditionis instructus adparatu hoc egit, quam PETRUS PETITUS, ab AMMONIO equidem aliisque, qui animam per se facultate futura praenoscendi instructam autumant, dissentiens, dispositionem tamen quandam naturalem ad indicationem futurorum, a Deo recipiendam, ei vindicans; de *Sybilla libr.* I. *cap.* IX. Sententiam ejus, itemque AMMONII, una cum rationibus, quibus uterque suam confirmare annisus est, exhibui, simulque confutavi, in dissertatione; *an naturali homines polleant vaticinandi facultate*, Halae Saxonum anno M DC XCIX habita; ut adeo, plura hac de re addere, operae non ducam esse pretium. (116) Quemadmodum autem Spinoza & reliqui, qui aut naturalem vim vaticinandi, aut saltem dispositionem naturalem ad prophetiam homini tribuunt, Stoicorum & Peripateticorum incrustarunt sententiam, ita ad Epicuraeos rursus accedunt, qui recentiore aetate oracula Gentilium, meris Sacerdotum fraudibus ac imposturis tribuenda, censuerunt, daemonis operationibus nullum prorsus locum relinquentes. Haud ultimum inter eos locum tenet ANTONIUS VAN DALE, de *oraculorum ethnicorum origine atque auctoribus*, itemque in dissertatione, de *divinationibus Judaeorum idololatricis*, aliisque in locis. Hujus exemplum secutus est, & vestigia pressit vir doctissimus FONTENELLIUS, in *historia oraculorum*, Gallice conscripta, omnes oraculorum praedictiones pro meris itidem imposturis habens. Utrumque refutavit Jesuita doctissimus P. BALTUS, dans la *reponse a l'histoire des oracles* de *Mr. de Fontenelle* Argentinae M DC CVII. Rectissima illi incedunt via, qui, multas intercessisse sacerdotum fraudes ac imposturas, fatentur; sed tamen quaedam ad daemonem omnino referenda esse, agnoscunt, ut auctor *des remarques sur le demelé qui est entre Mr. de Fontenelle & l'auteur de la reponse a l'histoire des oracles*; vid. JOANNIS CLERICI *biblioth. chois. tom.* III. *artic.* II. *pag.* 180. conferenda & quae diximus, in *histor. eccles. vet. testam. period.* II. *sect.* I. ad §. XXXVI. *pag.* 788. Ex hactenus dictis fundamenta etiam eorum, qui vaticinia, ceu argumenta, quibus Numinis existentia probari queat, admittere nolunt, facile intelliguntur. (117) Ex parte Epicuraeorum sunt: Deum rerum humanarum nullam gerere curam; nullos dari spiritus, qui futura hominibus revelare queant; quicquid de praedictionibus, oraculis, vaticiniis, dicitur, inter aniles fabulas, figmenta, aut imposturas hominum, esse referendum; non posse etiam praedictionem futurorum contingentium conciliari cum libertate hominum, &c. Ex parte Stoicorum, eorumque, qui cum illis faciunt, illud praecipuum est, exempla pro-

 stare

ſtare vaticiniorum, quorum cauſa cum nec ad Deum, nec ad genium quendam referri queat, nihil amplius ſupereſſe, quam ut naturalis vaticinandi facultas hominibus tribuatur.

(112) *Licet plurimi fuerint inter Gentiles, qui Diis ſuis futurorum praeſcientiam adjudicarent; licet fortaſſis exempla praedictionum apud eos exſtent, quae cognitionem humanâ majorem ſpirare videntur; attamen cum pleraeque earum erant ſubleſtae fidei, & mille fraudes Sacerdotum, Augurum, Haruſpicum in oraculis, praedictionibus, ominibus detegebantur a perſpicacioribus, qui ſuperſtitione puerili non penitus a rectae rationis tramite abducebantur, non mirum, quod eorum plurimi, ad alteram partem prolapſi, nec juſtum tenere medium ſcientes, omnem praeſcientiam aut negaverint, aut revocaverint in dubium. Equidem praeſcientia arctiſſime eſt copulata. cum perfectiſſima Dei natura, quemadmodum in ſeqq. patebit; verum exſpectari non poterat a Gentilibus, Revelationis lumine non colluſtratis, ut ſaniores foverent de divinis virtutibus conceptus, quam plurimi inter illos, qui, & naturali & ſupranaturali luce gaudentes, praeſcientiam rerum contingentium & a libera hominis determinatione pendentium, Deo adjudicare recuſant, absque eo, quod ſine injuria numerentur inter Atheos, vel inter illorum dogmatum fautores, quae ad Atheismum ducunt. Magis igitur hic in cenſum veniunt illi, qui, Chriſtianam Religionem impugnaturi, Prophetias & dona Prophetica inter fabulas referunt, quos refutabit Cl. Auctor Cap. VII. §. 4.*

(113) *Pro ratione temperamenti non variant Prophetiae, ſed ſtylus variat, quo Prophetia eſt conſcripta. Ingens ſane eſt differentia inter cultiſſimum* Jeſaiae *ſtylum, & inter ſimplicem illum* Amoſi: *in illo conſpiciendum ſeſe praebet homo literatus, Regi ab actis, Aulicus, inter honoratos cenſendus; in* Amoſi *ſtylo veſtigia reperiuntur ſcriptoris humilioris, nec illuſtri proſapiâ, nec literarum cultu ſeſe commendantis. Divina providentia miracula ſine neceſſitate non multiplicavit, ſed naturales ingenii dotes & conditionum diverſitatem in ſuis Miniſtris ſapientiſſime direxit, ut futurorum temporum fata vario, ſed ubique decenti ſtylo praenuntiarent; ſic verba* Spinoſae *in Tract. Theol. Polit. C. 2. pag. 18. in ſe conſiderata nihil abſurdi continent, ibi dicit:* Si Propheta erat elegans, ſtylo etiam eleganti Dei mentem percipiebat: *verum mox ſeſe prodit venenum, quando addit:* ſin autem confuſus, confuſe. —— Denique variabat Prophetia pro diverſitate opinionum Prophetarum, *&c.*

(114) Salomonem *inter Prophetas referendum eſſe, negari nullo modo poteſt, non tantum propter* Canticum Canticorum, *in quo Eccleſiae fata depingi*

pingi voluerunt plurimi Theologi; verum etiam propter colloquia, quae cum ipso Deo habuit.

(115) *De nullis Prophetarum demonstrari potest, illos peculiarem habuisse dispositionem, aut temperamento melancholico, vel atrabiliari fuisse indutos; contrarium certe absque temeritate conjicere possumus ex Canticis, quibus inclaruerunt, atque futurorum temporum praenuntiarunt fata. Quantum vero a veritate aberraverit etiam heic loci* Spinosa, *Prophetias variasse pro temperamentorum varietate ex* Mose, Jesaia, Jeremia, Daniele, *&c. facile, si hujus loci esset, evincere liceret: audiamus tantum* Witsium *Miscell. Sacr. Tom.* I. *L.* I. *C.* 9. §. 16. Moses, omnium mortalium mitissimus, instinctu divini Spiritus dirissimas minas & horrenda carmina populo Israelitico intonavit. Jesaias aeque laeta, ac tristia fata cecinit. Jeremias ille moestus non minus felicem reditum ex captivitate Babylonica, quam captivitatem ipsam praedixit, *&c.*

(116) *Fuse hanc quaestionem pertractavit, &, more suo, eruditissime pacis amantissimus Theologus, Cl.* Witsius *in Miscell. Sacris Tom.* I. *Lib.* I. C. 8. *Nulla certe ratio alicujus momenti proferri potest pro sententia eorum, qui futurorum scientiam, seu vaticinandi facultatem homini naturalem esse statuunt; licet effectus causarum naturalium aliquando quadam saltem cum probabilitate, & quasi per conjecturam praevideri queat; licet homines rerum humanarum peritissimi ex consideratione eorum, quae antea in similibus circumstantiis acciderunt, vel etiam ex inclinationum, quas in aliis hominibus per experientiam detexerunt, contemplatione, quid forte, positis quibusdam conditionibus, accidet, praenunciare possint: si quis hoc appellare velit* vaticinandi facultatem, *de verbis non litigabo. Sic* Nepos *in vita Attici Cap.* 16. *inquit,* prudentiam esse quodammodo divinationem: non enim, *addit,* Cicero ea solum, quae vivo se acciderunt, futura praedixit, sed etiam, quae nunc usu veniunt, cecinit ut vates: *attamen longe aliud quid hic per* vaticinia *intelligere debemus, si eorum negatio, ad Atheismum duceret; praenuntiatio futurorum, quae contingentia sunt, quae pendent plerumque a libera determinatione hominum, quae pertinent ad fatorum inversionem, ad regnorum & rerum publicarum mutationem subitam & a prudentissimis mortalium non praevisam, est illa, quae heic loci in censum venit.*

(117) *Licet ex Vaticiniis directe magis Veritas Revelationis, in qua occurrunt, quam existentia Dei demonstretur, attamen, seposita tantisper veritate Revelationis, Ens aliquod* omniscium & omnipotens *existere debere constabit certissime, si demonstrari possit, Vaticinia perspicua, ambi-*

ambiguam interpretationem non admittentia, diu ante eventum esse prolata, eaque in omnibus circumstantiis eventui respondisse, etiamsi de talibus ageretur negotiis, quae humana sagacitate, longo rerum usu politâ, praesciri non possunt. Si haecce requisita adsint, praescientia certa *adesse debet in eo, qui vaticinia inspirat; debet adesse* potentia, *quae suo influxu operatur in causis liberis, quae omnia perrumpere obstacula valet, effectura ceteroquin, ut eventus non respondeat praedictioni.*

§. V.

Quod de vaticiniis rerumque fortuitarum praedictionibus diximus, idem & de Miraculis nobis asserendum venit. Cum enim non modo Christianae religionis veritas, sed & Numinis existentia valide ex iis demonstrari queat, Atheos ea admittere non posse, manifestum est. Unde simul, quod eorum negatio inter dogmata cum Atheismo conjuncta, aut ad eum ducentia, recte referatur, patet. *

* Per Miraculum, si proprie & accurate loqui velimus, nihil aliud intelligi potest, quam ejusmodi operatio, qua revera naturae leges, quibus totius hujus universi ordo & conservatio innititur, suspenduntur. Quemadmodum itaque solus Deus, tanquam naturae auctor, istas naturae leges constituit; ita solus etiam eas suspendere, adeoque & solus miracula edere potest. Perinde autem est, sive immediate hoc Deus faciat, sive mediate per alios homines. Moses namque aliique Prophetae, qui miracula ediderunt, non ex sua potentia, sed ex facultate a Deo illis concessa, hoc fecerunt. Qui ergo miracula admittit, Deum quoque eorum auctorem admittat, necesse est. Sunt equidem, qui ab Angelis etiam miracula edi posse existimant, cum non constet, annon Deus iis potestatem naturae ordinem mutandi, saltem aliquando hoc faciendi, concesserit. Ita praeter alios JOANNES CLERICUS, in *dissert. de miraculis*, tractatui ejus de *incredulitate*, addita *pag. 566. seqq.* Cumque Vir ille Doctus facile videat, Atheis hac ratione arma, quibus argumentum, quod pro veritate Christianae religionis a miraculis ducitur, enervare queant, suppeditari, inde ut se expediat, in omnem se versat partem. (118) Verum istis ambagibus nobis opus non est, qui soli Deo facultatem edendi miracula vindicamus. Quantumvis enim Spirituum finitorum seu Angelorum, tum bonorum, tum malorum, potentia multo major sit, quam hominum, nobis etiam adeo

certo

certo non constet, quibus ea limitibus circumscribatur, id tamen certum, leges, quibus totius naturae ordo innititur, ab iis mutari non posse, quippe quod solius Dei opus est. Per causarum equidem naturalium, & quidem occultarum, combinationem & directionem, efficere aliquid possunt, quod hominibus mirabile videatur; id vero nondum pro miraculo proprie sic dicto, habendum. Si excipias, incertum tamen ita & obscurum manere, quidnam pro miraculo, quid vero pro opere mirabili, quod hominum saltem, non autem Angelorum vires superet, sit habendum, ipsa exempla hocce tibi facile eximent dubium. Excitare homines mortuos, iisque vitam reddere; mare dividere, ut per ejus medium homines sicco pede transire queant; solis lunaeque cursum impedire, & quae his sunt similia, ita comparata sunt, ut coecum menteque destitutum esse oporteat, qui, vim ad haec requiri infinitam, non agnoscat. Si porro excipias, potuisse tamen Deum ejusmodi facultatem Angelis concedere, aeque ac eam quandoque hominibus concessit, nihil tamen obtines. Tum enim Angeli non propria, sed aliena virtute, hoc est Dei, talia perpetrant; adeoque firma manet assertio; miracula perpetrare solius Dei est; deinde probandum erit, Deum facultatem Angelis aliquando concessisse. Quamdiu dissentientes hoc firmiter solideque non demonstrant, tamdiu credendum, ipsum Deum absque ministerio Angeli miraculum perpetrasse. Accedit, quod, si aliquid hac exceptione obtinere vellent, statuendum illis esset, Angelis malis etiam hanc facultatem esse concessam; quod cum directe cum bonitate, sapientia, & justitia Dei pugnet, ne dignum quidem est, cujus refutationi immoremur. Cum ergo positis miraculis non possit non inde consequi, Deum existere, Athei omnem lapidem movent, ut probent, nec contigisse miracula, nec contingere potuisse. (119) A posteriori ut incipiamus, eo tendunt, quae BENEDICTUS DE SPINOZA hac de re disserit, qui in *tractatu theologico-polit. de libertate philosophandi cap. VI. pag. 67. seqq.* ex instituto de miraculis verba facit. Cuncta autem ad quatuor revocat capita: 1) *nihil contra naturam contingere, sed ipsam aeternum, fixum & immutabilem ordinem servare, & simul, quid per miraculum intelligendum sit;* 2) *Nos ex miraculis nec essentiam, nec existentiam, & consequenter nec providentiam Dei posse cognoscere, sed haec omnia longe melius percipi ex fixo, & immutabili naturae ordine;* 3) *Ex aliquot Scripturae exemplis se ostensurum, ipsam Scripturam per Dei decreta & volitiones, & consequenter per providentiam, nihil aliud intelligere, quam ipsum naturae ordinem, qui ex ejus aeternis legibus necessario sequitur;* 4) *denique, de modo miracula Scripturae interpretandi, & de iis, quae praecipue circa miraculorum narrationes notari debeant, se acturum.* Haec omnia copiosissime edisserit, sed ita, ut cum stultitia summam animi malignitatem luculentissime prodat. Nos id saltem observamus, primi capitis, unde

 reliqua

reliqua pendent, demonſtrationem eo redire, cum Deus & natura unum idemque ſint, ſequi, ſi Deus aliquid faceret contra naturae ordinem, facturum eum aliquid contra ſe ipſum, quod ſit ἀδύνατον. Qua in demonſtratione tamen Sophiſta ineptiſſimus petitionem principii committit: hoc enim probandum erat, perperamque ſupponitur, Deum & naturam unum idemque eſſe. PETRUS BAELIUS ex ipſis Spinozae principiis hanc ejus ſententiam refellere annititur, in *dictionar. hiſtor. critic. voc. Spinoza lit. N. pag.* 2781. quae tamen aliis dijudicanda relinquimus. Quemadmodum autem omnia, quae Spinoza hac de re diſſerit, ad fucum ſaltem incautis faciendum comparata ſunt, ita id vel maxime ex definitione miraculi, quam tradit, patet. *Ex his itaque*, inquit, *clariſſime ſequitur, nomen miraculi non niſi reſpective ad hominum opiniones poſſe intelligi, & nihil aliud ſignificare, quam opus, cujus cauſam naturalem exemplo alterius rei ſolitae explicare non poſſumus, vel ſaltem ipſe non poteſt, qui miraculum ſcribit aut narrat.* Ejusmodi vero miracula non ſunt miracula; adeoque hac definitione iterum nihil aliud homo impius agit, quam ut oſtendat, nulla eſſe miracula. Quae ſi in ſequentibus refutaverimus, corruet etiam ſua ſponte altera propoſitio, ex miraculis nec eſſentiam, nec exiſtentiam, nec providentiam Divinam, demonſtrari poſſe. De tertia & quarta propoſitione nihil addo, cum, quae ad utriusque demonſtrationem in medium adfert, nihil aliud, quam audaciſſimam imprudentiſſimamque Scripturae perverſionem contineant. Et ita illorum commemoravimus ſententiam, qui, miracula fieri poſſe, negant. Altera, Atheis itidem favens, illorum eſt, qui, miracula facta, inficiantur. His cum Scripturae ſtatim auctoritas opponi queat, nihil aliud ſupereſt, quam ut auſu impudentiſſimo eam in dubium vocent; aut illam ita interpretentur, ut, quae pro miraculis habentur, ita capiantur, ut nihil in iis, quod contra naturae ordinem ſit, deprehendatur. Prius utique Atheorum impudentiſſimi faciunt, ut in ſequentibus dicetur. Qui autem paulo cautius incedere volunt, poſterius agunt. Documento eſſe poſſunt, hiſtoria everſionis Sodomae, atque Gomorrhae; tranſitus Iſraelitarum per mare rubrum; (120) ſolis lunaeque ad Joſuae preces inhibitus curſus, aliaque, quae nonnulli ita explicare annituntur, ut nullum in his omnibus miraculum agnoſcas, uti paſſim a me in *hiſtoria Eccleſiaſtica veteris teſtamenti* obſervatum. Conferenda & quae ibi de miraculis in genere, ſpeciatim de miraculis Moſis dixi, ad *period. II. ſect. I. §. V. pag.* 511. *ſeqq.*

(118) *Pendet hujus controverſiae deciſio a definitione* Miraculi: *ſi definiamus Miraculum cum Cl.* Buddeo, *adfirmare licet, ſolum Deum veri nominis miracula patrare poſſe. Idem eſt veriſſimum, ſi Miraculum dicamus* opus potentiae divinae extraordinarium, quod non obtinuiſſet, ſi conſuetum naturae ordinem, ab ipſo Deo poſitum fuiſſet ſecuta, quod-

quodque suam rationem sufficientem non habet repositam in viribus rerum creatarum, sed unice in earum Creatore & Conservatore, Deo; *quae est Miraculi descriptio, quam ipse dedi in* Prim. lin. Theol. Nat. Theor. §. 105. *Imo definitio* Werensfelsii *Opusc. Tom.* 1. *pag.* 93. *idem innuit, secundum quam Miraculum est* opus potentiae divinae extraordinarium, in sensus incurrens, admirationemque videntium excitans. *Conf.* Turretinus *Diss. Theol. Vol.* 2. *Diss.* 7. *p.* 174. seqq. & Hollman *in Comment. de Miraculis*, §. 14.

Verum si Miraculum definiamus cum Clarkio (*de l'existence & des attributs de Dieu Tom. II. Chap.* 19. *pag.* 373,) *quod sit effectus consueto naturae ordini contrarius, a natura quadam intelligente, quae viribus hominem superat, extra ordinem productus* (un effet contraire au cours, ou a l'ordre accoutumé de la Nature, produit par l'intervention extraordinaire de quelque Etre Intelligent superieur a l'homme) *omnino concedendum, Miracula posse patrari ab entibus finitis. Si vero cum* Cudwortho *Syst. Intell. pag.* 868. seqq. & Moshemio *ad illum locum pag.* 870. *statuamus, malos genios potestatem habere talia faciendi opera, quae summam hominum admirationem excitant, speciemque ac formam miraculorum habent, multa quidem explicari possunt, quae in Sacra Historia occurrunt; veruntamen sic criteria requiruntur, ex quibus dignoscere licet, quaenam opera vera sint miracula, quaenam speciem formamque miraculorum habeant; cum id inter se habeant commune, quod summam hominum admirationem excitent, de quibus criteriis videri possunt* Hollman *l. c.* §. 22. seqq Turretin *l. c. pag.* 334. seqq. la Defense de la Religion *Tom. V. pag.* 148. seqq. *conf.* Werenfels *Opusc. Tom. I. pag.* 97. seqq. Forsters Abhandlung uber die Wunderwerke §. 56. seqq.

(119) *Si admittamus Definitionem Cl.* Werenfelsii, *vel etiam meam, certissimum est, Miracula veri nominis non posse admitti ab Atheis; neque demonstratione hoc indiget, cum agere supponat esse: si Miraculum sit opus potentiae Divinae, etiam Ens existit infinitum, necessarium, cui illa potentia competit. Verum ex Definitione* Buddei *absque ulteriori deductione non liquet, positis miraculis, necessario sequi, Deum existere; cum quaeri possit,* an suspensio naturae legum, quibus totius hujus universi ordo & conservatio innititur, sit operatio, quae Auctorem requirit Ens necessarium, liberum, ab ipso universo distinctum? *ad quam quaestionem* Spinosa *negando responderet; & respondere hac ratione posset juxta absurdissimum suum systema, dicam, an fabularum farraginem; cum negaret, suspensionem aliquam legum naturalium hic obtinere, quoniam etiam phaenomena illa, quae* mira-

cu-

culosa *dicuntur, ex natura rerum earumque fixo ordine fluant, licet nos determinare non possimus modum, quo contingunt; nec mirum, cum undique nostram experiamur ignorantiam, quotiescumque phaenomena* naturalia *explicare, sive haec ex constantibus naturae legibus derivare conamur. Veruntamen sic non* ex definitione *peteretur ratiocinium, sed rejiceretur ipsa definitio, &, uti Cl. Auctor recte notat, petitio principii manifestissima committeretur. Constabit in sequentibus, ipsas Leges naturales a Deo solo esse latas, & non nisi ab ente aeterno & necessario, sed libero, proficisci potuisse; adeoque, earum suspensionem invito illo Ente accidere, sine summa absurditate statui nequit. Sic igitur definitio ipsa tum demum solidis fundamentis nititur, quando aliis argumentis Dei existentia est demonstrata; non vero momentosissima haecce veritas satis recte probatur ex Miraculis; nec unquam eo stupiditatis deveniet Atheus, ut qualemcunque definitionem Miraculi admittat, sive illam* Buddei, *sive* Werenfelsii, *&c. nisi sensu Spinosiano intelligatur.*

(120) *Notum est, inter veteres ac recentiores etiam Christianos non defuisse, qui existimarunt, Mosen cum exercitu Israëlitico per Mare Rubrum, vel potius per ejus litora transiisse, cum a Pharaonis facie fugeret,* recedente Mari, *cujus tempus Moses ad calculum revocaverat, qui Aegyptiis erat incognitus. Vid.* de Algemeene Historie *2de Deel pag.* 610. seqq. *Verum quam absurda, quam narrationi Mosaïcae, ac constitutioni Maris Rubri adversa sit haecce ad extenuandum, vel tollendum miraculum excogitata explicatio, docuerunt eruditissimi istius Historiae Scriptores. Conf. omnino la Chronologie de l'Histoire Sainte par* Des-Vignoles *Tom. I. p.* 634. seqq *praesertim pag.* 643-675. *An autem Vir egregius rem acu ubique tetigerit, nunc non disquiram. Vid. etiam* Shaw *Voyages Tom.* 2. *pag.* 31. seq. *& Princip. Relig. Nat. & Revel. Tom.* 2. *pag.* 86. seqq.

§. VI.

Idem & de veritate Christianae religionis dicendum, quam impugnare, & omnibus, quibus possunt, modis vocare in dubium, proprium Atheis, iisque valde solenne est. Viamque adeo ad Atheismum muniunt, qui idem quacunque ratione faciunt, etsi pro Atheis haberi nolint, aut in Naturalistarum referri classem malint. *

* Cum nullam omnino religionem Athei admittant, cumprimis tamen ad Chriſtianam impugnandam, aut convitiis proſcindendam, omnes ingenii nervos intendunt; quod JUL. CAES. VANINI, aliorumque, de quibus *cap. I.* diximus, exemplo comprobari poteſt. Conſpirant hac in re cum Atheis Naturaliſtae, nullam, quae revelatione quadam nitatur, religionem admittentes; adeoque arma Atheis, quibus Chriſtianam religionem impugnent, ſuppeditando, viam ſimul ad Atheismum munientes. Exempli loco eſſe poſſunt, quae *Cap.* I. §. XXVII. de EDUARDO HERBERTO DE CHERBURI diximus. (121) Sed & Latitudinarii, quos vocant, ſi modo a Naturaliſtis eos diſtinguere fas eſt, & omnes illi, qui nulla in religione Chriſtiana agnoſcere myſteria volunt, in eandem referendi ſunt claſſem, & in hocce certamine cum Atheis paria faciunt. Dixi de ejusmodi hominibus, in *praefatione parergis hiſtorico-theologicis* praemiſſa, *pag.* 55. *ſeqq.* Omnibus autem hiſce exemplum praeiverunt Gentiles veteres, Chriſtianam Religionem non tam impugnantes, quam convitiis proſcindentes. Quas quidem illorum criminationes junctim exhibet atque confutat B. CHRITIANUS KORTHOLTUS in *pagano obtrectatore*. Praecipua etiam, quae Gentilium philoſophi, quos inter cum JULIANO imperatore, agmen ducunt CELSUS atque PORPHYRIUS, Chriſtianae religioni objecerunt, attigi & ita comparata eſſe oſtendi, ut veritatem Chriſtianae religionis confirment potius, in *diſſertatione de veritate Chriſtianae religionis, philoſophorum Gentilium obtrectationibus confirmata*, quae extat in *ſyntagmate diſſertationum theologicarum pag.* 453. *ſeqq.* Breviſſima autem compendioſiſſimaque ad veritatem Chriſtianae religionis labefactandam Atheis plerisque, & qui cum iis faciunt, videtur via, ſi ipſam Scripturae ſacrae veritatem, divinamque auctoritatem, in dubium vocent. Hac de re autem cum in ſequentibus plura dicenda ſint, unum illud ſaltem obſervo, videri eos interdum Scripturae teſtimonium admittere, ſed ita iſtud interpretari, ut fundamenta religionis Chriſtianae, quantum in ipſis eſt, penitus convellant. Luculentiſſimum hujus rei ſpecimen ſuppeditat BENEDICTUS DE SPINOZA, homo ex fraudibus & fallaciis totus compoſitus. Incarnationem enim Chriſti magnum τῆς εὐσεβείας μυστήριον ita explicat, ut penitus tollat, & ita quoque Scripturam ſacram, quam hoc ipſo admittere videtur, interpretandam cenſet. Rogatus ab HENRICO OLDENBURGIO, ut de *Jeſu Chriſto mundi redemtore, & unico hominum mediatore, deque ejus incarnatione & ſatisfactione* ſententiam ſuam explicaret, *epiſt.* XIX. ipſe ita reſpondet: *Ut de tertio etiam capite mentem meam clarius aperiam, dico, ad ſalutem non eſſe omnino neceſſe, Chriſtum ſecundum carnem noſcere* (ita homo callidiſſimus phraſi Paulina, in alienum eam detorquendo ſenſum, abutitur) *ſed de aeterno illo Filio Dei, hoc eſt, Dei aeterna ſapientia, quae ſeſe in omnibus rebus, & maxime in mente huma-*

 na,

na, & omnium maxime in Christo Jesu manifestavit, longe aliter sentiendum. Nam nemo absque hac ad statum beatitudinis potest pervenire, utpote quae sola docet, quid verum & falsum, bonum & malum sit. Et quia, uti dixi, haec sapientia per Jesum Christum maxime manifestata fuit, ideo ejus Discipuli eandem, quatenus ab ipso ipsis fuit revelata, praedicaverunt, seseque Spiritu illo Christi supra reliquos gloriari posse, ostenderunt. Ceterum, quod quaedam Ecclesiae his addunt, quod Deus naturam humanam assumserit, monui expresse, me, quid dicant, nescire; immo ut verum fatear, non minus absurde mihi loqui videntur, quam si quis mihi diceret, quod circulus naturam quadrati induerit; epist. XXI. pag. 450. Hic aperte incarnationem Christi, seu, quod Deus humanam naturam assumserit, negat, seque *nescire* fatetur, *quid dicant*, qui istud asserunt; immo non minus absurdum hoc esse putat, quam si quis dicat, *circulum naturam quadrati induisse.* Quae autem Scriptura de Christo dicit, ἀλληγορικῶς interpretanda censet, de sapientia divina per Christum, ceu merum hominem manifestata, ut scilicet secundum rationis ductum quis sciat, quid verum, quid falsum, quid bonum, quidve malum sit. Eodem spectant, quae *epist. XXIII. pag.* 455. hac de re in medium profert. *Loca*, inquit, *Euangelii Joannis & Epistolae ad Ebraeos iis, quae dixi, repugnare credis, quia linguarum orientalium phrases Europaeis loquendi modis metiris, & quamvis Joannes suum Euangelium graece scripserit, hebraizat tamen. Quicquid sit, an credis, quando scriptura ait, quod Deus in nube sese manifestaverit, aut quod in Tabernaculo, vel in Templo habitaverit, quod ipse Deus naturam nubis, Tabernaculi & Templi assumserit? atqui hoc summum est, quod Christus de se ipso dixit, se scilicet templum Dei esse, nimirum; quia, ut in meis praecedentibus dixi, Deus sese maxime in Christo manifestavit, quod Joannes, ut efficacius exprimeret, dixit, verbum factum esse carnem.* Consentiunt &, quae in *tractatu Theologico-politico. c. I. p.* 7. disserit. *Non credo*, inquit, *ullum alium ad tantam perfectionem supra alios pervenisse, praeter Christum; cui Dei placita, quae homines ad salutem ducant, sine verbis, & visionibus, sed immediate revelata sunt, adeo, ut Deus per mentem Christi sese Apostolis manifestaverit, ut olim Mosi, mediante voce aërea. Et ideo vox Christi, sicuti illa, quam Moses audiebat, vox Dei vocari potest. Et hoc sensu etiam dicere possumus, sapientiam Dei, hoc est, sapientiam, quae supra humanam est, naturam humanam in Christo assumsisse, & Christum viam salutis fuisse.* Nimirum, etsi impostor turpissimus incarnationem τῦ λόγυ diserte neget, Christumque adeo pro mero homine habeat, qui per praecepta de virtutibus sapientiam Dei hominibus manifestaverit (quod iterum ex mente ipsius est intelligendum) nihilosecius magnifice admodum sentire de Christo, & multum in negotio salutis illi tribuere vult videri. Ita callide caliginem imperitorum animis offundit. Atque hinc, quae

quae ejus de *resurrectione Christi*, quae cum ejus incarnatione praecipuum Christianae religionis fundamentum constituit, sententia fuerit, haud difficulter colligitur, de qua *epist. XXIII. pag.* 453. agit. Nimirum, cum Christus *non senatui, nec Pilato, nec cuiquam infidelium, sed Sanctis tantum adparuerit*, colligit inde, resurrectionem ejus, *spiritualiter*, & ad captum fidelium esse exponendam. Cumque HENRICUS OLDENBURGIUS objiceret, circumstantias resurrectionis Christi tam luculenter ab Euangelistis esse descriptas, ut non possit non literaliter intelligi, *epist. XXIV. pag.* 456. respondet SPINOZA: *Ceterum passionem, mortem & sepulturam tecum litteraliter accipio, ejus autem resurrectionem allegorice. Fateor quidem, hanc etiam ab Euangelistis iis narrari circumstantiis, ut negare non possimus, ipsos Euangelistas credidisse, Christi corpus resurrexisse, & ad coelum adscendisse, ut ad Dei dextram sederet, & quod ab infidelibus etiam potuisset videri, si una in iis locis adfuissent, in quibus ipse Christus Discipulis adparuit, in quo tamen salva Euangelii doctrina, potuerunt decipi, ut aliis etiam Prophetis contigit, &c.* Non tantum itaque aperte resurrectionem Christi negat, sed eo usque impudentiae progreditur, ut Euangelistas, tot ejus circumstantias commemorantes, decipi potuisse, contendat. Nos impia haecce deliria suo loco refutabimus: nunc illud saltem observamus, iisdem fere rationibus Spinozam Christi resurrectionem impugnare, quibus olim id fecit CELSUS, Epicuraeus, juratus Christiani nominis hostis, ut bene observatum B. CHRISTIANO KORTHOLTO, de *tribus impostoribus sect. III.* §. *XXXII. pag.* 109. Pari ratione idem impostor de aliis doctrinae Christianae capitibus subinde loquitur, ut, si verba spectes, ea adprobare videatur, sin sensum, ea penitus tollat atque evertat. Sed hoc ei cum Naturalistis, Latitudinariis, aliisque Rationalistis, quos vocant, fere commune est. Atque hi quidem ut occultius hoc pacto incedunt, fucum ut faciant incautis, ita alii levato velamine impietatem produnt, qui aperte & citra ambages Christianae religionis dogmata pro commentis meris atque fabulis habent, aut omnino omnes religionum, adeoque & Christianae, conditores in impostorum numerum referunt. Fuerunt nonnulli, qui speciatim ita de Mose sentirent, quos inter & JORDANUM BRUNUM atque NICOLAUM MACHIAVELLUM referendos esse, jam a me observatum, in *histor. ecclef. vet. testam.* ad *period. II. sect. I.* §. *XI. pag.* 533. *seqq.* Jungendus his JOANNES TOLANDUS, impietatis palmam nemini temere concedens. Cum enim de legumlatoribus dixisset, eos colloquia cum diis obtentui sumsisse, adeoque fraudibus atque mendaciis auctoritatem legibus suis conciliasse, subjicit: *Ita Delphis Lycurgus ab Apolline, & Minos a Iove in antro Dictaeo sua omnia didicisse, comminiscebantur, ut homines, nempe divina auctoritate devincti, legibus ab ipsis prolatis libentius obedirent. His atque similibus Moysen,*

Ebraeorum nomotheten aſſimilare non addubitat Diodorus Siculus; ſed in hac Moyſis cum aliis comparatione, multo adhuc copioſior eſt Strabo geographus; adeiſidaem. pag. 8. Etſi vero ex mente DIODORI atque STRABONIS hoc dicere videatur, quia tamen hoc non refellit, ſed talia ſubinde adfert, ex quibus conſtat, STRABONIS auctoritatem ei pluris eſſe, quam Scripturam Sacram; ipſius quoque eandem hanc eſſe ſententiam, prorſus dubitari nequit. Praecipua vero capita, quibus religionis Chriſtianae veritas oppugnatur (ſi nunc ſeponas veritatem Scripturae, de qua deinceps) eo fere redeunt; falſa eſſe, nec ullo modo admittenda, quae ratio capere nequit; adeoque myſteria quaevis ex religione eliminanda; hinc & Scripturam ita interpretandam, ne in ea myſteria deprehendantur, aut prorſus rejiciendam; religiones omnes, quae revelatione nituntur, adeoque & Moſaicam pariter, ac Chriſtianam, pro hominum callidorum commentis eſſe habendas; & quae reliqua ſunt ejusdem generis.

(121) *Vix aliquem ex Naturaliſtis eligere potuiſſet Auctor, minori jure referendum inter illos, qui viam ad Atheismum ſternere ſunt conati, quam* Herbertum de Cherbury; *ipſa* Kortholti *verba a* Buddeo *allata id manifeſto docent. Attamen ſi plerorumque Naturaliſtarum ſcripta examinemus, deprehendimus, ea teterrimum odium ſpirare contra Religionem Chriſtianam; quam tamen cum rationis placitis convenientiſſimam atque adeo* rationalem *eſſe, demonſtratu eſt facillimum. Negant Revelationis veritatem divinamque originem; rejiciunt omnia fidei myſteria, tanquam inutilia & abſurda; miracula tanquam conficta; vaticinia tanquam non impleta, & ex melancholico temperamento nata, omnium riſui exponere ſatagunt. Dum autem acriter invehuntur in veritates revelatas, averſionem ſuam a legibus Chriſtianae Religionis, cum Theologiae Naturalis placitis amice conſpirantibus, iisdemque robur ac lumen conciliantibus, ubique produnt; in iſtorum rigidiorum officiorum abnegatione adverſus conſcientiae accuſantis verbera lacrymabile quaerentes medicamen; atque adeo, ſepoſita omni Numinis veneratione, impugnant eâ inconſiderantia veritates revelatas, ut etiam in ipſorum animis nullam ſupereſſe reverentiam erga illas veritates, quae de Deo per rationis lumen innoteſcere poſſunt, omnibus emunctioris naſi hominibus pateſcat.*

§. VII.

Tandem & Scripturae ſacrae laceſſere veritatem, Divinamque impugnare auctoritatem, Atheorum proprium eſt. Hac enim

enim labefactata, cetera facile, quae cupiunt, se consequi posse, existimant. Unde & ea omnia, quae cum Divina Scripturae sacrae auctoritate consistere nequeunt, vel eam quacunque demum ratione convellunt, aut dubiam reddere possunt, inter dogmata ad Atheismum ducentia merito a nobis referuntur. * (122)

* Exempla hic Atheis atque Naturalistis itidem praeiverunt Gentilium philosophi, qui se Christianae religionis hostes professi sunt, interque eos speciatim PORPHYRIUS. Ex operis enim, quod contra Christianos scripsit, fragmentis, quae hinc inde apud EUSEBIUM, HIERONYMUM, aliosque, occurrunt, colligere licet, id eum praecipue egisse, ut Scripturae sacrae auctoritatem penitus subverteret. Cujus rei specimina quaedam exhibui, in *dissertat. de Christianae religionis veritate, philosophorum Gentilium obtrectationibus confirmata*, §. *IX.* in *syntagm. dissertation. theologicar. pag.* 489. Inter recentiores Atheos agmen hic iterum ducit BENEDICTUS ille DE SPINOZA, cujus *tractatus theologico-politicus de libertate philosophandi* totus eo comparatus est, ut auctoritatem Divinam Scripturae sacrae prosternat, pedibusque conculcet. Prophetiam, futurorumque praedictionem, eum pro mera imaginatione habuisse, jam antea ad §. *I. ex tractat. theol. polit. cap. II. pag.* 15. observavimus. Prophetae itaque revera ei fuere homines fanatici, qui multa vana, stolida, ridicula mente conceperunt; quod luculenter etiam patet ex iis, quae *pag.* 18. *&* 19. hac de re disserit. Nec rectius de Apostolis, immo, quae maxima blasphemia est, de ipso Christo servatore, sentit. Hunc enim *suas rationes opinionibus & principiis uniuscujusque accommodasse*, diserte pronuntiat, & exemplis quoque comprobare annititur, *l. c. pag.* 29. De Apostolis vero & Euangelistis jam antea ad § *praeced.* observavimus, quod dixerit, eos in circumstantiis de resurrectione Christi fuisse deceptos. Pertinet huc etiam, quod *cap. XI. pag.* 139. scribit: *Longas deductiones & argumentationes, quales in Epistola ad Romanos reperiuntur, nullo modo ex revelatione supernaturali scriptas fuisse, concedo;* item: *tam modi loquendi, quam disserendi, Apostolorum in Epistolis clarissime indicant, eosdem non ex revelatione & divino mandato, sed tantum ex ipsorum naturali judicio scriptas fuisse, & nihil continere, praeter fraternas monitiones mixtas urbanitate; a qua sane*, inquit, *Prophetica auctoritas plane abhorret.* Immo Apostolos Christianam religionem diversis superstruxisse fundamentis, *pag.* 143. docet, unde tot contentiones in Ecclesia, totque orta sint schismata. Atque ita cum de ipsis Scriptoribus Sacris sentiat, mirum non est,

 quod,

quod, in Sacro codice, multa occurrere falſa, fabuloſa ἀσύστατα, & ἀσύμφωνα, ſibi aliisque perſuadere conetur, *cap.* IX. X. XV. Neve quicquam, quod ad auctoritatem ejus penitus labefactandam pertinet, praetermiſiſſe videatur, libros, quod hodie in eo habemus, nequaquam a Moſe & Prophetis, ſed multis demum ſeculis poſt auctorum, quorum nomina prae ſe ferunt, mortem, conſcriptos eſſe, contendit, *cap.* VIII. *ſeqq.* Quae THOMAE HOBBESII de Scriptura ſacra, de divina ejus auctoritate, fuerit ſententia, jam ſupra dictum ad *cap.* I. §. XXVII. Paria cum utroque, & Spinoza & Hobbeſio, facit lepidiſſimus Praeadamitarum conditor ISAACUS PEYRERIUS. Fabulae enim ſuae praeadamiticae ut ſpeciem quandam conciliaret, & eo facilius, quae ei obſtant, removeret, Scripturae elevare auctoritatem nullus dubitavit. *Opinio haec*, inquit, *ſemper mihi ſedit, quam inconcuſſe & firmiter teneo; bibliis ſacris contineri, quicquid ſcire hominibus conceſſit Deus, vel de origine mundi, vel de hiſtoria ſacra, vel de Prophetiis, vel de myſteriis Divinis, vel de ſalute noſtra. Quae ad ſalutem noſtram unice ſpectant, paucis conſtant. Et in illis tantum curae, tantum diligentiae, & tantum lucis adhibuit Spiritus Sanctus, quantum captui humano convenit. Pluribus mandata ſunt, quae de aliis tractant. Et de illis aperiam, quod omnes ſentiunt, quodque plerique muſſant dicere; TANTA ſcilicet, INCURIA, ET CALIGINE TANTA SCRIPTA FUISSE, UT NIHIL PLERUMQUE INTRICATIUS, NIHIL OBSCURIUS LEGI POSSIT.* Quae profani hominis aſſertio, ut impia prorſus eſt, & tantum non blaſphema, ita non melior eſt ratio, qua eam confirmare annititur; *ſyſtemat. praeadm. part.* I. *libr.* IV. *cap.* I. *pag.* 274. Progreditur deinde ulterius, & aeque ac Spinoza, & Hobbeſius, libros Scripturae ſacrae ab auctoribus, quibus hodie tribuuntur, ſcriptos eſſe negat. *At enim vero*, inquit, *quis aſſerere audeat, divinorum auctorum autographa ipſa, perplexe quamvis & aenigmatice ab illis ſcripta, ad nos eadem transmiſſa, qualia dictante Deo ipſo voluminibus ſacris commiſſa ſunt? loc. cit.* Speciatim vero *pag.* 173. de libris Moſis diſerte negat, eos pro ipſius Moſis apographo habendos, idque variis rationibus probare annititur. (123) Jungendus denique his eſt RICARDUS SIMON, qui, dum Spinozam ſe refutare contendit, commento prorſus inficeto de ſcribis publicis, ex quorum commentariis libri ſacri compilati ſint, aliisque ejusdem generis aſſertis, in *hiſtor. crit. vet. teſtam. libr.* I. *cap.* II. & V. alibique, obviis, id effecit, ut in Divinam Scripturae ſacrae auctoritatem non minus, quam Spinoza ipſe, injurius fuiſſe videatur; quod pariter & de illis dicendum, qui ſub nomine *Theologorum quorundam Hollandiae*, eum refutare aggreſſi ſunt. Sed de hiſce, ut & reliquis, quorum hypotheſes cum Divina Scripturae ſacrae auctoritate non ſatis conveniunt, alibi commodior erit dicendi locus. Praecipua autem, qui-

quibus Scripturae ſacrae impugnatur auctoritas, fundamenta eo redeunt, multa in ea occurrere, quae aut rectae rationi, aut veritati hiſtoriae repugnent, ſaepius eam ſibi contradicere, aut talia referre, quae indigna ſint divina majeſtate, & quae reliqua ſunt ejusdem generis, ad quae quid reſpondendum ſit, ſuo loco oſtendemus. (124)

(122) *Qui veritatem Religionis Chriſtianae negant, etiam Scripturae ſacrae veritatem divinamque auctoritatem impugnant. Equidem Judaei, Chriſtianae Religionis infenſiſſimi hoſtes, agnoſcunt divinam originem Scriptorum, quae Vetus Teſtamentum componunt: verum per* Scripturam ſacram *hic intelligere debemus omnes, tum Veteris, tum Novi Teſtamenti, libros, qui, uti a plurimis Theologis eſt demonſtratum, a ſe invicem divelli nequeunt. Si indicia proferri poſſent ſuadentia, Novi Teſtamenti libros eandem non habere originem, quae libris Veteris Teſtamenti eſt adjudicanda, actum eſt de Religione Chriſtiana: & viciſſim, ſi Chriſtiana Religio falſa eſt atque ſuppoſititia, ſi nullo argumento nitatur (uti Anonymus Anglus in Scripto, cui titulus* Chriſtianity not. founded on Argument, *evincere ſtuduit, de quo copioſe & ſolide diſſeruit Vener.* Leland *View of Deiſtical Writers Epiſt. X.) auctoritas librorum Veteris & Novi Teſtamenti, quibus Religio illa eſt inaedificata, nulla penitus eſt habenda. Qualis igitur ſit nexus inter horum Naturaliſtarum dogmata atque inter Atheismum, ex obſervatione §. VI. adjecta conſtare poteſt; & licet hicce nexus non neceſſario ex natura utriusque erroris ſequatur, negare tamen non licet, plurimos ex Naturaliſtis, ſeu Revelationis Divinae Oppugnatoribus ad Atheismum fuiſſe proclives, debita ſaltem reverentiâ Deum non fuiſſe proſecutos.*

(123) *Dicit enim l. c. pag. m.* 185. Neſcio vero, quo Auctore ſatis idoneo compertum ſit, Pentateuchum Moſis ipſius fuiſſe autographum; vulgo dicitur, ſed non omnibus probatur. Hae cauſae me movent, quare libros quinque illos non Moſis archetypos, ſed excerptos & exſcriptos ab alio credam. In primis, quod in illis legitur Moſes mortuus, *&c.*

(124) *Catalogus eorum, qui vel aperte, vel clam Sacrarum Literarum auctoritatem deridere viſi ſint, vehementer augeri poſſet, ſi egregium & ſaepius laudatum opus Ven.* Lelandi *conſulamus. Varii etiam ab eruditiſſimis* Compendii Hiſtoriae Eccleſiaſticae *Compilatoribus Gothanis L. III. Cap. X. atro carbone fuere notati tanquam Irriſores Scripturae ſacrae, qui tamen omnes hujus furfuris fortaſſis non ſunt habendi, quales ſunt* Joſephus Antonius Gonſales de Salas *de duplici*

viven-

viventium Terra; Thomas Burnet *in Theoria Telluris Sacra & in Archaeologiis Philosophicis;* Thomas Brown *in Religione Medici;* Bernardus Connor *in Euangelio Medici*, Hadrianus Beverlandus *de Peccato originali;* Balthasar Bekker *in Mundo fascinato; qui quidem vel in crasso errore fuerunt versati, vel fabulas scripserunt Historiae sacrae penitus adversas; sed de plerisque praedicare non licet, quod fuerint* sacrarum literarum irrisores; *eodem certe jure omnes, qui summopere a nobis in rebus Theologicis dissentiunt, in classem* Irrisorum *forent referendi.*

CAP. IV.

DE ATHEISMI CAUSIS, PROPRIETATIBUS, ET EFFECTIBUS.

Σύνοψις.

Inter causas Atheismi internas, praeter naturalem corruptionem, praecipua est ambitio, §. *I.*

Accedunt externae variae, prava educatio, conversatio, impiorum librorum lectio, & aliae, §. *II.*

A causis Atheismi discernendae sunt occasiones: ut, vita Christianorum doctrinae illorum non respondens, sectarum multitudo, certaminum theologicorum excessus, & aliae, §. *III.*

Proprietates Atheismi: stultitia scilicet & irrationabilitas, aliorum vilipendium, externa virtutis species &c. item, de characteribus Atheorum quaedam, §. *IV.*

Effectus Atheismi: summa Atheorum miseria, difficultas inde eluctandi, damna plurima in alios, ipsam etiam rempublicam, quae sine religione consistere nequit, redundantia, §. *V.*

§. I.

Prima praecipuaque Atheismi cauſa in ipſo homine eſt quaerenda, naturalis ſcilicet, omnibusque per labem originalem connata ad prava quaevis inclinatio, & a Deo, ceu judice ſupremo, averſio. * Haec autem cum diverſimode per varia ſeſe exerat vitia, cumprimis tamen, ſi ambitio accedat, facile tandem ad impietatem ſupremam, atque Atheismum, hominem perducere poteſt. ** (125)

* Communem hunc, ut omnis mali, ita & Atheismi, fontem, primamque ſcaturiginem eſſe, nemo, apud quem ulla ſacrarum literarum eſt auctoritas, dubitaverit. Idque ipſe Rex ſanctiſſimus David nos condocet, *Pſalm. XIV.* Cum enim *verſ.* 1. dixiſſet, *ſtultus dicit in corde ſuo, non eſt Deus;* ſtatim *verſ.* 3. de naturali hac omnium hominum corruptione loquitur; quae verba & Paulus repetit, *Rom. III.* 12. conf. & *Gen. VI.* 5. Ex naturali autem hacce corruptione, cum, accedentibus & aliis cauſis, duplex hominum ſtatus oriatur, *ſecuritatis* & *ſervitutis*, qui in illo conſtituti ſunt, ad *Atheismum*, in hoc autem, ad *ſuperſtitionem* proni ſunt. Conferenda, quae hac de re dixi, in *inſtit. theol. moral. part. I.* §. *XVI. ſeqq.*

** Homines ambitione deditos prae reliquis facile in Atheismum praecipites ruere, itidem jam obſervatum eſt in *inſtitut. theol. moral. part. I. cap. I. ſect. V.* § *LX. pag.* 163. 164. Nimirum admodum ſibi placent, ſi ſententias ſingulares, quibus a vulgo eruditorum diſtinguantur, foveant, aut ſi ſoli ſibi ſapere videantur, reliquosque homines pro ſtupidis, ſimplicibus, vera ſapientia & eruditione deſtitutis habeant. Hunc Atheorum characterem eſſe, BENEDICTI DE SPINOZA, aliorumque, exempla teſtantur. Intelligendum autem hoc praecipue de Atheiſmo theoretico, eoque philoſophico. Ad practicum enim, & rudiorum hominum plebeiorum, quod attinet, ad eum illos quoque, qui voluptatibus dediti ſunt, ſi aliae cauſae accedant, facile progredi, negari nequit. (126)

(125) *Averſio illa, quam recte cum connatâ ad prava quaelibet inclinatione pari paſſu ambulare facit Cl.* Buddeus, *nequaquam ex eo naſcitur, quod Deus illis videatur objectum odio dignum, ſi in ſe conſideretur tanquam ens aeternum, neceſſarium, infinitum, perfectiſſimum, beatisſimum;*

simum; verum non ita ab omni ratione sunt destituti, ut non pervideant, idem illud ens esse independens, sanctissimum, justissimum, quod leges praescribendi facultatem, easque ab omni contemtu vindicandi voluntatem possidet. Dependentiam illam molestam effugere, & pro mero arbitrio vivere satagunt. Sic aversionem sentiunt, non ab Ente perfectissimo, sed ab Ente sanctissimo & justissimo, quod rationem etiam secretissimarum actionum est exacturum, suamque vindictam est exerciturum contra malevolos. Hinc metus omnes superare, pedibusque supponere allaborant, & sic justissimo, sed mitissimo Dei imperio sese subducere conantur. Et certissime homines ad Atheismum raro admodum delabuntur, nisi postquam aetatem suam, viresque voluptatibus consumserunt, & istiusmodi sese commacularunt facinoribus, quae justissimam sanctissimi Legislatoris indignationem excitant. Hinc conscientiae morsus effugere & suffocare potius, quam vitam emendare suscipiunt; adeoque supremi severissimique judicis considerationem seponunt, ac persuasionem de Illius existentia ex animo suo, & ex illo aliorum, quos in erroris & sceleris societatem abducere conantur, eradicare student.

(126) *Ambitio perversa & supra alios eminendi studium sunt procul dubio incitamenta ad deflectendum a vulgari semita; sperant, fore, ut ab aliis habeantur vel perspicariores vel facetiores, si sacratissima Religionis dogmata in familiaribus etiam colloquiis risui exponant, aut eadem scriptis, superficiarià plerumque eruditione splendidis, temerario ausu oppugnare suscipiant; illos vero, qui Dei existentiam providentiamque agnoscunt & venerantur, qui accuratius observant leges religionis, de cujus veritate sunt persuasi, mentes humi serpentes, & meticulosas praedicant. Eadem porro ambitio & vanae gloriae cupido efficiunt, ut in lamentabili errore perseverent, ne sociorum risui sese exponant, ac puerilis superstitionis metusque accusentur. Praeterea alio modo ambitio suas in iis, qui Dei existentiam providentiamque impugnant, agit partes, cum nihil tanquam verum etiam in iis, quae ad religionem spectant, admittere videri volunt, nisi quod penitus perspicere datum est. Equidem evidentia est verae persuasionis fundamentum; ast ubi res aliqua invicte est demonstrata, difficultates, quae ex arctis, quibus ingenium nostrum circumscriptum est, limitibus, suam trahunt originem, sufficientem rationem non suppeditant, quare res ipsa vocaretur in dubium, vel negaretur. Aliam denique ambitionis speciem simulant ipsi; ut, scilicet, humanum genus liberent a continuo metu, ex praejudiciis infantiae, & educationis nato, ut incommodos hosce mentis morbos ex hominum animis evellant, eosque in libertatem naturalem restituant; ut sic pro mero lubitu & arbitrio possint vivere, utque sic sibi ipsi sint unica lex & regula. Talia conamina non nisi ab Heroibus possunt*

procedere, qui bene mereri de ſocietate humana allaborant, omniaque vincula a ſuperſtitione injecta perrumpere ſunt potentes.

§. II.

Ad internam hancce animi diſpoſitionem cauſae variae externae ſubinde accedunt, utque tandem in iſtam impietatem erumpat, efficiunt. Huc pertinet prava educatio, * converſatio cum hominibus improbis, ** librorum ad Atheismum ducentium lectio, *** incauta aut praepoſtera ſtudiorum tractatio. * Nec praetermittendus hic Divinae veritatis neglectus, aut vilipendium, dum nonnulli convictionem, quae inde oritur, non curant, ſed reſpuunt, multo minus ad viam recte inſtituendam ea utuntur, in ſenſum hinc reprobum, juſto Dei judicio dandi. **

* Ad Atheismum rudiorem hominum plebeiorum, qui cum ignorantia ſupina plerumque conjunctus eſt, multum confert prava educatio, ſi tenera aetas ſolidâ, aut ſaltem ſufficienti, rerum Divinarum notitia non imbuatur. Sed & philoſophicus Atheismus hinc originem ac incrementum accipit, ſi externae tantum honeſtatis ac eruditionis, non autem verae pietatis, in liberorum educatione habeatur ratio; ſique, quod ſolenne admodum eſt, ad ambitionem, viriumque ingenii oſtentationem, rationisque adeo abuſum, quovis modo excitentur. (127)

(127) *Plurima mentis vitia ex educatione naſci, quae animum ad Atheismum & Libertinismum reddunt procliviorem, experientia praeſertim horum temporum docet, ubi educationis cura committitur ſaepiſſime iſtiusmodi peregrinis, quorum praecipua merita conſiſtunt in eo, quod animum juvenilem imbuant peregrinis moribus, eumque avertant a ſincero amore Patriae, & a laudabili propoſito inſerviendi Civium commodis; ſi prima Theologiae principia doceantur, id tantum eo fine peragitur, ut illi, qui iſtiusmodi hominum curae traduntur, alumni aliquando inter patriae Eccleſiae membra nomen ſuum poſſint profiteri, ne ipſis ad honores, vel ad opes praecludatur aditus; ſed ſolida & rationali rerum divinarum cognitione manent deſtituti, adeoque non tantum ſincerus earum amor nunquam in eorum animis excitatur, ſed veritates etiam momentoſiſſimae facillime ex memoria delentur, & locum faciunt periculoſiſſimis erroribus, praeſertim ſi in manus incidant eorum,*

qui-

quibus Religio ludus, quibusque alios in ſceleris ſocietatem pertrahere praecipuum eſt ſtudium atque voluptas. Neque Religio alios, niſi acerbos, ſibi promittere poteſt ex educatione fructus, ſi ea ratione inſtituatur, quam optimam judicavit Rouſſeau.

** Quanta converſationis in corrumpendis moribus, & intellectu quoque variis erroribus imbuendo, vis ſit, & efficacia, neminem fugit, & Paulus quoque Apoſtolus teſtatur, quando, *corrumpunt*, inquit, *bonos mores colloquia prava, I. Corinth. XV.* 23. conf. & *Pſalm. I.* 1. & quae dixi in *inſtit. theol. mor. part. I. cap. I. ſect. IV.* ad §. *LXIX. pag.* 180. add THEOPHILUS SPIZELIUS, *ſcrutin. Atheismi hiſtor. aetiol. ſcrutin. III.* §. *XV. pag.* 61. *ſeqq.* (128)

(128) *Quantum valeant converſatio & exemplum in corrumpendis moribus, egregie prae reliquis docuit* Oſtervald *les Sources de la Corruption* 2. *P. Source VI. Illi ipſi, qui laudabili ratione fuerunt educati, hoc modo ſaepe patiuntur naufragium, ſi familiariter utantur hominibus, qui diſſolutiori vitâ vel ambitione inani eo fuerunt devecti, ut flocci faciant Religionis praeſcripta, ac ſaluberrimam de exiſtentia Dei perſuaſionem ex animis ſuis eradicare ſatagant; ſequuntur horum exemplum, licet id non probent in initio; ſed metuunt ſtupiditatis ac ruſticitatis notam, indeque fluentem contemtum; ſic primum ad Atheismum* practicum *ſeducuntur, a quo, ob rationes allatas, facilis eſt ad* Theoreticum *tranſitus, ſi familiares illi Sophismata, quae contra Religionem facere videntur, dextre propinare noverint.*

*** Qui noxia continent libri, eo plerumque avidius leguntur, quo magis ob raritatem, vel quia damnati ac proſcripti ſunt, hominum curioſitatem excitant, vel eorum cupiditatibus blandiuntur. Quo avidius autem leguntur, eo facilius, quae in iis occurrunt, admittuntur, eoque intimius animo imprimuntur, ſed & eo gravius inde damnum oritur; conf. THEOPHILUS SPIZELIUS, *loc. cit.* §. *XIV. pag.* 55. *ſeqq.* (129)

(129) *Rari admodum ſunt libri, qui ipſum Atheismum ex profeſſo docent; & qui reperiuntur, minus ſunt periculoſi, quam qui Deismum, Naturalismum, aut Scepticismum propugnando, viam ad Atheismum ſternunt. Priores horrorem incutiunt & contemtum excitant in omnibus illis, quibus non penitus monſtroſa in pectore mens habitat: verum, ob rationes ante allatas, poſteriores magis ſunt noxii, quia per cuniculos agunt, dum vix ſuſpicio oritur in initio; dum dubitationem de veritatibus momentoſiſſimis, & Revelationis contemtum pariunt, tandem in Atheismum abiturum. Neque venenum tantum ſpargitur in libris,*

qui ipsam Religionem spectant, verum etiam in iis, qui mores corrumpunt, atque adeo ad Atheismum Practicum ducunt per voluptatibus blandientia viae compendia. Quin imo! non desunt inter libros Theologicos, optimo fine conscriptos, qui ita pertractant dogmata, sive theoretica divinam naturam providentiamque respicientia, sive praesertim practica ad vitae Christianae directionem pertinentia, ut haud leve periculum ex eorum lectione sit metuendum.

* Litterarum studia, si caute & sobrie tractentur, ad veram religionem promovendam, & contra Atheorum insultus defendendam, plurimum conferunt. Sed si quis inconsulto in ea feratur impetu, inque iis tractandis pravae potius cupiditatis ductum, quam rectae rationis legem sequatur, animum facile ad impietatem ac Atheismum pronum inde referet, efficietque, ut, quae felicem eum atque beatum reddere poterant, ipsius quidem culpâ, in occasionem miseriae summae atque calamitatis cedant. Idque diversa omnino, pro partium, quibus eruditionis humanae circulus absolvitur, diversitate, fieri potest ratione. Qui *litteris*, quas *humaniores* vocant, se totos dedunt, ethnicorum scriptorum subinde ita capiuntur lectione, ut Scripturam sacram plane negligant, aut in minimis ponant, indeque illorum mens ita corrumpitur, ut illis *lyra Davidica sordeat, prae lyra Horatiana.* Ab elegantioribus litteris si ad Philosophiam transeamus, ipsa statim se offert *Logica*, quae ut pro instrumento veritatis, solidaeque eruditionis, recte habetur, ita dubitari posset, an & haec Atheorum impietati aliquando inserviat, nisi & hoc experientia doceret. Doctrina de praejudicatis opinionibus animo ejiciendis, haud ultimum inter reliquas tenet locum, & salutaris maxime est, immo ad veritatem inveniendam prorsus necessaria. Sed si quis Christianae religionis scita, principiaque eidem confirmandae inservientia, pro opinionibus praejudicatis habeat, & tum demum recte se philosophari credat, si ista animo ejecerit, in Atheorum praecipiti lapsu laqueos incidet, priusquam ipse hoc animadvertat. (130) Ipsam de *universalibus* doctrinam, Scholasticis quibusdam, speciatim Scotistis, argumentum Atheismi praebuisse, supra ad *cap. I. §. XXIII.* observavimus. Ex *Metaphysica* minus recte intellecta Atheos arma desumere posse, quibus impietati suae speciem concilient, vel ipsius Spinozae neminem dubitare sinet exemplum. *Ethica* enim ejus *geometrica methodo demonstrata*, metaphysicis speculationibus de *substantia* & ejus *attributis*, tota scatet. Idem & de *Physica*, seu rerum naturalium scientia, est observandum. Quantumvis enim haec argumenta longe pulcherrima, ad coërcendam Atheorum stultitiam, suppeditet, fieri tamen potest, ut, si quis proximarum causarum considerationi nimis indulgeat, & cuncta per eas ita explicare annitatur, ne prima illa necessaria esse videatur, praecipiti tandem gradu in Atheismum

ſmum ruat. Obſervatum id tum aliis, tum & THEOPHILO SPIZELIO, in *ſcrutinio Atheiſmi*, *ſcrutin.* III. §. XXV. *pag.* 108. *ſeqq.* item in *radice Atheiſmi pag.* 49. 50. Nec *moralis civiliſque doctrina* hic praetermittenda. Qui ita de homine philoſophantur, ut cum Spinoza omnem ei libertatem adimant, & ἀδιαφορίαν, itemque ἀπάθειαν ultra, quam par eſt, extendant, qui cum eodem Spinoza atque Hobbeſio, non alias, quam humanas, ſeu civiles, leges admittunt; qui cum Machiavello ad Principum cuncta utilitatem referunt, & ipſam religionem in dominandi inſtrumentum convertunt, non poſſunt non in Atheorum tandem caſtra tranſire. Poſſem inſuper exempla varia illorum adferre, qui ex incauta philoſophiae, ſingularumque ejus partium, aut litterarum bonarum tractatione, in impietatem qua vitam moresque, aut omnino Atheiſmum prolapſi ſunt. Ea vero haud quaquam ignota ſunt; immo quotidie ſe quaedam nobis offerunt, pertinentque huc, quae de Petro Aretino, Franciſco Poggio, Angelo Politiano, aliisque *cap.* I. §. XXIV. & alibi diximus. Jungenda &, quae ex inſtituto hac de re commentatus eſt vir doctiſſimus, BURCARD GOTTHELFF STRUVIUS in proluſione Academica, cui titulus: *doctus, Atheus*, anno M DCC VII edita. Non ſane ipſius philoſophiae, ſicut nec litterarum, quae ab humanitate nomen acceperunt, hoc vitium eſt, ut nonnulli praepoſtero zelo abrepti exiſtimant, ſed hominum litteris iſtis & philoſophia abutentium, nec caute ſatis, ut decebat, in iis verſantium. Enim vero, ut res quaevis optimae & innocentiſſimae in illorum, qui iis abutuntur, perniciem quandoque cedunt, ut tamen ideo utilitati ac praeſtantiae illarum nihil decedat, ita & bonis litteris atque philoſophiae ſuum manet decus, laus ſua integra & illibata conſtat, etſi vel maxime a quibusdam per improbitatem, aut imprudentiam, in Atheiſmi aut occaſionem, aut argumentum, vel defenſionem, arripiantur. Quod vero iſti inde ſua culpa damnum accipiunt, alios commonefacere debet, ut caute in hiſce tractandis ſtudiis verſari diſcant, nec cum eruditione ſapientiam, cujus initium eſt timor Domini, conjungere intermittant.

(130) *Nullae, ſi ſic ratiocinari liceat, in rerum natura dantur, aut dari poſſunt ſcientiae, quin aliquis earum* poſſit *eſſe abuſus, aut perverſa penitus praeceptorum, quae in iis exhibentur, applicatio. Ipſe Cl. Auctor Logicam conſideravit tanquam ſcientiam*, cujus finis proximus eſt, ut intellectus ad veritatis inveſtigationem & inventionem reddatur aptus, *in Obſerv. ad Philoſ. Inſtrum. C.* 1. §. 2. *Abuti hocce doctrinâ* poteſt *Atheus; verum peſſimi etiam inter Haereticos abuti poſſunt & reipſa abuſi fuerunt divinâ revelatione: an inde minori jure inferri poſſet, ſacram Scripturam & ſtudia, quae ad ejus interpretationem pertinent, incauta & praepoſtera ratione pertractari; quam Logicam incaute pertractatam eſſe a Philoſophis & ab ipſo Auctore, quando*

quando praejudicia inter mentis vitia & imbecillitates referunt, &, illa emendanda, has ſanandas eſſe, inculcant. An Paulus inſervit Pantheiſtis, quando ſummo jure adfirmat, nos in Deo vivere, moveri, & eſſe? *An artis ſalutaris praecepta praepoſterâ & incautâ ratione pertractantur a Medicis, quia ſaluberrimis medicaminibus in perniciem hominum abutitur veneficus, vel imperitus aliquis Medicaſter? Hoc omne agnoſcit Cl.* Buddeus *pag.* 191. *adeoque facile hiſce omnibus carere potuiſſet Lector, vel alia ratione debuiſſent eſſe diſpoſita.*

** Nimirum Divinarum veritatum ad hominum ſalutem comparatarum haec eſt ratio, ut non tantum ſciri, ſed ad vitae quoque praxin transferri debeant, ut ipſe Servator docet, *Joan.* XIII. 17. Hoc ſi homines intermittant, cognitio iſta illis non tantum nihil prodeſt, ſed facile etiam contingit, ut ex juſto Dei judicio, veritate amiſſa, in errores graviſſimos, ipſumque Atheismum praecipites ruant, ut Gentilium exemplo luculentiſſime docet Paulus Apoſtolus *Rom.* I. *verſ.* 18. 19. 20. Dum vero cognitio iſta Dei rerumque Divinarum, flectendo voluntatem ad obſequium, vim ſuam & efficaciam exerit, αἴσθησις illa, Paulo commemorata *Phil.* I. *v.* 9. inde oritur atque *experientia*, quae & *guſtus* nomine in Scriptura ſacra venit, I. *Petr.* II. 3. *Ebr.* VI. 4. 5. Iſta vero αἴσθησις ſeu experientia, non eſt absque cognitione praecedenti (hoc enim plane abſonum eſſet) ſed ex ipſa cognitione oritur, vel cum ea conjuncta eſt, ſi rite ad praxin deducatur, nec veritatem in injuſtitia homines detineant, ut Paulus loquitur, *Rom.* I. 18. Atque ita intelligenda ſunt, quae hac de re ſcripſi in *elementis philoſ. theoret. part. VI. cap. III.* §. *III.* (131) De notitia enim Dei inſita, dum §. *II.* verba feci, haec porro ſubjeci: *eſt in mente noſtra intima quaedam facultas, qua percipimus & velut guſtamus, quae bona ſunt. Per eam perceptionem quilibet homo, ſi modo ſerio ad ſe attendat, ita convincitur, ut licet certiſſime perſuaſus ſit, ea ſe videre, quae videt, audire, quae audit, intelligere, quae intelligit, longe tamen certior eſſe poſſit, ſe percipere & ſentire occultam entis ſummi boni, ſummique perfecti operationem.* Ex quibus verbis ne quis ſenſum a mente mea alienum eruat, 1) quidem obſervari velim, me per iſtam perceptionem nihil aliud intelligere, quam αἴσθησιν, ut Scriptura ſacra vocat, ſeu experientiam, quae oritur, cum cognitio veritatis ad praxin vitae deducitur; 2) nec iſtam me perceptionem ſeu experientiam a cognitione ſeparare, multo minus aſſerere, ac ſi absque ſufficienti cognitione eſſe poſſit; ſed hoc ſaltem volo, ſi cognitio Dei, tum inſita, tum acquiſita recte ſe habeat, & ad vitae praxin deducatur, ut ipſa velut experientia Numinis bonitatem, & potentiam cognoſcamus, tum illam perceptionem experimentalem nos itidem longe certiſſimos hac de re reddere;

3) ſed

3) sed hoc quoque addendum, me ipsam cognitionem Dei, si rite se habeat, longe certissimam esse, fateri, si αἴσθησις haec seu experientia non accedat; magis tamen adhuc hominem per αἴσθησιν seu experientiam hancce, convinci & confirmari. Atque hoc sane tum contingit, cum cognitio ista, in obedientia seu praxi vitae vim suam exerit; quod, ut certa quadam ratione ab Ethnicis Paulus requisivit, exprobrans illis, quod *veritatem detinuerint in injustitia*, ita multo magis in hominibus Christianis, revelationis Divinae lumine collustratis, locum invenit. Atque huc pertinent, quae §. *IV*. hac de re dixi, praesertim, quando ita locutus sum: *Nec tutior ratio omnibus circa existentiam Numinis dubiis, aut se ipsum, aut alios eximendi, est, quam si quis serio animum omnibus vitiis purget, aliosque, qui in se ipsis hanc veritatem percipere cupiunt, purgare doceat, quippe quae sola obstant, quo minus clarissime summum hocce bonum percipiamus.* Sane, qui veritatem in injustitia detinent, se ipsos magno periculo veritatem justo Dei judicio amittendi exponunt, docente Apostolo, loco aliquoties jam laudato, *Rom. I.* 18. Ergo juxta ipsius Apostoli doctrinam, tutissima via est, qua periculo huic obviam ire queamus, si veritati cognitae obsequamur, quo ipso in praxin vitae deducitur, adeoque ipsa experientia percipitur. Qui autem veritati cognitae obsequi cupit, vitia quaevis fugere, atque animum ab iis purgare debet. Qui enim vitiis indulget, atque peccatis, is sane veritatem in injustitia detinet, adeoque impedit, quo minus vim suam & efficaciam in flectenda voluntate ejus exerat, seque adeo & experientia ista, quae inde sequi poterat, privat, & periculo, ipsam veritatem, quam cognitam habet, justo Dei judicio iterum amittendi, exponit. Licet autem hoc ejusmodi sit, ut hac ratione quilibet homo in veritate agnita magis confirmetur, & extra periculum, eam temere admittendi, ponatur, Atheos tamen hac ratione erroris convinci non posse, sed alia iis opponenda argumenta prius esse, ut ad veritatis agnitionem perducantur, ibidem observavi, dum statim subjeci: *Fateor tamen, quod in disputationibus contra Atheos hoc argumento utendum non sit, quia etiam ea, quae in se ipsis sentiunt* (e. g. ipsum conscientiae, subinde vim suam in iis exerentis, testimonium) *negare strenue consueti sunt.* (132) Dijudicare ex hactenus dictis etiam, ut hoc ὡς ἐν παρόδῳ addam, licet, quod alibi, *tom. V. observation. Hallensium observat. IX. de criterio veritatis in rebus moralibus*, cumprimis §. *XX. pag.* 291. dixi, *religionem nihil aliud esse, quam gustum rerum divinarum.* Quae verba ne itidem aliter intelligantur, quam ex mente mea intelligenda sunt, rursus observandum, me vocem *religionis* in significatione specialiori pro cultu Numinis & quidem interno accipere, qui tamen cognitionem veram & sufficientem Numinis praesupponit, & sine ea nulla ratione esse potest. Non insolens esse, ut vox religionis ita accipiatur, plurimis exemplis comprobare possem, sed unicum LACTANTII sufficiat

 testi-

teſtimonium: *Non poteſt igitur, nec religio a ſapientia ſeparari, nec ſapientia a religione ſecerni, quia idem Deus eſt, qui & intelligi debet, quod eſt ſapientiae; & honorari, quod eſt religionis. Sed ſapientia praecedit, religio ſequitur; quia prius eſt, Deum ſcire, conſequens, colere; &c. inſtitution. divin. lib. IV. pag. m.* 252. Recte omnino LACTANTIUS docet, religionem ſeu cultum Numinis, non poſſe a ſapientia, ſeu cognitione ſeparari, ſed hanc praecedere, illam ſequi. Et hanc meam quoque eſſe ſententiam, tum aliunde ſatis conſtat, tum ex ipſa illa de *criterio veritatis in rebus moralibus* obſervatione, ſi modo cuncta recte ponderentur, & inter ſe conferantur, facile intelligitur. Religionis vocem me pro cultu Numinis hic ſumere, ex tota quidem tractatione, cumprimis autem ex §. *II.* liquet, ubi diſerte profiteor, me criterium veritatis non intuitu *intellectus*, ſed intuitu *voluntatis*, conſideraturum, ſeu quodnam bonum pro vero aut apparenti habendum ſit. (133) Verba mea, quae exceptionem non admittunt, haec ſunt: *per veritatem VERUM intelligimus BONUM. Unde haec regula, totam doctrinam moralem dirigens, reſultat: Quicquid VOLUNTATEM hominis ita afficit, ut laedat, ut dolorem aut taedium incutiat, illud non verum, ſed apparens potius bonum, ſeu malum eſt.* Cognitionem autem veram ac ſufficientem me praeponere, adeo manifeſtum eſt, ut mirum ſit, ſi aliquis ſecus exiſtimare poſſet. Quid vero luculentius dici poterat, quam cum §. *XXXI. pag.* 307. cuncta ſummatim ita complector: *Omnia ergo eo redeunt, ut ſuos INTELLECTUI & VOLUNTATI ſtatuamus limites, nec hos confundamus; immo potius, ut a natura conſtitutos recte obſervemus. Confundunt autem hos omnino, qui voluntati ita criterium veritatis tribuunt, ut intellectus officia excludant. Quos homines, ejusmodi indifferentismum profitentes, licet ipſa ſatis refellat experientia, error tamen illorum manifeſtandus aut detegendus eſt, ne eo & alii abripiantur.* Tantum nimirum abeſt, ut cognitionem veritatis ſufficientem excludam aut removeam, ut potius eos, qui hoc faciunt, in Indifferentiſtarum numerum referam, & graviter hoc nomine reprehendendos cenſeam. Prolixius etiam haec omnia, ne dubium alicui relinquatur, in ſequentibus ediſſero, §. *XXXIII. pag.* 309. *ſeqq.* Cum autem cultus internus Numinis, in Chriſtianis ſpectatus, qui *religionis* nomine *loc. cit.* venit, in amore, timore Numinis & fiducia filiali, prout haec omnia ex vera fide oriuntur, conſiſtat, manifeſtum eſt, eum ſine perceptione, αἰσθήσει & experientia ſpirituali eſſe non poſſe, quae Scriptura ſacra *guſtus* nomine exprimit, I. *Petr.* II. 3. *Ebr.* VI. 5. 6. Et eo quidem, non alio, ſenſu dixi, *religionem nihil aliud eſſe, quam guſtum rerum Divinarum.* Loquor autem de eo, prout res ordinarie ſe habet, & ſi aliunde impedimentum non accedat. Poſſe enim aliquando, praeſertim in tentatione graviori, accidere, ut guſtus *ille* ſeu αἴσθησις ceſſet, cum ipſa experientia hoc doceat, neutiquam nego.

Sed

Sed haec ſimiliave hic in cenſum non veniunt, cum de eo loquar, quod contingit, ſi effectus, qui ſequi poterat, ac debebat, aliunde non impediatur. Unde facile intelligitur, quid reſpondendum ſit, ſi quis objiciat, religione nos ſervire Deo, guſtu autem non Deo nos ſervire, ſed nobis; item, religionem aut actionem eſſe, aut habitum, guſtum autem non tam actionem eſſe, quam paſſionem. Ad prius enim quod attinet, probe obſervandum, ea, quae ad internum Numinis cultum ſpectant, duplici ratione ſpectari poſſe; primo, prout in nobis ſunt; deinde, prout per legem Divinam a nobis exiguntur. Poſteriori modo ſi cultus internus ſive religio ſpectetur, tum ſane eâ ſervimus Deo; hoc vero non obſtat, quo minus priori modo ſpectata, etiam in guſtu quodam ſeu perceptione conſiſtat. Ad poſterius vero quod attinet, ſciendum, religionem quidem partim ut habitum, per media gratiae acquiſitum, partim ut actionem, ſpectari poſſe; cum, ſi habitus dicatur, ejusmodi intelligatur, qui ſubinde per certos actus ſeſe exerit. Si vero ut actio ſpectetur, nihil obſtat, quo minus & paſſio quaedam cum ea conjuncta ſit. Notiſſimum enim eſt ex doctrina morali, adfectus omnes, amorem, timorem, reliquos, certo reſpectu paſſiones eſſe, certo reſpectu actiones, cum primum perceptio quaedam ſeu commotio paſſiva in anima noſtra praecedat, tum actio ſeu commotio activa ſequatur. Si porro quaeras: num guſtus pars, an accidens, religionis ſit? diſpiciendum rurſus ſedulo eſt, quo pacto vox religionis ſumatur. De cognitione enim ſola ſi accipiatur, neque pars, neque accidens erit, ſed effectus potius, qui tamen ob certa impedimenta ſe non ſemper exerat. Sin pro cultu interno accipiatur, & quidem in ambitu generaliori ſpectato, tum nihil obſtabit, quo minus ejus pars quaedam dici queat; prout omnis adfectus partim paſſione, partim actione conſtat. At cultu interno in ſpecialiori ſignificatione accepto, pro ipſo actu amoris, timoris, fidei, lubens conceſſerim, guſtum illum adjunctum aliquod ſeu accidens eſſe, quod non ſemper equidem, nec eodem gradu aut modo, ſed in ſtatu tamen hominis ordinario, gradu & modo diverſo, adſit & deprehendatur. (134) Cum vero ex dictis (ut eo, unde digreſſus ſum, redeam) pateat, neceſſarium prorſus eſſe, ut Divinarum veritatum cognitio ad vitae praxin transferatur, graviſſime illos peccare, ſimul liquet, qui hoc intermittunt, eoque, juſto Dei judicio, facile deduci poſſe, ut in Atheismum incidant, iſtaque adeo intermiſſio inter cauſas Atheismi recte refertur; quam longe frequentiſſimam eſſe, experientia omnes condocet. Addenda, quae eleganter hac de re diſſerit DN. LA CROZE, *entretiens ſur divers ſujets d'hiſtoire, &c. pag.* 264.

(131) *Quae Cl.* Buddeus *hic fuſe nimium pertractat in ſui Apologiam, ſic ſatis aliena ſunt ab hoc loco; neque talis excuſatio requirebatur, ſi*

 verba

verba Auctoris in Elem. Phil. Theor. *occurrentia ſano ſenſu ſumantur, uti ſumi poſſunt: optandum tamen fuiſſet, ut plenius explicaſſet, quid intelligat, quando dicit, per illam perceptionem, vel guſtum hominem, ſerio ad ſe attendentem, certiorem eſſe poſſe, ſe percipere & ſentire NB.* occultam entis ſummi boni, ſummique perfecti operationem. *Si intellexerit operationem ſupranaturalem, quae a Spiritu Sancto, ſecundum Revelationis doctrinam, editur in regenitis vel regenerandis, parum in cenſum venit illud aſſertum in ſyſtemate* Philoſophiae Theoreticae. *Si vero omnia, quae hic occurrunt, ſint Philoſophica, non puto, Cl. Auctorem aliud agnoviſſe veri criterium, quam* evidentiam, *eumque Enthuſiasmo ſic ſatis periculoſo vires ſubminiſtrare voluiſſe & arma. Quod in genere attinet ad* intimam facultatem, *quae menti noſtrae ineſt,* qua percipimus, & velut guſtamus, quae bona ſunt, *haec ſaltem*, ſi de bonis moralibus ſit ſermo, *admitti poteſt ab iis, qui* inſtinctum moralem, *vel* ſenſum, *aut* ſenſationem moralem *agnoſcunt, de cujus exiſtentia & effectibus nunc non diſputo. Vid.* Hutchinſon *Inſtit. Philoſ. Mor. pag.* 7. *ſeqq. & pag.* 12-27. *& in Oratione de naturali Hominum Socialitate pag.* 20. *ſeqq:* Burlamaqui *Princ. du Droit Nat. Part.* 1. *C.* 3. Fordyce *Elements of Moral Philoſophy L.* 1. *Sect.* 2. *&* 3. Robinet *de la Nature* 3 *Part.* Lettres ſur les Voyages *in Tractatu, cui titulus* l'Inſtinct Divin, *qui omnes, licet non eodem penitus ſenſu,* Inſtinctum *illum* moralem *demonſtrare ſunt anniſi.*

(132) *Hominis animum propter vitia, quibus commaculatur, abduci a vera cognitione & ſincera agnitione Dei, ex antecedentibus eſt manifeſtum, praeſertim ex §. 1. hujus Capitis: ſi igitur a vitiis hiſce purgari, & virtuti deditus reddi poſſet, proclivis magis evaderet ad agnoſcendam Numinis exiſtentiam. Verum nullo modo admitti poſſunt Cl.* Buddei *ratiocinia in* Elem. Phil. Theor. *propoſita, quae hic defendere allaborat, ſi peculiare argumentum pro agnitione Dei ex iis velit exſculpere. Reſpondet l. c. ad quaeſtionem §. 2. iſtius Capitis III. propoſitam:* unde exiſtentia Numinis demonſtrari poſſit? *ratiocinatur* primum *ex iis, quae in cujuslibet hominis mente peraguntur, quorumque intime eſt conſcius;* ita ut quam primum de ſupremo Numine aliquid audimus, aut ejus cogitatio mentem ſubit, ſtatim, velut impetu, abripiamur, & impellamur huic aſſerto, quod omnino exiſtat, aſſenſum praebendi. *Dein adjicit quaſi* ſecundum *argumentum §.* 3. Neque id modo: eſt in mente noſtra intima quaedam facultas, *&c. Fatendum quidem, quemlibet, ad ſe ſuumque ſtatum attendentem, facile invenire argumentum pro exiſtentia Dei; imo quandam in ſe detegere proclivitatem ad veritatem illam agnoſcendam: Verumtamen miſera foret Religionis facies, ſi talibus argumentis rem*

hancce

hancce momentosissimam conficere vellemus; uti etiam alia adjecit l. c. Cl. Auctor, multo ponderosiora: ast potius ab illis abstinendum existimo, ne optimam causam risui Atheorum exponamus, aut Enthusiasmo praebeamus nutrimentum.

(133) *Admodum improprie* veritatis criterium *dicitur*, non intuitu intellectus, sed intuitu voluntatis. *Veritas nunquam ad voluntatem refertur; sed intellectus praelucet, voluntas id appetit, quod intellectus tanquam bonum, proposuit.* Per veritatem, (*inquit* Buddeus,) verum intelligimus bonum, *& hoc sensu* veritas *est objectum voluntatis; sed primum per intellectum tanquam* verum bonum (*hoc est, quod ad veram nostram, perpetuamque perfectionem, atque inde fluentem felicitatem tendit*) *repraesentatur; & hujus* veritatis, *utut improprie dictae*, criterium *non ad voluntatem, sed ad lumen praeferentem intellectum referri debet. Monet quidem* Buddeus, *officia intellectus non esse excludenda, dum voluntati* criterium veritatis *tribuitur; verum sic ingens nascitur confusio, quando istud* criterium, *hoc est, id, quo veritates practicae sunt* dijudicandae, *ad illam mentis facultatem referimus, cujus nullae in* dijudicandis *veritatibus sunt partes.*

(134) *Non video, quomodo haec cohaereant:* Religio nihil aliud est, quam gustus rerum Divinarum; *sic, secundum Cl. Auctorem, gustus ille* essentiam Religionis *debet absolvere: hic vero adfirmatur, nihil obstare, quominus gustus ille dici possit* pars quaedam *Religionis, si haec pro cultu interno accipiatur, & quidem in ambitu generaliori spectato; si denique Religio & quidem cultus internus sumatur in specialiori significatione pro ipso actu amoris, timoris, fidei, gustus ille est* adjunctum aliquod, *seu* accidens: *sic* idem gustus rerum Divinarum (*qui certe distinctius describi, vel definiri debuisset*) *constituit* essentiam *Religionis, est illius* pars quaedam, *& est* accidens.

§. III.

Sunt etiam nonnulla, quae equidem inter causas, directe & per se Atheismum progignentes, non sunt connumeranda, occasionem tamen eidem quandoque praebere possunt, scopulorumque instar sunt, ad quos, qui ceteroquin ad istam impietatem proni sunt, facile naufragium faciunt, * ut, vita plerorumque Christianorum, cumprimis Virorum sacri ordinis,

doctrinae illorum non respondens; ** sectarum, in quas orbis Christianus scinditur, multitudo; *** acerbaeque nimis & modum excedentes, de rebus theologicis disceptationes, * & quae alia sunt ejusdem generis. ** Quae omnia, ut, quantum humanae imbecillitatis ratio permittit, removerentur, optandum esset.

* Culpa equidem non carent, qui talia aut agunt aut dicunt, quae aliis offendiculo esse, & per accidens etiam, ut in scholis loqui solent, Atheismum promovere possunt. Nec tamen ideo excusandi sunt Athei. Facile enim, si modo vellent, hosce scopulos evitare possent.

** De corruptis Christianorum moribus, vitaque doctrinae parum respondente, tot extant doctorum piorumque Virorum querelae, ut iis colligendis multa volumina non sufficerent. Neve de aliis dicam, notum, quot *pia* hinc enata sint *desideria*, in quibus & vulnera haec tanguntur, & de remediis consultatur. Multum vero istam vitae rationem ad Atheismum promovendum facere, nemo temere dubitaverit. Si enim homines ad Atheismum sua natura proni animadvertant, ingentem esse illorum inter ipsos etiam Ecclesiae doctores numerum, qui vita sua moribusque, quae de religionis veritate & praestantia, deque virtutibus, quibus fidem suam Christiani demonstrare debent, ingenti zelo dicunt, ipsimet refutant, facile in eam inducuntur opinionem, omnes Christianos turpissimos esse hypocritas; inprimis vero Ecclesiae Doctores, dogmatibus, quae aliis inculcant, non adhibere fidem, nec, ea vera esse, credere. Ad minimum non potest non mera videri superstitio, si quis actibus quibusdam externis Deum colat, certasque de eo opiniones foveat, & acriter oppugnet, interim tamen vitiis quibusvis strenue indulgeat. (135) Quo longius autem superstitio a vera religione distat, eo facilius per eam alii, ut in alterum extremum ruant, inducuntur. Id vel Graecorum, maxime Atheniensium, exemplo patet, qui, ut reliquas gentes, quas barbaras vocabant, superstitione superabant, notante hoc in illis vitium ipsomet Paulo, *Actor.* XVII. 16. ita non alibi plures Athei, vel saltem Atheismi suspecti, adeo ut apud solos Graecos, non autem barbaras gentes, Atheos extitisse, AELIANUS existimet, *histor. var. libr.* II. *cap.* XXXI. ut supra jam *cap.* I. *ad* §. XX. observavimus. Idem & in Romana Ecclesia conspicere licet, in qua Atheorum proventus longe uberrimus, eo quod turpissima in ea regnat superstitio. Legi merentur, quae hanc in rem disserit JENKINUS THOMASIUS, in *historia philosophica de Atheismo cap.* II. §. III. *pag.* 21. ubi inter *primarias Atheismi causas* superstitionem

nem refert. Nec tamen ad Atheos excuſandos haec quicquam valent: Illorum enim erat, ſuperſtitionem a vera religione diſcernere, & quod hominum religione abutentium vitium eſt, non ipſi religioni tribuere; multo minus omnes eodem loco habere, cum inter Chriſtianos hinc inde haud pauci etiam ſint, qui Deum ſerio colunt, quorumve a doctrina neutiquam vita diſcrepat, quod & de Eccleſiae quibusdam Doctoribus cenſendum, quorum omni tempore hinc inde nonnulli extiterunt, qui cum Paulo dicere potuerunt: *eſtote imitatores mei, ut ego Chriſti, I. Cor. XI. verſ.* 1.

(135) *Aliorum exemplo & auctoritate ſeſe tegere ſolent homines, ignavia atque torpore naturali laborantes, ſeverius examen reformidantes, atque adfectuum impetu abrepti; attendunt igitur ad aliorum, praeſertim eorum, qui in rebus ad Religionem pertinentibus magis verſati videntur, & ratione muneris, vel profeſſionis ſuae eſſe debent, vivendi modum: cum plurimi inter hoſce reperiantur diſſolutioris vitae, facile ſibi perſuadent, omnia, quae de Deo rebusque Divinis docent, vel profitentur, eſſe incerta; quia, ſi ipſi illi crederent certamque haberent propriam doctrinam de exiſtentia, omniſcientia, ſanctitate, juſtitia, aliisque Dei attributis, longe alio modo vitae rationem inſtituerent. Tutius concludi poſſe, putant, ex horum factis, quam ex verbis, quid ſentiant, quidque credant; & cum nihil credere videantur, nullas credendi eſſe rationes, primum conjiciunt, mox ſine haeſitatione ſtatuunt. Conf.* Scott *the Chriſtian Life Part. II. Chap.* 3. *pag.* 218. *ſeq.*

*** Si religio Chriſtiana, inquiunt Athei, aut illi, quibus ſectarum inter Chriſtianos multitudo, offendiculo eſt, Deum auctorem agnoſceret, haud dubio magna inter eos, qui eam ſequuntur, foret conſenſio. Immo, cum per iſtam ſectarum diverſitatem fructus doctrinae Chriſtianae mirum in modum impediatur, ſapientiae Divinae foret conveniens, ſectas iſtas & diviſiones impedire, ſi Deus ipſe religionis iſtius curam gereret, vel eam mortalibus praeſcripſiſſet, & quae reliqua ſunt ejusdem generis. (136) Sed & huncce facile evitare ſcopulum poſſent, ſi rurſus cogitarent, hominum hoc, non ipſius religionis, eſſe vitium. Immo, ſi indolem hominum, qua intellectum, qua voluntatem, recte conſiderarent, aliter ſe rem habere non poſſe, facile intelligerent. Deus autem ea, quae per hominum conditionem aliter evenire nequeunt, per miraculum eo minus impedire obſtrictus eſt, quod nunquam aut praedixit, aut promiſit, nullas in religione Chriſtiana fore diſſenſiones. Immo fore diſſenſiones & diſcordias, culpa tamen hominum, ipſe Servator diſerte nos condocuit, *Luc.* XII. 51. Sunt vero Deo cauſſae juſtiſſimae ſapientiſſimaeque, cur eas permittat. Manifeſtandi

festandi enim hac ratione sunt, qui Deo vera fide adhaerent, eumque sincere colunt. Δεῖ γὰρ, inquit Paulus, καὶ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι, ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν. I. *Cor.* XI. 19 Legenda, quae hac de re disserit JOANNES CLERICUS, de *l'incredulité*, *part.* II. *cap.* IV. *pag.* 186. *seqq.* qui & per integram hancce partem secundam, alia ejusdem generis offendicula recenset, atque removet.

(136) *Hoc jam observatum fuit a* Cicerone *de Nat. Deor. Lib.* 1. *Cap.* 2. Res nulla est (*loquitur de Religione, seu de existentia Deorum, eorumque Providentia.*) de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiunt; quorum opiniones cum tam variae sint, tamque inter se dissidentes, alterum fieri profecto potest, ut earum nulla: alterum certe non potest, ut plus una vera sit. *Cum autem eo perductum sit ratiocinandi artificium, ut variarum sectarum homines pro opinionibus penitus contrariis argumenta proferant, quae speciem habent, eaque non sine eruditionis apparatu ab utraque parte urgeantur, primum ad Scepticismum, mox ad Indifferentismum, tandem etiam ad Atheismum pertrahuntur, suumque faciunt argumentum, quo usus fuit Rex Siamensis (apud* Pictet *contre l'Indifference des Religions Chap.* 3. *&* 27.) *ut Indifferentismum propugnaret, illumque Deo gratum esse debere ostenderet.*

* Recte JENKINUS THOMASIUS, de causis Atheismi verba faciens, *huc accedunt*, inquit, *theologorum digladiationes, & animorum acerbitas, de articulis etiam non raro, qui neque bonos mores respiciunt neque vitam aeternam: attamen si quis a receptis systematibus discesserit vel latum unguem, vae homini! de omni spe amicitiae conclamatum est, & in Papatu pro haeretico habendus, & vivicomburio, ni palinodiam cecinerit, quantocyus puniendus: qui procedendi modus procul omni dubio spectantium animos tepore aliquo, vel potius odio adversus omnem religionem imbuit; histor. philosoph. de Atheismo cap.* IV. §. V. *pag.* 37. Nec tamen ita hoc capiendum, ac si omnes de rebus theologicis disputationes rejiciamus, quippe quas pro Ecclesiae statu praesenti prorsus necessarias esse, lubentes fatemur: sed excessum saltem & impotentis animi vitia, quae subinde accedunt, improbamus, & hac ratione aliis aversionem a religione Christiana animo concipiendi, occasionem suppeditari, ingemiscimus atque dolemus. Bene id eidem auctori observatum, quando interjectis nonnullis, pergit: *Caveas velim existimes, me omnes de rebus divinis disputationes improbare; nequaquam; quia saepe saepius Ecclesiae necessitas atque nostra officia hoc postulant; sed est modus in rebus; nollem homines Christianos se invicem proscindere & lacerare, ne profani quique tripudient, & in contumeliam religionis conclament; ubi est vester Deus? loc. cit. pag.* 38. 39. (137)

(137) *Hujusmodi digladiationes, ex ſententiarum ſectarumque diverſitate natae, acriores evadunt ex perverſa ambitione, ex ſuperbia, & auctoritatis tyrannide, cui plerique per omnem aetatem manent ſubjecti. Tales autem ſumma animi acerbitate agitatae controverſiae, non, ut jam inventa veritas defendatur, aut detegatur hactenus latens, ſed ut victoriae fructibus, gloriâ vel emolumento gaudeant, non tantum Scepticismum ſovent in animis eorum, qui ad Libertinismum ſunt proclives, verum etiam manifeſtiſſima ſunt documenta, ſincerum veritatis ſtudium, atque Chriſtianam, quam aliis inculcant, charitatem longisſime ex talium Theologorum animis exulare. Sic igitur vitae ratio cum doctrina non conſpirat; ſic anſa datur ſuſpicandi, nullum ex Diſputatoribus iſtis fervidioribus de veritate ſui ſyſtematis eſſe perſuaſum, ſed dominandi in conſcientias libidinem, & infallibilitatis adfectationem vera eſſe plerarumque litium incitamenta: quod ipſum praeſertim a* Collinſio (*Diſcours ſur la liberté de penſer pag. 75. ſuiv.*) *Religionis Doctoribus fuit exprobratum, & exemplis Calviniſtarum & Arminianorum, Janſeniſtarum & Jeſuitarum, aliorumque confirmatum. Et certe nunquam veritates ſalutares triumphant per convitia, dicteria, ſcommata; nunquam diſſentientium animi ad errores, in quibus hactenus verſantur, agnoſcendos alliciuntur per argumenta, quae unice ab invidia ſunt ducta; cum juſtiſſima excitetur in animis Libertinorum ſuſpicio, eos, qui tantopere adverſariis ſuis iraſcuntur, calumniis, ac maledictis ſupplere illud velle, quod argumentis deëſt; ſique animadvertant, ab utraque parte id ipſum fieri, concluſio, quam formant, non admodum Religioni favet, perverſe tribuentes doctrinae de Deo rebusque Divinis, quod unice in illius Defenſoribus culpare debuiſſent.*

** Inter reliqua, quae occaſionem Atheismo praebere poſſunt (quorum plurima adhuc ſunt, ſed omnia enumerare, inſtituti ratio non patitur) illorum adhuc commemorandum inſtitutum eſt, qui dum novas exiſtentiae Dei demonſtrationes, ſive ad ingenii ſubtilitatem oſtentandam, ſive alias ob cauſas excogitant, aut obſcuras, aut minus ſolidas proferunt, quibus veritatem, quam defendendam ſuſceperunt, produnt, & omnium ludibrio exponunt, & non tantum Atheos in errore ſuo confirmant, ſed alios haud raro in eundem inducunt. Non de illis nunc loquar, qui data opera pro argumentis firmis & ſolidis, infirma & lubrica ad fallendos incautos ſubſtituunt, quod Julium Caeſarem Vaninum, aliosque, feciſſe conſtat, & ſupra nobis obſervatum eſt; ſed de illis ſermo eſt, quibus ſerio equidem conſtitutum eſt pugnare contra Atheos, Numinisque exiſtentiam comprobare; ſed, ut novi aliquid adferre videantur, vel ex ſimplicitate quadam, rejectis vel praetermiſſis argumentis receptis, ceu quotidianis, nova, ſed minus ſolida in medium adferunt. (138) Exemplo praeter alios eſſe poteſt JOSE-

PHUS RAPHSON, vir ceteroquin doctissimus, ingenioque subtilissimo praeditus, cujus *demonstratio de Deo, sive methodus ad cognitionem Dei naturalem brevis ac demonstrativa, cum Epistolis miscellaneis, de animae natura & immortalitate, de veritate religionis Christianae, de universo; &c.* Londini anno M DCC X prodiit, recusa deinceps Lipsiae anno M DCC XII. Novam enim & ex Mathematicorum scholis petitam dum ingressus est demonstrandi existentiam Dei rationem, multa quidem, quae ingenii acumen arguunt, profert, subinde tamen lubrico fundamento demonstrationem suam superstruit, talia quoque addit, quae prorsus admitti nequeunt, ne quid de obscuritate, qua haecce demonstratio laborat, commemoremus. Nihil de definitionibus dicam, in quibus subinde non tam rem explicare, quam voces idem significantes inter se permutare videtur; dum inter postulata ponit: *omne finitum posse ut non existens concipi*, (139) & inter axiomata: *quicquid est, aut a se est, aut ab alio*, cjusmodi quid postulat, ac asserit, ad quod nondum prorsus concedendum se obstrictos Athei existimabunt (140); uti in *Actis Erud. Lips. anno M DCC XII. mens. Jan. pag.* 28. & 29. observatum. Nec profecto temere quis admiserit, quod asserit, *finitum, qua tale, nihil positivi denotare; concedi posse, processum causarum in infinitum, ut tamen solus Deus aeternus & infinitus statuatur; &c.* & quae reliqua sunt ejusdem generis.

(138) *Respexit forte heic loci Cl. Auctor tum* Cartesium, *cujus argumentum, ante illum jam ab* Anselmo *propositum,* a priori *ex idea Dei deductum ad examen revocabit Cap. V. §. 1. adjecturus suas difficultates contra ejusdem argumentum* a posteriori *ex eadem idea desumtum; tum etiam* Wolffium, *cujus argumentum ex contingentia hujus mundi quodammodo displicuit* Buddeo *nostro.*

(139) *Concedi potest, assertum,* omne finitum posse, ut non existens, concipi, *inter Postulata referendum non esse, si per* postulatum *intelligamus* propositionem practicam indemonstrabilem; *spectandum potius est ut* Theorema, *quod tamen facili demonstratione ad liquidum perducitur. Uti enim* omne contingens est limitatum, *sic ab altera parte* omne limitatum, seu finitum, est contingens; *&, si contingens est*, sine contradictione concipi potest ut non existens: *sic certe existentia ex essentia non profluit, sive existentiae ratio sufficiens seu determinans in essentia non continetur. Existimant autem* Lipsienses, *ad quos provocat Cl. Auctor*, Epicuri sectatores forte negaturos hoc Raphsoni Postulatum, quia putant, atomos suas existere necessario, & ideo fingi quidem posse seu concipi confuse, quod non existant, sed hoc non posse concipi distincte. *Verum sic tollitur nexus inter finitatem & inter contingentiam, ita ut atomi sint finitae &*

& tamen necessariae, utque ex earum essentia profluat existentia; quot autem exinde sequantur absurda, patebit Cap. VI. §. 2. & 5.

(140) *Axioma hocce, quod tertio loco proposuit* Raphsonus, *istius est indolis, ut ridendos sese propinent Athei, quando id concedere detrectant; quia tertium dari non potest, si vocabula debita in significatione sumantur. Exceptio quippe*, quod atomi & vacuum nec a se sint, non ab alio, *quam nomine Epicuraeorum proponunt Lipsienses, aliis verbis significat*, atomos & vacuum rationem sufficientem suae existentiae neque in se habere, neque in alio; *sic certe sequeretur, nec atomos, nec vacuum esse entia necessaria; cujus contrarium supposuerunt Viri eruditissimi in exceptione, quam ad postulatum secundum* Raphsoni *ex mente eorundem Epicuraeorum protulerunt. Neque* secunda *exceptio contra Axioma hocce tertium, vel potius primae adstructio ullius est valoris*, quod, *scilicet*, aliquid possit esse partim a se, partim ab alio, concurrentibus plurium naturis & se mutuo adjuvantibus: *sic enim pars illa, quae est a se, rationem determinantem suae existentiae in se habet; adeoque necessario exstitit ab omni aeternitate, & ab omni parte tum quoad existentiam, tum quoad essentiam deberet esse infinita, & non limitata; quod naturae* partis *est adversum. Praeterea si Atomus E. G. partim a se esset, partim ab alio, rationem* sufficientem *suae existentiae non haberet in sua essentia repositam; sed ut existat*, aliud quid accedere deberet; *ideoque idem exinde formari potest ratiocinium, ac si supponatur, illam penitus esse ab alio. Taceo alias absurditates in hac exceptione Lipsiensium, nomine Epicuraeorum proposita, delitescentes.*

§. IV.

Proprietates Atheismi, seu quae eum comitantur, vitia, itidem variae sunt; inter praecipuas tamen referenda, stultitia ejus & irrationabilitas, * contemtus & vilipendium recte sentientium, ** externa virtutis species, qua Athei vitia animi turpissima utcunque tegere, ut eo facilius incautos decipiant, annituntur. *** Discernendi ab his sunt characteres seu criteria Atheorum, ex quibus eos, si latere cupiant, utcunque agnoscere licet. *

* Sunt equidem, qui, stultitiam & irrationabilitatem Atheis objici, aegre ferunt, hoc ipso, se eos pro hominibus admodum sapientibus habere,

 signi-

ſignificantes. Sed vitio nobis non vertent, ſi non aliter de Atheis ſentiamus, quam Rex ſanctiſſimus David ſenſit, qui diſerte *ſtultorum* nomine eos inſignivit; *ſtultus dixit in corde ſuo, non eſt Deus, Pſalm. XIV.* I. Variis idem rationibus evinci poſſet, quarum nonnullas jam in medium attulit RICHARDUS BENTLEJUS, in *orationibus ſacris*, quibus *ſtultitiam & irrationabilitatem Atheismi* demonſtravit, a viro doctiſſimo, DANIELE ERNESTO JABLONSKI, ex Anglicano idiomate in Latinum translatis. Is vero, Atheos vel inde ſtultitiae argui poſſe, oſtendit, quod cum a teneris ea imbuti fuerint religione, quae a Deo optimo maximo nos conditos, animaque immateriali & ſpirituali donatos docet, nosque in ſpem vitae aeternis affluentis gaudiis erigit, illi nulla ducti vel utilitate, vel neceſſitate moti, ſententiae receptae mittant repudium, ſibique alia omnia perſuadeant; nullum ſcilicet fuiſſe architectum hujus mundi, nec a rectore ac moderatore ſapientiſſime illum gubernari; nihil eſſe hoc univerſum, niſi materiam ſenſu carentem, & fato fortunaque impulſum; primos homines fungorum inſtar e terra natos, totumque illud, quod mentem dicimus humanam, nihil eſſe, niſi agitationem & adflictum ſubtilis cujusdam materiae, nihilque adeo manes eſſe, ſed, lethum finire omnia, *orat. I. pag.* 33. *ſeqq.* His & alia ejusdem generis addit, quae repetere inſtituti noſtri non patitur ratio; quemadmodum nec, quae alii, ſpeciatim THEODORUS UNTEREICH, in *Atheo ſtulto*, hac de re commentati ſunt. Pauca ſaltem, quae ſtultitiam & irrationabilitatem Atheorum extra omne dubium ponunt, addere liceat. Per *ſtultitiam* ſummam intellectus corruptionem, cum ingenti voluntatis perverſitate conjunctam, enotari, conſtat; & a me etiam obſervatum eſt *inſtitution. theolog. moral. part. I. cap. I. ſect. II.* §. *XXXV.* Quae vero major intellectus corruptio eſſe poteſt, quam cum quis argumentis evidentiſſimis fidem denegat, ſaltem ut ſolus ſapere videatur? Vix autem fieri poteſt, ut tanta intellectui coecitas atque caligo offundatur, niſi pravae cupiditates accedant, atque intellectum ſecum ad ineptiſſima quaevis abripiant. (141) Id vero cum in ſanae mentis hominem non cadat, non alio, quam ſtultorum loco Atheos haberi poſſe, manifeſtum eſt. Haec vero tum in aliis, tum vel in eo aperte ſe prodit ſtultitia, quod cum ipſimet concedant, vel ſaltem diffiteri nequeant, ſententiam illorum, qui Deum eſſe credunt, eumque rite colunt, ſi vel maxime errarent, nullum illis adferre incommodum, maximam contra & aeternam felicitatem, ſi vera ſint (quemadmodum revera ſunt) quae credunt; Atheorum contra ſententiam, ſi vel maxime vera eſſet (quod tamen non conceditur) nullum aut nonniſi imaginarium ad breve tempus illis adferre commodum, ſummam contra miſeriam & aeternos cruciatus, ſi errent: (quemadmodum eos errare certum eſt) nihiloſecius, priori ſententia rejecta, poſteriorem eligere malint. Hoc enim ſummae ſtoliditatis & inſipientiae

tiae esse, nemo, nisi qui prorsus excoecatus fuerit, negaverit. (142) Addere & hoc possem, conditionem illorum, qui Deum esse credunt, eumque rite colunt, in hac quoque vita, vel ipsis Atheis fatentibus, longe feliciorem esse, quam eorum, qui eum negant, & ad hoc animum obfirmant suum. Vitae vero rationem infeliciorem feliciori praeferre velle, non nisi hominis est ratione sua turpiter abutentis. Nec est, quod obvertas, haec omnia tum demum locum invenire, si Athei convicti fuerint, se in errore versari. Pleraque enim ita comparata sunt, ut nec ipsi Athei, haec ita se habere, inficiari prorsus audeant. Stultus vero etiam stultus esse non desinit, etsi, se stultum esse, agnoscere nolit. Irrationabilitas vero Atheorum vel inde maxime apparet, quod ad difficultates quasdam, quas facile, si vellent, evitare possent, superandas, systema aliquod illis amplectendum sit, quod non tantum difficultatibus pluribus & longe majoribus premitur, sed plane absurdissimum est. Ita vero rem se habere, ex mox dicendis manifestum fiet.

(141) *Ordinem, quem Cl.* Buddeus *heic loci observat, minus esse naturalem, manifestissimum redditur, si attendamus ad argumenta, quibus utitur, ut stultitiam & irrationabilitatem Atheorum demonstret, quae certe urgeri cum fructu non possunt, quamdiu vis atque efficacia argumentorum pro existentia Dei, & imbecillitas exceptionum, quibus Athei illa enervare allaborant, non est evicta. Quo quaeso! jure caeteroquin liceret quaerere:* Quae major intellectus corruptio esse potest, quam cum quis NB. argumentis evidentissimis fidem denegat?

(142) *Sic delabitur Cl. Auctor ad argumentum notissimum, quod non penitus sine fructu contra Atheos potest urgeri, desumtum* ab eo, quod tutius est; *cumque illud quasi in medio relinquat, an ab omni parte valida sint argumenta in sequentibus proponenda, salvo ordine istud potuit heic loci exhiberi, ut saltem summa Atheorum* imprudentia *patescat. Nullus eorum eo impudentiae processit unquam, ut sibi persuaderet, se suosque in tristissimo errore socios* demonstrasse, *nullum esse Deum, omniaque argumenta, pro Ejus existentia a nobis allata, esse sophismata: ad summum eo rem perduxerunt, ut, conscientiae suae os obturantes, putaverint, existentiam illam esse dubiam, & lubrico fundamento nixam; cum tamen perpendere debuissent, rem posse esse veram, licet argumentis non satis solidis demonstretur ab iis, qui illius existentiâ delectantur: interim ita vivendi rationem instituunt, acsi* certissimi *forent, nullum esse Deum; ideoque valet ratiocinium ingeniosissimi* Pascal *Pensées Art. 7. pag. m.* 41. Sed quis plus metuendum habet infernum? an is, qui ignorat, num detur infernus, sive supplicii locus, quique de sua damnatione certus est, si datur; an vero is,

 qui

qui in certa perſuaſione verſatur, infernum dari, ſed ſimul ſpem fovet, ſe ſalvum fore, ſi detur? *quod ratiocinium nervoſe exprimitur a Cardinali* de Polignac *in Antilucretio Lib.* I. *vſ.* 1085. ſeqq. *Et certe! ſi tot forent rationes contra exiſtentiam Dei, quot pro eadem militant, prudentia exigeret, ad partem adfirmantem ut ſeſe inclinent, ſaltem ita ſeſe gerant, acſi daretur Deus: nihil quippe perdunt, qui illam exiſtentiam credunt, ſi res aliter caderet; quia poſt mortem eadem foret ipſorum ſors, ac ſi Dei exiſtentiam non credidiſſent, dum in hac vita bona conſcientiâ ſanitateque voluptatibus non fractâ fuerunt gaviſi; imo ſpe fuerunt feliciores, quam Athei. Ab altera parte, Athei in perpetua anxietate verſantur; & merito; cum omnia metuenda habeant,* ſi *eventu reddantur certi de exiſtentia Dei, judicis juſtiſſimi, & ſeveriſſimi Vindicis. Sic recte* Polignac *l. c. vſ.* 1025. ſeqq. *ſermonem dirigens ad Atheum*

tibi luditur alea, Quinti!
Magna nimis. Quoque te vertas, fit tua pejor,
Conditio noſtra. Neque enim, ſi fallimur, hujus
Erroris dabimus poenas; ſors aequa manebit
Nos omnes; uno ſimul involvemur inani:
Tu, ſi deciperis, contra, ſine fine futurus
Infelix. Cur tanta igitur diſcrimina tentas?

Attamen licet hiſce ratiociniis demonſtretur incredibilis Atheorum imprudentia, *imo ſtultitia, perverſe tamen adhiberentur ad probandam divinam exiſtentiam, niſi alia accederent rationum pondera; & eo reſpectu non immerito aſſeruit ſagaciſſimus* d'Alembert (*Melanges de Litterature & de Philoſophie Tom. IV. pag.* 335) *ratiocinium illud, quod venire ſolet ſub nomine* la gageure de Paſcal, *tantum poſſe eſſe* praeparatorium, & non directum *pro magna hacce veritate argumentum.*

** Ut enim ſoli ſapere videantur, reliquos homines omnes pro inertibus, omniumque ſtupidiſſimis habent, qui non ratione, ſed coeco animi impetu, aut mera ſuperſtitione regantur. Intelligendum hoc de Atheiſmo philoſophico, quem ex ambitione praecipue oriri, ſupra ad §. I. diximus.

*** Veram virtutem Atheis is demum tribuet, qui prorſus, quid virtus ſit, ignorat. Etenim cum vera virtus conſiſtat in ſtudio ſincero ſe & omnes actiones ſuas ad voluntatem atque legem Numinis conformandi, qui fieri poſſet, ut homo, qui Deum non credit, adeoque legem divinam non admittit, ad eam tamen actiones ſuas componere anniteretur? Mul-

Multa equidem ſaepius Athei de virtute, de honeſtate, de juſtitia, loquuntur, ſed ad fucum ſaltem incautis faciendum. Omnium inſtar ſit BENEDICTUS DE SPINOZA, qui nunquam non juſtitiam & charitatem in ore habet, adeo ut omnem in ea religionem conſtituat; ſed accuratius mentem explicare juſſus, non aliam aut charitatem aut juſtitiam admittit, quam quae pactis, conventionibus, & imperii civilis auctoritate nititur. *Ut verae*, inquit, *rationis documenta, hoc eſt (ut in cap.* IV. *circa legem divinam oſtendimus) ipſa divina documenta vim juris abſolute haberent, neceſſe fuiſſe, ut unusquisque jure ſuo naturali cederet, & omnes idem in omnes, vel in aliquot, vel in unum transferrent, & tum demum nobis primum innotuit, quid juſtitia, quid injuſtitia, quid aequitas, quidque iniquitas eſſet. Juſtitia autem & abſolute omnia verae rationis documenta, & conſequenter erga proximum charitas, a ſolo imperii jure, hoc eſt (per ea, quae in eodem capite oſtendimus) a ſolo eorum decreto, qui jus imperandi habent, vim juris & mandati habent;* in *tract. theolog. polit. cap.* XIX. *pag.* 215. Idem deinceps repetit: *Juſtitia a ſolo ſummarum poteſtatum decreto pendet, adeoque nemo, niſi qui ſecundum earum concepta decreta vivit, juſtus eſſe poteſt, loc. cit. cap.* XX. *pag.* 228. Cum vero juris naturalis antea mentionem fecerit, non ita hoc eſt capiendum, ac ſi legem quandam naturalem admiſerit, ſed nihil aliud hoc nomen intelligit, quam naturalem quidlibet agendi facultatem. Id ipſe iterum diſerte & citra ambages profitetur: *Per jus & inſtitutum naturae nihil aliud intelligo, quam regulas naturae uniuscujusque individui, ſecundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus, ad certo modo exiſtendum & operandum, e. gr. piſces a natura determinati ſunt ad natandum, magni ad minores comedendum, adeoque piſces ſummo naturali jure aqua potiuntur, & magni minores comedunt. Nam certum eſt, naturam abſolute conſideratam jus ſummum habere ad omnia quae poteſt, hoc eſt, jus naturae eo usque ſe extendere, quousque ejus potentia ſe extendit. Et quia lex ſumma naturae eſt, ut unaquaeque res in ſuo ſtatu, quantum in ſe eſt, conetur perſeverare, idque nulla alterius, ſed tantum ſui habita ratione, hinc ſequitur unumquodque individuum jus ſummum adhuc habere. Jus itaque naturale uniuscujusque hominis NON SANA RATIONE, SED CUPIDITATE ET POTENTIA DETERMINATUR, tract. theolog. polit. cap.* XVI. *pag.* 175. Nullam itaque cum admittat legem Divinam, mirum non eſt, quod & nullum admittat peccatum. Peccatum enim eſt ἀνομία. Ubi ergo nulla lex, ibi & nullum peccatum. Idque, qua eſt impudentiâ, diſerte quoque profiteri non dubitat: *In ſtatu naturali peccatum concipere non potuimus, nec Deum tanquam judicem homines propter peccata punientem; ſed omnia ſecundum leges univerſae naturae communes ferri, & eundem caſum (ut cum Salomone loquar) juſto ac impio, puro ac impuro &c. contingere, & nullum locum juſtitiae nec charitati eſſe; tract. theol. polit.*

polit. XIX. *pag.* 215. Conveniunt haec prorſus cum philoſophia THOMAE HOBBESII, qui itidem non alias, quam civiles leges admittit, & in ſtatu naturali homini quidlibet committendi facultatem concedit. *Natura*, inquit, *dedit unicuique jus in omnia, hoc eſt, in ſtatu mere naturali, ſive antequam homines ullis pactis ſeſe invicem obſtrinxiſſent, unicuique licebat facere, quaecunque & in quoſcunque libebat &c. de cive, cap.* X. §. X. Haec vero omnia, quam abſona ſint, nemo non intelligit, & vel inde etiam conſtat, quod ſublatis legibus Divinis, ipſum etiam imperii civilis fundamentum evertant, ſimulque juſtitiam, & quaſcunque ei ſuperſtruunt virtutes. Fatentur enim, vel ſaltem fateri neceſſe habent, imperium civile pactis niti & conventionibus; ſed ſi leges Divinas, quae pacta ſervare jubent, tollas, quid quaeſo eſt, quod pacta ſervanda homines inducere queat? Nihil puto, aliud, quam utilitas. Ergo & ſubditi tam diu imperantibus parebunt, quamdiu hoc e re ſua eſſe exiſtimaverint. Sed hac de re deinceps plura. Nunc ad PETRUM BAELIUM accedimus, qui virtutem & honeſtatem Atheorum paſſim laudat, nullamque prorſus cauſam eſſe exiſtimat, cur non Athei aeque honeſti (ſi non honeſtiores) & virtuti dediti, cenſeri debeant, quam Idololatrae aut ſuperſtitioſi homines, aut qui vera equidem Dei cognitione imbuti ſunt, ſed eam vita moribusque ſuis non exprimunt. Id paſſim agit, multisque verborum ambagibus confirmare annititur, dans *les penſées diverſes* §. CXXXIII. *pag.* 261. *ſeqq.* item, *dans la continuation des penſées*, §. LXX. *pag.* 407. Sed in apologetica quoque Diſſertatione, ſententiam ſuam hac de re explicat atque defendit, quae ſubnexa eſt *tom.* III. *dictionarii hiſtorico-critici pag.* 3137. *ſeqq.* (143) Qua de re ut paucis, quid & nobis videatur, dicamus, & nebulas, quas Vir doctiſſimus veritati obducit, diſpellamus, primo quidem in eo nobiſcum conſentit, veram virtutem, quae ex amore Dei fluit, in Atheum non cadere. Hoc enim diſerte profitetur *diſſertat. cit.* §. VII. *pag.* 3137. Rurſus vero & nos cum eo conſentimus, tum Atheos, tum alios homines, qui de exiſtentia Numinis perſuaſi ſunt, cupiditatum tamen ſuarum potius, quam religionis ductum ſequuntur, gloriae & laudis cupidine, aut metu infamiae, vel mortis, aliisve cauſis plurimis, ad honeſta conſectanda, turpia autem evitanda induci poſſe, adeoque externam prae ſe ferre virtutis ſpeciem. Quaeſtio igitur eo redit, ſi utrique inter ſe comparentur, num eodem habendi ſint loco, an vero illorum, qui vitiis equidem indulgent, ſed Dei tamen quodam timore tanguntur, in externae virtutis ſtudio quaedam prae Atheis ſit praerogativa? Negat hoc PETRUS BAELIUS, nos vero id affirmandum cenſemus. Omnia namque, quae *dans les penſées diverſes l. c.* item *dans la continuation l. c.* copioſe & facunde hac de re diſſerit, eo tandem redeunt, homines, cupiditatibus ſuis inſervientes, non ſecundum religionis, quam pro vera habent, principia, ſed

ſecundum adfectus, quibus abripiuntur, vitam ſuam inſtituere. Quod quidem ſaepiſſime contingere, lubenter concedo, nec tamen id noſtrae cauſae officit. Rurſus namque & id concedendum eſt, multos, qui, etſi pro veris Chriſtianis non ſint habendi, attamen quodam Numinis timore tanguntur, tum ſaltem, cum adfectus ceſſant, omnino religionis ductum ſequi, perque eam ad mala evitanda, honeſta autem conſectanda, concitari poſſe. Quare, ut comparatio rite procedat, ponamus primo, Atheum & ſuperſtitioſum in eodem adfectu conſtitutum, cui uterque reſiſtere nequeat; Atheus, cum nullo prorſus obſtaculo retineatur, promte ſtatim faciet, quae male ſana cupiditas ſuadet: ſuperſtitioſus metu Numinis utcunque retinebitur, etſi tandem ob vim adfectus ſuccumbat. Atque hactenus, ſi effectum ſpectes, par utriusque erit ratio. Pone vero, adfectum tam vehementem non eſſe, ut non eorum, quae Numinis metus hominibus ſuggerit, repraeſentatione ſuperari queat, quod ſane ſaepiſſime contingit, Atheus tum ſine haeſitatione faciet, quae cupiditas ſuadet, cum nihil ſit, quod illum retineat, abſtinebit contra alius, & quidem ſola religione ductus. Unde liquido conſtat, minus mali ab hominibus improbis etiam, quibus tamen ullus religionis ſenſus eſt, metuendum eſſe, quam ab Atheis. Quod ni fallor, ad evertendam penitus Viri doctiſſimi ſententiam ſufficit.

(143) *De celebri hacce quaeſtione, quae arctiſſime eſt connexa cum illa, quam pertractat Cl.* Buddeus §. ſeq. *egerunt plurimi eruditione inſignes Viri, inter quos prae reliquis memorandi* Crouſaz *Examen du Pyrrhomisme pag.* 595--721. *& Divers ouvrages Tom.* 1. *pag.* 64. *ſuiv.* Fayus *contra Tolandum Cap.* 28. Poiret *Cogit. Rat. L.* 3. *C.* 8. §. 9. Werenfels *Opuſc. Tom.* 2. *p.* 244. *ſeqq.* Fabricius *Delect. Argum. Cap.* 9. *pag.* 322. *ſeqq.* Duguet *Inſtit. d'un Prince pag.* 253. *ſeqq.* Hochſtetterus *in Diſſert. ſelectis pag.* 225. *ſeqq.* Barbeirac *ad* Puffend. *Droit de la Nature & des Gens L.* 2. *C.* 3. §. 19. *no.* 2. *& L.* 2. *C.* 4. §. 3. *no.* 4. *pag.* 252—259. Gaſtrel *dans la Defenſe de la Religion Tom.* 1. *pag.* 461—476. Warburton *Goddelyke Zendinge van Moſes* 1ſte *Deel* 1ſte *Boek* 4de *Afd. enz. Breviter tantum nonnulla notabo, ad illuſtrationem atque confirmationem eorum, quae ab Cl. Auctore proponuntur, tendentia. Certiſſimum eſt, Atheum externam poſſe monſtrare virtutis faciem, quando perſuaſus eſt, omnia, a Lege caeteroquin naturae praeſcripta illis, qui Deum Legislatorem agnoſcunt, facere ad ſalutem, ordinem, tranquillitatem & pacem ſocietatis humanae, & ſingulorem, qui eam componunt: ex ſenſu igitur utilitatis ſuae virtutem colere videbitur, ſi perſpicacitas ipſius adeo ſit ingens, ut veram perfectionem felicitatemque ab apparenti perpetuo diſcernat; ſi nunquam adfectibus immoderatis & turbulentis rapiatur*

in transversum. Verum hypotheses illae, si ad experientiam attendamus, evanescunt, & homines considerandi, non quales esse possent, sed quales sunt, qualesque se quotidie monstrant; neque unius alteriusve Athei perspicacioris ac bene morati suaeque naturae bonitate quasi victi exemplum rem conficere posset; cum certissimum sit, hominem, cui ingenii acumen ac placidum temperamentum obtigit, posse utilitatis & commodi proprii causa abstinere a sceleribus. Verum, ut rem hancce recte putemus, duas nobis proponere deberemus societates aeque perspicaces, aeque ab adfectibus, secundum naturale temperamentum, liberas, aeque ambitione agitatas, aeque numerosas, quarum una ex Atheis, altera ex Religiosis, vel ex superstitiosis (quos Athei saepissime, si non semper, cum Religiosis confundunt) est composita, & facile erit demonstrare, hanc illâ esse feliciorem, & tranquilliorem, moribusque laudabilioribus conspicuam. Societas inter meros Atheos inita, utut conflata ex hominibus perspicacioribus, erroribus est obnoxia; quaedam ex illius membris perverse quandoque judicabunt de propria felicitate; media adhibebunt minus legitima, praesertim si adfectuum imperio subjiciantur; nec ullo retinebuntur fraeno, quominus, secreto saltem, instituant actiones ad laesionem aliorum, vel ad turbandam societatem facientes; cum omniscii & omnipraesentis Legislatoris & Judicis veneratione & metu non deterreantur. Duplex in societate Religiosa datur ad virtutem, ad conservandam promovendamque salutem propriam, ac societatis pacem, tranquillitatemque, incitamentum, amor felicitatis (quem cum Atheistica habet communem) & inserviendi finibus Divinis, atque independentis Domini ac Imperantis sanctissimi indignationem effugiendi, studium conjunctum cum tenerrimo supremi Benefactoris amore, ac cum sincera Ejus reverentia: & sic concludere licet cum Bentlejo *de stultitia Atheismi Orat.* 1. *pag.* 53: Quod si epidemica Atheismi lue universam gentem ponamus infici, tum vero longum valete omnia vincula amicitiae & generosa honorum incitamenta, omnis in Patriam amor & in Principem fides! imo vero longum vale ipsa Respublica atque societas! valete omnes professiones & artes, omnia vitae commoda & emolumenta, & quidquid chari atque praeclari habet orbis. *Amicitia certe sola utilitate probabitur, honoris incitamenta non satis potentia erunt, quia ad leges divinas nullus habetur respectus; nemo permovebitur ad praeclara facinora in patriae salutem & commodum, aliquo cum vitae periculo juncta, patranda; pactorumque etiam juramentis confirmatorum nulla erit efficacia. Et licet superstitio plurimas excitet quandoque turbas in societate humana, manet tamen in superstitiosis duplex illud incitamentum; nec in alios sunt injurii, nisi in eos, qui in negotio Religionis a se dissentiunt. Conferantur ea, quae dicemus ad* §. *sequentem V. n°.*

* Characteres Atheorum, ex quibus, cum latere cupiant, dignosci possint, sequentes tradi solent: quod quavis data, aut arrepta occasione, dubia contra Numinis aut existentiam, aut providentiam proponant, aut ab aliis proposita pro insolubilibus venditent; quod nihil, quod naturae superet vires, admittant; hinc & miracula aut inficientur, aut ad causas naturales revocent; Divinarum item quod elevent litterarum auctoritatem; religionemque mysterii omnis expertem cupiant; & quae alia sunt ejusdem generis, a GISBERTO VOETIO commemorata *disput. de Atheismo, part.* I. *disputation. selectar. pag.* 238. *seqq.* qui & *pag.* 135. adjuncta seu proprietates Atheismi, sed more suo, recenset. Verum praeterquam, quod characteres isti non uno omnes habendi sint loco, in adplicatione caute admodum versandum, ne viris innocentibus temere Atheismi nota inuratur. Id jam monui in *dissertat. de pietate philosophica* seu *religione naturali*, quae extat in *selectis juris naturae & gentium*, §. LVII. *pag.* 262. *seqq.* (144)

(144) *Cl. Auctor memoratis characteribus adjungit l. c.* quod non adhibeant fidem illis, quae de apparitionibus & operationibus Spirituum a scriptoribus fide dignis traduntur; *qualis tamen character dari potest in homine de existentia Dei penitus persuaso, ac vera pietate conspicuo, nisi agatur* tantum *de illis apparitionibus & operationibus, quae expresse memorantur in historia sacra. Attamen adjicit l. c. Cl.* Buddeus, hisce tum demum probandi vis inest, si juncta sint inter se aut omnia, aut pleraque; sique nobis cognita accurate sint & explorata.

§. V.

Effectus denique Atheismi sunt, summa miseria, quam in hacce jam experiuntur vita, qui eodem sunt infecti * & difficultas admittendi emendationem; ** in alios vero, si contingat, ut ad plures malum hocce serpat, non possunt non plurima inde maximaque redundare incommoda, cum rerumpublicarum per eum dissolvantur vincula, & fundamenta, quibus civium salus, omnisque vitae tranquillitas, innititur, concutiantur & labefactentur; *** ut adeo non temere gravior pestis, aut, quod hominum generi noxium magis sit, quam Atheismus, cogitari queat. (145)

(145) *Quia Atheismus summopere est noxius Reipublicae ac toti humano generi, quaesitum fuit,* an poenis civilibus sit coërcendus? *opiniones certe eo sunt magis damnosae, quo earum effectus atque sequelae magis turbant societatis civilis & humanae tranquillitatem pacemque, quo magis dissolvunt Reipublicae vincula, fidemque vacillare faciunt; ideoque omni virium contentione monstroso dogmati remoram esse injiciendam, ne latius serpat perniciosissima pestis, extra dubitationis aleam est constitutum. Verum duae hic considerandae sunt Atheorum species: dantur, qui de existentia Dei dubitant, imo eam non agnoscunt, vel quia non satis attendunt ad argumenta, quae pro hacce veritate adferuntur, vel quia vehementioribus animi adfectibus atque perversa ambitione aguntur in transversum: dantur alii, qui optant & in corde suo dicunt, non esse Deum, ne existat ultor suorum scelerum; qui alios, praesertim imperitos & voluptatibus deditos, in suam sententiam pertrahere conantur, suppeditando publicis scriptis & sermonibus cavillationes quasdam pueriles contra argumenta pro existentia & providentia Divina, quique hac ratione ex hominum animis Religionem eradicare, firmissimumque societatis vinculum perrumpere satagunt.* Primae *speciei Athei, (licet diu ac serio de existentia Dei dubitare vix possint, cum argumenta eam demonstrantia sint simplicissima, omnium captui accommodata, & apodictica;) si modo a docendo abstineant, poenis non sunt adficiendi, cum vitium magis in intellectu, quam in voluntate suam habeat sedem; sed insanientium instar ad eos sunt ablegandi, qui gravissimo mentis morbo medelam adferant; & sane absque injuria possunt cogi, ut sua dubia proponant, non imperitis & indoctis, sed iis, qui vires suas in hacce palaestra exercuerunt, quique, ratione muneris, quo funguntur in Republica, harum rerum debent esse peritissimi; ut sic ipsi tandem experiantur, quam levis armaturae sint milites, quam superficiaria imo quam lamentabilis sit illa, qua sese supra alios efferre quandoque student, eruditio. Verum longe alio modo judicandum de* secundae *speciei Atheis, qui severioribus poenis omnino sunt coercendi; quoniam quavis data occasione blasphemiam committunt, & putrida Reipl. membra sunt habendi, qui in propriam doctrinam impingunt, Religionem omnem inter inventa Politicorum referentes, ut homines in officio suo continerent arctiusque constringerent societatis vincula. Undique igitur committunt crimen laesae majestatis cum divinae, tum humanae; si autem poenae severissimae infligantur ob laesam majestatem* humanam, *minus graves esse non debent poenae, quae infliguntur ob laesam majestatem* Divinam, *cum bonus & fidelis subditus ferre non possit, ut maligno animo rebelles irrideant gravissimasque laesiones inferant Principi, cujus imperium agnoscit, & a quo innumera accipit beneficia, ex paterna Ipsius cura, qua omnes suos subditos complectitur, profluentia. Vid.* Barbeirac *ad* Puffend. *de*

J. N.

J. N. & G. Lib. 3. *C.* 4. §. 4. Hochſtetterus *Diſſ. Select. pag.* 225. *ſeqq.*

* Quod ſi ipſos Atheos audias, minime infelices erunt, quippe qui omni metu, quem aliis peccatorum conſcientia, aut de ſtatu animae poſt hanc vitam anxia ſolicitudo incutit, quove haud raro non mediocriter mortales anguntur, ſe liberatos profitentur; ſique ita ſe gerant, ut hujus vitae incommoda aut evitent, aut aequo animo ferant, nihil amplius eſſe videtur, quod illos excruciet. Verum ſi intimiores animorum in hiſce hominibus receſſus introſpicere daretur, longe alios eos deprehenderemus, quam videri volunt. Sane, quod de tyrannis ex mente PLATONIS, CORNELIUS TACITUS dixit: *ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniatus, & ictus, quando, ut corpora verberibus, ita ſaevitia, libidine, malis conſultis animas dilaceretur; Annal. lib.* VI. *cap.* VI. id pari ratione de Atheis dixeris, metu, terrore, morſibusque conſcientiae, ſubinde eorum animos mirum in modum dilacerari. Quicquid enim dicant, quicquid jactitent, quicquid ſimulent, nunquam de ſuo tam firmiter perſuaſi errore eſſe poſſunt, ut non veritatis ſubinde ſtimulos ſentiant, & hinc animus ſummae impietatis eos convincat, ſimulque cogitare jubeat, quid a juſtiſſimo illo ſeveriſſimoque judice tandem illis expectandum ſit, contra quem tam proterve inſurgunt. Et hoc ad ſummam in hac vita miſeriam ſufficit. Hinc & ipſam veritatem Atheis ejusmodi voces quandoque expreſſiſſe novimus, *quantumvis errent, qui Deum eſſe credant, & colant, feliciores tamen eſſe, quam eos, qui, non eſſe Deum, perſuaſi ſint.* conf. B. PHIL. JACOBI SPENERI Ubereinſtimmung mit der Augsburgiſchen Confeſſion / *artic. praelim. I. theſ. VII.* §. *VIII. pag.* 14. *ſeqq.* (146)

(146) *Omnia illa argumenta, quae monſtrant virtutis pulcritudinem, Religionis utilitatem, uberrimosque fructus, amoenitates conſcientiae, quae nulla culpâ palleſcit, eximia privilegia, quae ex amicitia cum Deo profluunt, etiam demonſtrant ſummam miſeriam Atheorum, qui omnibus hiſce bonis ſunt deſtituti, vel potius iis ex mera petulantia ſe ipſi privant. In ſecundis rebus anxius, de futuro incertus, in adverſis conſolatione carens, cum nullam in Divina providentia ſpem reponat Atheus, propriae miſeriae eſt Architectus; dum laetiſſimam ac ſalutiferam de exiſtentia Numinis optimi & amore digniſſimi perſuaſionem omnemque ſpem, quae in ea eſt fundata, ex animo ſuo eradicare ſtudet, cunctorum odium merite in ſe concitat; ita ut quilibet Vir bonus ipſum fugiat tanquam praedonem publicum, atque humani generis teterrimam peſtem; & certe, ſi ſaperet, abſtinere deberet a docendo (quod nihilominus ex vana ipſisque damnoſa ambitione faciunt deſipientes Athei) ne aliorum animis inſtillet principia, per quae ipſe* ne-

neque de vita ſua, neque de fama, neque de bonis per temporis momentum poteſt eſſe certus; ita ut a lamentabili etiam miſeroque ſolamine ſit deſtitutus, quod fortaſſis ex aliorum in hocce errore conſortium dementiâ perciperet; cum firmiſſima ſocietatis humanae atque civilis vincula perrumpens, omnisque fiduciae evertens fundamentum, tot hoſtes ſibi procreet, quot ſuae doctrinae facit proſelytas, & inter ſuae ſectae homines nunquam veros fidosque invenire poſſit amicos. Vid. Crouſaz *Traité du Beau Tom. 2. pag.* 109-275. *la Theorie des Sentimens agreables Ch.* 12-15. Werenfels *Opuſcul. Tom. II. pag.* 246. *ſeqq.* Reimarus *Voornaamſte Waarheden van den Natuurl. Godsdienſt. pag.* 698. *ſeqq. of tiende Verhand. §. XII. ſeqq* Cudworth *Syſt. Intell. pag.* 1190. *ſeqq. ubi rectiſſime ſic concludit:* eam ergo diſciplinam, quae omnem hominibus bene ſperandi facultatem adimit, neminemque fieri ulla ratione beatum poſſe decernit, neſcio, num ſanus aliquis exiſtimare poſſit, ſi quidem vera eſſet, viam homini ad multas opportunitates, & emolumenta fore munituram?

** Fieri ſane poteſt, ut agnito errore ad ſaniorem mentem redeat Atheus; idque factum etiam aliquando, novimus. Illuſtre cumprimis, longeque notiſſimum eſt exemplum Roſtae Comitis, de quo ſcripto quodam peculiari egit GILBERTUS BURNETUS, quod ex Anglicano idiomate in Latinum translatum, hocce titulo proſtat: *Roſtae Comitis in extremis μετάνοια, ſeu poenitentia ſalutaris, a Gilberto Burneto memoriae prodita &c. Ultrajecti anno M DC XCVIII.* Nec ſine ratione in ipſo titulo additur: *opellam hanc ad convincendos ſeculi hujus Atheos & Apoſtatas apprime eſſe utilem.* Interim tamen & hoc eſt certiſſimum, & paucos eſſe, qui ex hiſce laqueis iterum ſe expediunt, & plurima obſtare, quo minus ſe iterum expedire queant. Primum emendationis initium eſt, agnoſcere errorem, miſeriamque, qua circumſepti ſunt, qui alieno a Deo ſunt animo, intelligere. Atheus vero tantum abeſt, ut agnoſcere velit, ſe errare, ut ſolus ſibi ſapere videatur, reliquos vero homines omnes in errore verſari credat; multo vero minus ſe miſerum exiſtimabit, cum ejus metus, qui reliquos mortales angat atque excruciet, ſe immunem eſſe cenſeat. Fruſtra etiam ei verbum Divinum opponas, quippe quod reſpuit, nec pro Dei verbo agnoſcit, immo contemnit; tantum abeſt, ut ei morem gerere paratus ſit. Rationi omnia equidem tribuit, ſed pravae atque corruptae; rectae autem eo minus locum relinquit, quo difficilius, ut pravae ſuae ratiocinationis defectus agnoſcat, induci poteſt. Accedit, quod error iſte, quantumvis execrabilis, hominibus cupiditatibus ſuis indulgentibus gratus eſſe non deſinat; ſua vero natura homines ita comparati ſint, ut, quae eis grata ſunt, vera etiam eſſe credant. Mitto reliqua; cum iſta, quae diximus, difficul-

cultatem ex ſordibus impietatis, quibus Atheus immerſus eſt, eluctandi, ſatis oſtendant. (147)

(147) *Eaedem rationes & cauſae, quae hominem ad Atheismum abducunt, efficiunt quoque, ut in eodem perſeveret: Averſio a Deo, independentiae affectatio, in voluptates proclivitas, perverſa ambitio, ſupra alios eminendi ſtudium, familiaris cum Libertinis vitaeque diſſolutioris hominibus converſatio, diligens librorum, qui ad Atheismum viam ſternunt, lectio, fuga denique ab omni loco, in quo melius poſſent doceri, eos Atheismi tenaciſſimos debent reddere; praeſertim cum prima converſionis ad meliorem frugem ſtamina rideantur, & ſic proculcentur ab ferocibus illis animalibus, quorum conſortio unice delectantur. Accedit tandem maleſana cum Deo, cujus favorem & amicitiam flocci fecerunt, cujusque Majeſtatem tantopere laeſerunt, in gratiam redeundi deſperatio; dum vitam pie, temperanter & juſte agere ipſorum plerisque abiit in deſuetudinem. Si hoc modo conſideretur Atheismus, operae pretium non eſt, ut diſputetur, an haecce emendationem admittendi difficultas inter* effectus *hujus morbi, an vero inter ejusdem* proprietates *debeat referri; poſterius voluit* Reimmannus *Hiſt. Ath. pag.* 20. *ſeq.; eſt* effectus *quatenus ipſa Divinae exiſtentiae negatio iſtiusmodi homines magis magisque a Deo alienatos reddit, atque averſionem a fonte omnis boni magis facit pertinacem; eſt* proprietas, *quatenus ipſa morbi indoles hancce difficultatem involvit, uti inter morborum corporis, qui difficulter ſanantur, proprietates numeratur, quod plerumque Medicorum conamina & herbarum vires eludant.*

*** Quaeſitum noſtra aetate fuit, num Atheismus ſtatui civili noxius ſit, aut ſaltem, an majus damnum adferat, quam idololatria aut ſuperſtitio? Ad quod quid reſpondendum ſit, dijudicare equidem quodammodo ex iis licet, quae antea de virtutibus Atheorum diſputavimus. (148) Juvabit tamen, hic reliqua excutere, quae PETRUS BAELIUS pro illorum ſententia, qui Atheismum rebus publicis non adeo noxium eſſe credunt, in medium adfert. Ut autem a prima origine rem repetat, ipſas ſocietates ad humani generis conſervationem non adeo neceſſarias eſſe credit, cum experientia doceat, integras gentes ſubſtitiſſe, quae tamen in unam quandam ſocietatem civilem non coaluerint; id quod exemplo Aboriginum in Italia, Getulorum & Lybiorum in Africa, comprobare annititur. Refert huc, quod de Cyrenaicae quibusdam incolis POMPONIUS MELA memorat: *Sequuntur vagi pecora: utque a pabulo ducta ſunt, ita ſe ac tuguria promovent; atque ubi dies deficit, ibi noctem agunt. Quanquam in familias paſſim & SINE LEGE diſperſi, nihil IN COMMUNE conſultant &c. de ſitu orbis, libr. I. cap. VIII. pag. m.* 14. Hinc vero porro concludit, cum populi per familias diſper-

ſperſi ſine religione ſecure & tranquille vivere potuerint, multo magis de illis, qui in rempublicam quandam aut ſocietatem civilem coaluerunt, idem dicendum; cum, qui in ejusmodi ſocietatibus conſtituti ſunt, facilius praemiorum ſpe & metu poenarum, in officio contineri poſſint, quam qui extra ejusmodi ſocietates degunt. Experientiam praeterea huic ſententiae ſuffragari exiſtimat, cum hinc inde ſocietates quaedam civiles ſine ulla religione ſubſtiterint: quod Cafrorum in Africa, aliorumque populorum exemplo comprobare annititur. Multa alia hunc in modum diſſerit, *dans la continuation des penſées diverſes &c.* §. *CXVIII. pag.* 568. *ſeqq.* Eandem vero ſententiam dum contra JAC. BERNARDUM defendit, *dans la Reſponſe aux queſtions d'un provincial, tom. IV. cap. XVII. pag.* 232. *ſeqq.* novas quoque, quibus eandem confirmet, adfert rationes. Inter has praecipua mihi eſſe videtur, quod dicit, cum ſocietatis civilis ſeu reipublicae, in qua quisque vivit, conſervatio ita comparata ſit, ut maxima inde ad omnes ac ſingulos commoda redundent, neminem ſanae mentis, adeoque nec Atheum, temere quidquam admiſſurum, quod civitatis rationibus repugnet: hoc enim ſi faciat, ſuis ipſum minus recte conſulere rebus. Ipſam itaque utilitatis rationem, & commoda plurima, quae ſalvo civitatis ſtatu Athei etiam ſperare poſſunt, non permiſſura, ut aliquid committant, quod civitati noxium ſit, ut adeo nullo ad hoc religionis opus ſit vinculo. Cum vero JACOB. BERNARDUS inter alia objeciſſet, vel ipſorum Atheorum confeſſione neceſſariam eſſe, ad conſervandam rempublicam, religionem, cum magno conſenſu eam pro inſtrumento quodam politico, ad continendum in obſequio populum, excogitato, habeant, PETRUS BAELIUS reſpondet, non tantum Atheos, ſed alios etiam Viros doctos ita quidem ſentire, nec tamen hoc eos velle, ac ſi religio ad conſervandam rempublicam prorſus ſit neceſſaria, ſed quod adjumentum aliquod aut praeſidium ſaltem ad rempublicam conſervandam adferat. Etſi vero religio forte commodum aliquod adferat; eandem tamen ſubinde haud minora ſecum vehere incommoda, cum haud raro per eam ſummi imperantes in eum rerum ſtatum deveniant, ut a nutu illorum, qui religionis cuſtodes videri volunt, pendere cogantur. Multa alia ejusdem generis profert, ut evincat, conſiſtere rempublicam poſſe, in qua, ſublata religione omni, Atheismus triumphet. Quae cujusmodi ſint, ex hocce, quod dedimus, ſpecimine, facile intelligitur. Ut vero, quam lubrica cuncta ſint, oſtendamus, pauca obſervabimus. Quod primo loco dicit, ſocietates civiles ad humani generis conſervationem non prorſus eſſe neceſſarias, id tum demum concedimus, ſi gens quaedam a reliquis gentibus ita ſeparata habitet, ut nullum ab aliis agentibus ei adferri incommodum queat. Secus enim ſi res ſe habeat, ridiculum foret, perſuadere ſibi velle, nullum iſti genti ab aliis imminere periculum. Qui dominandi cupidinem,

nem, aut avaritiam etiam hominum insatiabilem cogitat, nunquam animum inducet, ut credat, tutam ejusmodi gentem a vicinorum populorum vexationibus aut incursionibus fore. (148*) De gentibus praeterea, quas in exemplum adducit, nondum satis constat, annon speciem quandam societatis inter se habuerint, quemadmodum nec de intestinis illorum discordiis, dissensionibus, aliisque malis domesticis, quicquam constat, quorum eas prorsus immunes fuisse, non est credibile. Multo vero minus evictum est, eas gentes omnis religionis fuisse expertes. Hoc tamen audacter assumit BAELIUS, dum ita rationes subducit: si gentes extra societatem civilem constitutae absque religione consistere potuerunt, multo magis de illis hoc dicendum, quae in ejusmodi coaluere societates. Prius enim adhuc probandum erat. Quanquam & ipsa non recte procedat argumentatio; cum, quo majores societates sunt, eo arctioribus ad eas conservandas opus sit vinculis. (149) Quod vero dicitur, gentes quasdam, quae in civiles societates coaluerunt, sine omni religione vixisse, & rempublicam suam conservasse, id iterum non temere omnibus persuadebit. Scio de Cafris, aliisque gentibus, ejusmodi quid a quibusdam commemorari; sed hoc quoque scio, ab aliis hoc vocari in dubium. Sed hac de re deinceps erit dicendi locus. Nec quidquam altera evincit ratio, ab utilitate, quam Athei ex reipublicae conservatione capiunt, desumta. Nihil enim inde aliud sequitur, quam Atheos, si perspiciant, rebus suis conducere, salvam rempublicam esse, tamdiu boni civis officio functuros, quamdiu id rebus suis expedire credent. Quodsi vero errore ducti aliter existiment; aut commodum istud, quod ex reipublicae conservatione ad se redundat, non intelligant; aut, si utilius sibi esse credant, totum reipublicae statum everti, ecquid est, quod a maximis atrocissimisque facinoribus eos retinere queat? Esto, & superstitiosos ejusmodi quandoque furiis agitari, nullum tamen est dubium, illos, qui, Deum esse, credunt, subinde ejus metu ab ejusmodi sceleribus retrahi, quod de Atheis asseri nequit. Quod vero dicit, eos, qui religionem pro instrumento dominandi, & populum in officio continendi, habent, non ita hoc intelligere, ac si religionem ad reipublicae conservationem prorsus necessariam judicent, sed quod ad bene esse saltem faciat, ac adminiculum aliquod, seu praesidium adferat, non magis, quam reliqua, admitti, sine accuratiori explicatione, potest. Quo pacto Athei equidem hoc intelligant, de eo nunc non disquiram; nec id nunc monebo, an qui Atheus non sit, religionem pro mero commento politico habere possit, cum contrarium pauci sibi persuasuri sint: utcunque alii hoc intelligant, res ipsa docet, rempublicam sine omni religione consistere non posse. Atque hoc sic evinco: fundamentum aliud reipublicae, seu societatis civilis, concipi nequit, quam pactum inter Impe-

rantes & cives initum, quo hi illorum ſe imperio ſubjecerunt. Hoc vero nititur lege divina, quae pacta ſervare jubet. Sublata autem lege divina, quae vis, quae efficacia, quae obligatio pactorum erit? Nonne extremae ſtultitiae eſt, pacta cum hominibus inire, qui putant ſe ad ea ſervanda non eſſe obſtrictos? Ergo ipſum omnis ſocietatis civilis fundamentum corruere neceſſe eſt. At utilitatis, inquis, ratio inducet homines, ut pacta ſervent. Eo quidem res omnis tandem redit. Sed, quid ad hoc reſpondendum ſit, antea jam oſtendimus. (149*) Patet itaque, Atheorum nullam revera rempublicam eſſe poſſe; ſimulque, quam noxius rebuspublicis Atheismus ſit, intelligitur. Superſtitio tamen forte, inquis, atque idololatria, ſi non magis, certe aeque noxia eſt. Id quidem vehementer urget PETRUS BAELIUS. Ego vero nulla ratione nego, ex ſuperſtitione ſeu idololatria plurima in rempublicam redundare incommoda, nec abnuo, per ſuperſtitionem ad maximam crudelitatem & atrociſſima facinora edenda, homines quandoque inductos, quod exempla Imperatorum gentilium, qui immaniſſimis ſuppliciis Chriſtianos adfecerunt, demonſtrant: ſed duo hic ſedulo obſervari velim. Alterum eſt, facinora ſuperſtitioſorum hominum non ſemper ipſi ſuperſtitioni, ſed pravis illorum cupiditatibus, qui ſuperſtitionis tegumento obvelantur, tribuenda eſſe. Quare, ſi ponamus, Atheum iisdem cupiditatibus inflammatum, non tantum eadem aget, quae ſuperſtitioſus, ſed tanto ad quidlibet perpetrandum audacior erit, quo minus fraenum aliquod internum adeſt, quo retineri queat. Alterum hoc eſt, ſi ipſa ſuperſtitio ad crudelitatem, vel alia vitia homines impellat, tum quidem, quicquid ejusmodi homo agit, per errorem agit, dum falſa perſuaſione inductus, exiſtimat, ſe rem Deo gratam facere, ut ipſe Servator nos condocet, *Joan. XVI.* 2. Hoc ergo ut non tam ſuperſtitioni, quam errori tribuendum eſt, ita non mitiora ab Atheo exſpectes, per errorem in eam ſententiam inducto, aut ſibi aut reipublicae expedire, vel omnino neceſſarium eſſe, ut omnes homines fiant Athei. Unde ſequitur, Atheismum cum ſuperſtitione comparatum, ad minimum aeque noxium eſſe; in ſe autem ſpectatum, longe pernicioſiorem: cum per ſuperſtitionem ſaepius a pravis facinoribus homines retrahi queant, per Atheismum autem nunquam, qui ipſum etiam vinculum ſocietatis civilis prorſus ſolvat. (149**) Quodſi tandem inter Atheismum & Chriſtianam religionem comparatio inſtituatur, PETRUS quidem BAELIUS non negat, ſi Chriſtiani ſecundum diſciplinam Servatoris vitam inſtituant, mores illorum ſtatui ſociali prorſus fore accommodatos, cum ab ambitione omni & avaritia alieni, ſummo evitaturi ſtudio ſint, quicquid aut alere aut excitare diſſenſiones, aut creare aliis moleſtiam, aut alia quacunque ratione quietem atque tranquillitatem publicam turbare queat: interim cum iidem rebus omnibus hujus ſeculi nuntium mit-

mittere, ſeque ipſos abnegare, & in id ſaltem incumbere jubeantur, ut pravas cupiditates ſubigant, atque compeſcant, fieri non poſſe, exiſtimat, ut ſocietas ex veris Chriſtianis compoſita conſiſtat; cum nulla ſocietas ſine bellis, quibus vim ſibi illatam repellat, ſe conſervare queat; bella autem, & quae cum iis conjuncta ſunt, cum moribus verorum Chriſtianorum, prout antea eos deſcripſerat, conciliari non poſſe; quod pluribus ediſſerit *dans la continuat. des penſées diverſes*, §. *CXXIII. & XXIV. pag. 595. ſeqq.* (150) Ex quibus, quod primo loco diſſerit, eorum, qui Chriſti Servatoris diſciplinam ſequuntur, mores, ſtatui civili prorſus eſſe accommodatos, & hac quidem ratione religionem Chriſtianam civili imperio maxima adferre commoda, veriſſimum eſt, & pluribus etiam a me demonſtratum, in *diſſertat. de concordia religionis chriſt. ſtatusque civilis cap. I.* §. *VII. ſeqq.* Quod vero ſecundo loco adfert, ſocietatem ex veris Chriſtianis compoſitam, conſiſtere non poſſe, cum illorum mores cum iis artibus, quibus imperia conſervari aut amplificari ſolent, non conveniant, in eo jam praeeuntes ſibi habuit veteres Ethnicos, qui eadem ratione de religione Chriſtiana ſentiebant. MARCELLINUS namque objectum ſibi a Paganis apud AUGUSTINUM refert: *quod Chriſti praedicatio atque doctrina reipublicae moribus nulla ex parte conveniat; utpote cujus hoc conſtet praeceptum, ut nulli malum pro malo reddere debeamus, & pallium dare perſiſtenti tunicam tollere, & cum eo, qui nos angariare voluerit, ire debere ſpatio itineris duplicato, quae omnia reipublicae moribus ſint contraria; cum nemo reperiatur, qui tolli ſibi ab hoſte aliquid patiatur, vel Romanae provinciae depraedatori non mala velit belli jure reponere; in epiſt. ad Auguſtinum*, quae eſt inter Auguſtinianas *IV*. Praeeuntem etiam ſibi habuit NICOLAUM MACHIAVELLUM, cujus hac de re verba exhibui, in *diſſertat. cit. de concordia relig. chriſt. ſtatusque civilis cap.* II. §. II. *pag.* 43. (151) Sua ſponte autem haec omnia corruunt, ſi obſervemus, Chriſtianam charitatem, abnegationem ſui, pravarumque cupiditatum coërcitionem, cum officio magiſtratus bene conſiſtere poſſe. Et licet vindicta privata a moribus Chriſtianorum merito aliena ſit; neutiquam tamen illis defenſio, ſuis limitibus circumſcripta, praeſertim, ſi a magiſtratu ex cauſis juſtis & neceſſariis ſuſcipiatur, repugnat. Quare nec bella gerere Chriſtianis nefas fuerit, aut ea agere, quae ad bella gerenda neceſſaria ſunt; modo, quae in hiſce omnibus, legibus divinis contraria, occurrunt, eo, quo par eſt, ſtudio evitentur; uti *loc. cit.* pluribus a me eſt demonſtratum. De tota autem hacce quaeſtione legi meretur viri doctiſſimi, deque Eccleſia praeclare meriti, JOAN. GEORGII PRITII, erudita diſſertatio *de Atheismo, & in ſe foedo, & humano generi noxio*, Lipſiae anno MDCXCV. habita.

(148) *Vid. ea, quae ad* §. *praecedentem nota* 143. *obſervavi.*

(148*) *Nequaquam concedendum est, societates civiles ad humani generis conservationem non prorsus esse necessarias, si gens quaedam a reliquis separata habitet. Equidem numerosae Patriarcharum familiae in initio faciem non habuerunt societatum civilium; sed tractu temporis adeo increverunt, ut in civitatum vel regnorum numerum transirent, quorum summi Imperantes erant Familiae Patres, qui tamen suadendo magis, quam jubendo in adultos suos posteros, in familia paterna manentes, placidum exercebant imperium. Sed ponamus, statum civilem in initio non obtinuisse, an inde sequeretur, societates domesticas sine regimine potuisse subsistere, illudque regimen tuto & cum fructu potuisse exerceri sublatâ persuasione de existentia justissimi & omniscii Judicis corporis oculis non conspicui? si vel Gens Judaica, a reliquis ex voluntate ipsius Dei separata, nihil ab aliarum insultibus metuendum habuisset, interna tamen tranquillitas non potuisset servari absque legibus civilibus, absque Legislatore, absque statu civili; & hic iterum subsistere non potuisset absque persuasione de existentia Numinis.*

(149) *Neque hoc tantum, verum etiam segreges familiae, simplici vivendi ratione utentes, facile inveniebant ubique, quod ad victum & amictum requirebatur in habitaculis ab omni fastu & splendore remotis; quo autem paucioribus contenti vivunt homines, eo pauciores injuriis, litibusque praebentur occasiones. Quod omne etiam applicari potest integris Nationibus, quae antiquissimis temporibus simplicissima ratione vitam transigebant; non quia studebant temperantiae ex principio laudabili, sed quia luxus nondum invaluerat.*

(149*) *Id quidem experientia quotidiana docet, homines non semper agere secundum doctrinam suam & persuasionem, quam habent de veritatibus praesertim practicis, adeoque illos, qui Dei existentiam admittunt & propugnant, nequaquam ita suas actiones instituere, ut ex iis patescat persuasio de momentosissima illa veritate: verum hoc tantum obtinet, quando vehementioribus animi adfectibus ad voluptates abripiuntur, atque adeo impediuntur quominus ad officii sui rationem attendant severius. Verum Atheus semper suis voluptatibus fraenum relaxare potest secundum sua principia agens. Atheus, vel ex meris Atheis composita societas unice ab intemperantia abstinet, & a laesione aliorum, quia persuasa est de noxiis intemperantiae istarumque laesionum sequelis; sed duplici de causa ab istiusmodi facinoribus abstinebit societas, quae Deum credit, & quilibet, qui ad eam pertinet, tum quia sibi illa, ut & societati, damnosa esse cognoscit, tum quia attendit ad voluntatem Legislatoriam, omniscientiam, justitiamque ipsius Dei.*

In genere autem observandum, ex eo, quod unus alterve Atheus exstiterit, qui, naturae quasi bonitate victus, temperanter vixit & juste, nequaquam sequi, integram societatem, ex meris Atheis compositam, subsistere posse per insigne tempus; cum falso suppofuerit Bailius, *eam mentis perspicaciam, eamque animi tranquillitatem immunitatemque a vehementioribus mentis adfectionibus integrae genti Atheae posse esse communem; quod quidem in se nullam involvit contradictionem, sed ab omni probabilitate est destitutum, si homines respiciamus, quales per experientiam deprehenduntur. Sic autem penitus concidunt ea, quae in contrarium ursit* Bailius, *frustra provocans ad Epicuraeos, qui amice & juste inter se vivebant; cujus rei rationem recte adsignavit* Crousaz *Examen du Pyrrhonisme pag.* 600. *suiv.*

(149**) Bailius *secutus fuit* Plutarchum, *qui in Tractatu de superstitione* (περὶ δεισιδαιμονίας *Oper. Tom. II. pag. m.* 164. *seqq.*) *Atheismum superstitione tolerabiliorem esse, asseruit; sed egregie refutatus fuit a* Warburton *Goddelyke Zendinge van Moses* 2de *Deel pag.* 369-403. *sive Lib.* 3. *Sect.* 6. *Id unum brevitatis gratia & contra* Bailium *& contra ipsius antesignanum,* Plutarchum, *notabimus, Atheum, salvis suis principiis, in omnes alios homines posse esse injurium, atque crudelem, si modo spes sit & genio fruendi, lucrumve faciendi & tegendi facinora, ne in poenam humanam incurrat, aut aestimationem suam & famam perdat; dum superstitiosus tantum saevit in illos, qui in negotio Religionis a se dissentiunt; in aliis retinetur metu Numinis, quod colit, licet minus recte, cujusque imperium agnoscit, & metuit vindictam. Quin imo in calamitatibus vitae insignioribus nulla spes superest Atheo; sed superstitiosus in sui Numinis auxilio praesidium suum, salva superstitione, quaerere potest. Sic ad desperationem, miseramque exinde profluentem vitam pronior est Atheus; a qua ad saniorem mentem vitamque meliorem retrahi vix potest; quod in superstitiosis, principia quaedam Religionis admittentibus, factu difficile quidem, sed non penitus ad id obtinendum via est praeclusa.*

(150) *Cum* Bailio *in hac parte conspiret* J. J. Rousseau *Contract. Social. Liv. IV. Ch.* 8. *statuens non tantum, religionem Christianam revera magis damnosam, quam utilem esse societati civili, verum etiam eandem hominibus praebere duas Legum species, duos summos Imperantes, duas Patrias; ita ut eos submittat officiis contradictoriis, eosdemque impediat, quominus simul & religiosi sint, & boni Cives, si Christiana Religio consideretur, prout in Ecclesia Romano-catholica viget.* Societas verorum Christianorum, *addit*, non foret

foret amplius ſocietas hominum: ipſa perfectio faceret, ut deficiat vinculum, & vitium ſocietatem deſtruens foret in ipſa perfectione repoſitum: *taedet reliqua memorare, quia heic loci refutari non poſſunt omnia abſurda, quae in proprium detrimentum ingenioſiſſimus Scriptor l. c. propoſuit, quaeque ſatis demonſtrant, eum neque Chriſtianae Religionis indolem, neque ſocietatis civilis conſtitutionem ſatis intellexiſſe. Plenius certe haec omnia refelli potuiſſent, quam quidem factum fuit a* Beauclair *Anticontract Social Liv. IV. Chap. VIII. Licet autem Religionis Romano-catholicae defenſionem in me non ſuſcipiam, id tamen certiſſimum eſt, nullam Religionem vere Chriſtianam, ſubditos abſolvere ab obligatione, qua ſuis ſummis Imperantibus civilibus ſunt obſtricti, eosdemque ſubmittere officiis contradictoriis; cum nulli ſint cives, qui, juxta ſua dogmata religioſa, magis & ex ſublimioribus principiis arctius tenentur, ad ſecuritatem, pacem tranquillitatemque ſocietatis, in qua vivunt, conſervandam ac promovendam, quam vere Chriſtiani. Ipſe* Rouſſeau *agnoſcit, l. c. quod* in ſocietate Chriſtiana, quilibet officio ſuo ſatisfaceret, populus legibus foret ſubjectus, Imperantes forent juſti & moderati, Magiſtratus integri & incorrupti; milites mortem contemnerent; nec vanitas obtineret, nec luxus. *Quo colore igitur dicere potuit* Rousſeau, vitium ſocietatem deſtruens in ipſa perfectione eſſe repoſitum? *nec ullam habet verae fortitudinis ideam, ſi, illam cum Chriſtiana doctrina conſiſtere non poſſe, ſibi perſuadet: e contrario non video, quo modo animus imperterritus & contemtus periculorum praeſentiſſimorum, ex rationali fonte, non ex temeritate, profluens, in iis poſſit adeſſe, qui a vera pietate ſunt alieni: aſt nulla dari poteſt maſcula pietas, quae non conſpirat cum Chriſtianismi placitis. Non certe haecce ſcripſiſſet* Rouſſeau, *ſi hiſtoriarum monumenta attentius perluſtraſſet, in quibus numeroſa ſatis Chriſtianorum vera pietate non minus quam fortitudine inſignium reperiſſet exempla: ac pudore ſuffunderetur, ſi vel ſolum* Crouſaz *inſpexiſſet* Examen du Pyrrhonisme *praeſertim pag. 644. ſuiv., ubi contra* Bailium *diſputat ſimilia ſtatuentem.*

(151) *Praeſertim hancce materiam pertractat* Machiavellus *Diſcours Politiques Liv. II. Chap. 2. In coelum transferebant Ethnici homines, ferociâ inſignes, gloriâ terreſtri turgidos, exercituum Duces, Principes; ſed Chriſtiana Religio ad beatorum ſedes evehit humiles, magis contemplationibus, quam heroicis actionibus deditos; eadem ſummum bonum reponit in humilitate, in abnegatione ſui, in contemtu rerum mundanarum; dum Gentilium Religio idem illud ſummum bonum quaerebat in fortitudine bellica, in corporis robore, &c. Si vero Chriſtiana Religio exigat animum imperterritum & fortitudinem, vult,*

ut

ut uterque potius patiendo monſtretur, quam ſeſe audacem praebendo in expeditionibus bellicis. Hinc concludit, Chriſtianum huncce vivendi morem imbecilles debilesque magis reddidiſſe orbis incolas, & ſceleratorum inſultibus magis expoſitos. Adjicit tamen, paucis interpoſitis: credo tamen mutationem hancce provenire ex puſillanimitate hominum, qui male explicuerunt Religionem noſtram, acſi deſidiam commendaret: ſi quippe debito modo examinaſſent, quo modo haecce Religio inculcet Patriae amorem tenaciſſimum, perſpicerent, eandem illam injungere, ut eam aeſtimemus, & honoremus, nosque proinde ad talem ſtatum perducamus, quo ejus jura & libertatem queamus conſervare.

CAP. V.

DEUM ESSE DEMONSTRATUR.

Σύνοψις.

De notitia Dei insita, omniumque cordibus inscripta, §. *I.*

Ad acquisitam Dei notitiam argumenta pertinent, quibus existentia ejus demonstrari potest; quae vel metaphysica sunt, vel physica, vel historica, §. *II.*

Ad primam classem referuntur argumenta a motus origine, a dependentia rerum creatarum a suis causis, itemque ab earundem contingentia, desumta, §. *III.*

Ad secundam classem pertinet amplitudo, ordo & dispositio hujus universi, omniumque rerum ad certum finem directio; quod & speciatim de sole, luna, ceterisque corporibus coelestibus, ad Numinis inde evincendam existentiam, ostenditur, §. *IV.*

Quo pacto ex telluris nostrae consideratione, ejusque thesauris ingentibus, in ea latitantibus, & in superficie ejus conspicuis, itemque ex animantium varietate, natura, indole, structura, idem demonstrari queat, §. *V.*

Item, ex consideratione hominis, & primo quidem corporis humani, §. *VI.*

Tum

Tum & mentis, ejusque facultatum, §. VII.
Non minus & originis, qua genus ipſum, qua ſingulos homines, §. VIII.
Ad tertiam claſſem referuntur origines regnorum & imperiorum, artium, ſcientiarum, unde conſtat, mundum hunc habere initium, & ea quidem ratione, qua Moſes hoc memoriae prodidit, §. IX.

§. I.

Ut tandem Atheismum profligemus convellamusque penitus, * Deum eſſe, tam intime animis hominum inſitum atque infixum eſt, ut quilibet, qui rationis uſu pollet, & ſanae mentis eſt, quamprimum hanc propoſitionem audit ac intelligit, non poſſit non ei aſſenſum praebere, immo ad praebendum, inſtinctu quodam naturali trahatur, deque ejus veritate, niſi per ſummam malitiam reſiſtat, convincatur. ** Merito itaque Atheos primum ad ea, quae ipſi in mentibus ſuis deprehendere poſſunt, ſi modo velint, accuratius conſideranda, ablegamus. Nec tamen RENATO CARTESIO, ex idea quadam Dei, nobis ingenita, exiſtentiam ejus probanti, ſuffragari poſſumus. ***

* Remedia Atheismi non ſunt unius generis. Alia enim ſunt προφυλακτικὰ, quibus Atheismus evitatur; quae iterum aut a nobis ipſis, aut aliis, qui noſtri curam gerunt, adhibenda. Ad priorem claſſem pertinet, immo utramque paginam facit, ſerium in vera Numinis, rerumque Divinarum cognitione, & pietate genuina, ac non fucata, proficiendi ſtudium, pariter ac fuga & evitatio cauſarum omnium, quibus in Atheismum homines praecipites dari poſſunt, de quibus *cap. praeced.* §. *VIII.* dictum eſt. Ad poſteriorem claſſem pertinet ſtudium illud, quod parentes, doctores Scholarum & Academiarum, ipſique magiſtratus, in juventute rite educanda, rudioribus recte informandis, occaſionibus Atheismi quibusvis, de quibus *cap. praeced.* §. *III.* dictum, ſedulo removendis, collocare debent. (152) Alia vero remedia ſunt θεραπευτικὰ, illis adhibenda, quos haecce peſtis jam corripuit. Inter haec

haec primum merito locum tenet consideratio attenta argumentorum, quibus Numinis existentia & providentia, dogmatumque cum hisce connexorum, item Christianae religionis veritas, & Divina Scripturae sacrae auctoritas, comprobari solet. Quodsi hac ratione ad erroris ac miseriae agnitionem Atheus utcunque perductus sit, neutiquam ei ibi subsistendum, sed ut per veram poenitentiam & fidem, salutis, omnibus hominibus a Deo destinatae, compos fiat, ei annitendum est. Qua in re quo pacto se gerere debeat, luculenter exponit B. PHIL. JACOBUS SPENERUS, in *responsis theologicis germanicis prioribus part. I. cap. I. sect. XI. & XII. pag.* 38. 39. *seqq.* Nos missis reliquis, pro instituti ratione, de argumentis, quibus Atheus erroris convinci queat, & ratione dubia ejus solvendi, erimus soliciti.

(152) *Quomodo ex perversa, vel neglecta educatione nascatur Atheismus, constat ex Cap. IV.* §. 2. *Praecavetur igitur periculosissimus hicce morbus, si in prima etiam aetate, (in qua confusas tantum & obscuras rerum ideas formare possunt infantes, sed tamen ex variis circumstantiis ipsorum temperamentum sese prodit) noxiis & turbulentis adfectibus, quorum primordia jam tunc conspicua evadunt, obviam eatur; si tempestive sensu vividissimo suae dependentiae a Deo imbuantur; si in hosce fines simplicissimae Religionis veritates cum theoreticae, tum practicae eorum animis imprimantur, & persuasi reddantur, nunquam dissolvendum inter dogmata & inter mores obtinere debere consensum; si* Adolescentibus *virtutis pulcritudo & amoenitas perpetuo ante oculos ponatur, iisdemque laudabile exemplum in toto vitae decursu praebeatur a Parentibus, Praeceptoribus, Ephoris; si denique sollicite avertantur a consortio eorum, quibus Religio ludus, & a lectione librorum, qui Atheismi, Libertinismi, & Indifferentismi larga manu semina spargunt, usque dum saltem illud acquisiverunt ingenii robur, eamque ratiocinandi peritiam, ut nihil amplius ex istorum colloquiis, horumque usu metuendum habeant, sed plumbea ista tela dextre possint avertere & retundere.*

** Hoc est, quod alias *notitiam Dei insitam* Theologi vocare consueverunt. Non equidem nescio, esse nonnullos, qui, dari ejusmodi notitiam insitam Dei, strenue negant. Atheos, eorumque patronos ac fautores, hoc facere, nemo mirabitur. Simul vero, cur & THOMAS HOBBESIUS in eandem ingressus sit sententiam, quilibet facile intelligit. Diserte vero tum alibi hoc docet, tum in *elem. de cive cap. XIV. num. XIX.* Socinianos eandem hic inflare tibiam, notum est; quibuscum & Arminianos, quos vocant, facere, constat. De PETRO CHAUVINO idem a me jam observatum, in *dissertat. de pietate seu religione naturali,* quae extat in *selectis juris natur. & gent.* §. *XIII.* Cumprimis vero

vero JOANNES LOCKIUS, philoſophus noſtrae aetatis clariſſimus, omnes ingenii nervos in id intendit, ut omnem Dei & principiorum practicorum notitiam inſitam proſcriberet; *de intellectu humano lib. I. cap. II. & III.* cujus tamen rationibus abunde a me, ni fallor, ſatisfactum, in *inſtitutionib. theolog. moral. part. II. ſect. II. cap. V.* Res omnis facile expediri poteſt, ſi modo, quid per notitiam Dei inſitam intelligamus, recte explicetur. Actu enim omnibus hominibus Dei notionem non ineſſe, facile concedimus; cum ceteroquin nemo unquam mortalium reperiretur, qui, Deum eſſe, ignoraret; quod experientiae repugnat. Multo minus negamus, inſitam hancce notitiam per inſtitutionis defectum, aut alias ob cauſas ita impediri poſſe, ne ſe exerat, aut, ſi etiam ſe exerat, per malitiam ſupprimi quodammodo & ſuffocari, renitente tamen & reluctante animo, quod in Atheis contingere, ſupra obſervavimus. Hoc autem aſſerimus, inclinationem quandam efficaciſſimam & propenſionem omnium hominum mentibus inſitam eſſe, qua ad aſſenſum propoſitioni, quae, Deum eſſe, eumque eſſe colendum, adfirmat, praebendum, vel inviti trahantur. Idque eſt, quod B. JOAN. MUSAEUS noſter docuit, notitiam hancce inſitam conſiſtere in *potentia propinqua* propoſitionibus antea memoratis aſſentiendi; *introduct. in theolog. cap.* II §. XIX. Alii equidem dicere malunt, quod in *diſpoſitione quadam* aut *habitu analogice ſic dicto* conſiſtat; qua de re legenda, quae monet ZACHARIAS GRAPIUS, in *theologia recens controverſa, cap.* I. *quaeſt.* III. *pag.* 15. 16. *ſeqq.* ſed res eodem tandem redit, uti B. MUSAEO jam obſervatum *loc. cit.* §. XIX. *num.* V. *pag.* 54. Quicquid vero de modo ſit, res ipſa, ſeu dari talem notitiam inſitam, poſita eſt extra controverſiam. (153) Sane, ſi modo Athei, & qui illis hac in re ſuffragantur, attendere ad ſe ipſos, & quae in mente ſua ipſimet deprehendere poſſent, obſervare vellent, facile de rei hujus veritate convinci poſſent. Liquidiſſime autem ea conſtat ex teſtimonio conſcientiae, ob improbe facta homines de Deo ceteroquin non cogitantes, ipſos etiam Atheos damnantis, & metum hinc atque terrorem incutientis. Idque porro & ipſe Paulus Apoſtolus confirmat, quando *opus legis*, hoc eſt, *legem ipſam, hominum cordibus inſcriptam eſſe*, docet, *Rom.* II. *verſ.* 15. Legis autem notitia eſſe nequit ſine notitia legislatoris, qui transgreſſores punire poteſt. Quare & ſtatim addit: συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων. Ob poenae ſcilicet a Deo infligendae metum, ipſae cogitationes homines mox damnant, mox excuſant. (154) Accedit ad haec omnia univerſalis gentium totius orbis, Deum eſſe agnoſcentium, conſenſus. Nullam namque fuiſſe unquam gentem tam barbaram atque immanem, quae non Numen aliquod crediderit, illudque colendum cenſuerit, etiam Ethnici Scriptores agnoverunt. Hinc PLUTARCHUS bene & eleganter obſervat, ſi quis terrarum orbem perluſtret, eum

urbes inventurum, muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiis etiam & theatris destitutas, urbem vero, *templis diisque carentem, quae precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur*, neminem vidisse unquam; *adv. Colotem. p.* 1125. Cotta equidem, *multas se arbitrari*, dicit, *esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit*, apud CICERONEM, *de nat. deor. lib.* I. *cap.* XXIII. Praeterquam vero, quod nullam ille ejusmodi gentem nominet, ipse quoque ei repugnat CICERO, tum *loc. cit. cap.* XVI. tum alibi, tam alte omnium cordibus sensum Divinitatis insidere, asserens, ut falsum multi Deum colere maluerint, quam nullum. (155) Quae autem de gentibus Atheis apud veteres leguntur, ut de *Thoibus* apud PORPHYRIUM, de *abstinentia ab animatis, lib.* III. *pag.* 132. *de Nasamonibus* apud DIONYSIUM, *periegesi vers.* 210. aliisque, ad impios gentium illarum mores referenda esse, recte docet vir doctissimus, JO. ALBERT. FABRICIUS, in *bibliogràphia antiquaria, cap.* VIII. §. III. *pag.* 229. *seqq.* ubi plura hac de re adfert. Quae recentiores quidam scriptores de Brasilianorum in America, Cafrorum in Africa, aliarumque Gentium Atheismo commemorant, incerto non tantum atque lubrico innituntur fundamento, sed quasdam ex hisce relationibus falsas esse prorsus, compertum est; quod ex instituto jam docuit JO. LUDOVICUS FABRICIUS, Theologus quondam Heidelbergensis, in *apologetico pro genere humano contra calumniam Atheismi*, inter opera ejus junctim edita, *pag.* 119. *seqq.* Idem & luculenter variis exemplis ostendit DN. LA CROZE, calumniam hanc, speciatim a Canadensibus, Antillarum insularum incolis, Brasilianis, Cafris, seu Hottentottis, aliisque, testimoniis fide dignis depellens; *entret. sur divers. sujets d'histoire &c. pag.* 254. *seqq.* Jungendus his ex Nostratibus ZACHARIAS GRAPIUS, in *theol. recens controversa cap.* I. *quaest.* VI. §. IV. *pag.* 32. *seqq.* ubi itidem ex monumentis historicis ostendit, Brasilianis, Cafris, aliisque Gentibus, perperam Atheismum tribui. De Cafris etiam, seu Hottentottis, conferendus CHRISTIAN. JUNCKERUS, in *vita Jobi Ludolphi, p.* 227. Nisi itaque intempestivum studium Atheorum numerum multiplicandi, & notitiam Dei insitam impugnandi PETRUM BAELIUM, acuti ceteroquin ingenii virum, in transversum egisset, nunquam tam incertis de integrarum Gentium Atheismo relationibus, fidem adhibuisset; quod tamen eum fecisse, constat, *dictionar. histor. crit. pag.* 1799. *continuat. des pensées diverses &c.* §. *CXIII. p.* 537. *seqq. reponse aux quast. &c. tom. IV. cap. XI. XII. pag.* 136. *seqq.* alibique. De Chinensibus equidem, de quibus *dans la continuat. loc. cit.* ex instituto agit, concedimus, nonnullos inter eos, qui eruditi & philosophi videri volunt, ejusmodi de Deo animo concepisse notionem, quae a Spinozismo probe abest; idque & jam a me observatum, in *dissertat. de Spinozismo*

ante

ante Spinozam. §. XXIII. Quemadmodum vero iſti non alio loco, quam Athei Europaei habendi, qui, dum nimis ſapiunt, ſtulti evadunt; ita iſta quorundam Philoſophorum ſententia, toti genti Chinenſium tribui nequit. Nec praetermittendum, quod nonnulli obſervant, Chinenſes iſtos philoſophos de providentia quadam, deque bonarum actionum praemiis, & de poenis malarum, talia docere, quae cum pleno Atheismo conciliari nequeant. De Siamenſibus, quibus itidem Atheiſmum PETRUS BAELIUS objicit, *dict. hiſtor. crit. voc. Sommona Codom. p.* 2751. idem docet vir clariſſimus JO. CHRISTOPHORUS WOLFIUS, *de Atheismi falſo ſuſpectis, ſect.* II. §. VIII. Ex univerſali itaque (ut nunc eo, unde digreſſus ſum, redeam) gentium omnium, & totius velut humani generis conſenſu, recte colligitur, hanc de Deo notitiam cordibus omnium mortalium inſitam a Deo atque infixam eſſe. Si enim, quantopere gentes opinionibus, moribus, inſtitutis, ritibus, a ſe invicem differant, conſideremus, ſi porro cogitemus, quot quantaeve in hiſce omnibus in una eademque gente contingere ſoleant mutationes, ut una eademque gens poſt aliquot ſecula vix ſibi ſimilis eſſe videatur, (quod vel Germanorum exemplo patet,) at in Numinis ſenſu tot tamque innumeras fere gentes, idque per tot ſecula, inter ſe conſentire, manifeſtum eſt, non aliam ejus rei cauſam eſſe poſſe, quam naturalem illam & a Deo omnium mentibus inſitam propenſionem, qua omnes ad veritatem hanc admittendam natura feruntur. (156) Certe ab educatione, aut alio quodam inſtituto humano, univerſalis hicce conſenſus neutiquam derivari poteſt. Educationem enim non obſtare, quo minus liberi in plurimis rebus diverſas admodum a parentum placitis opiniones ſectentur, & hae opiniones, aeque ac mores ac vitae inſtituta varia, ita tandem invaleſcant, ut integrae gentes a majorum ſuorum placitis, moribus, inſtitutis abeant, experientia quemvis condocere poteſt. Ex educatione itaque conſenſus ille univerſalis derivari nequit. Si dicas, Reges, Principes ac Magiſtratus operam dediſſe, ut iſta de Deo opinio aut introduceretur, aut recepta conſervaretur, ac propagaretur, eo quod viderent, religionem ad continendum in obſequio populum valde ſibi utilem eſſe, primo quidem reſpondeo, religionem in populo quodam a Principe aut Magiſtratu primum introductam eſſe, ne unico quidem hactenus comprobatum eſt exemplo. Non nego, Principes, rerumque dominos aliquando religione hunc in finem uſos, adeoque religionem amplificaſſe, diligentius inculcaſſe, aut varia, quae ad rem ſuam facere putabant, circa eam ſanciviſſe; ſed eos gentem quandam omnis religionis expertem primum iſta notitia imbuiſſe, ne unico quidem comprobatum eſt, aut comprobari poteſt exemplo. Numa ſane Pompilius ritus & ceremonias varias apud Romanos inſtituit, vel ut L. ANNAEUS FLORUS loquitur: *ille ſacra & ceremonias omnemque cultum deorum immortalium*

 docuit;

docuit; ille pontifices, augures, ſalios, ceterosque per ſacerdotia, annum quoque in duodecim menſes &c. deſcripſit, libr. I. cap. II. ſed, ſi quis exiſtimaret, Romanos ante Numam religione omni notitiaque Numinis deſtitutos fuiſſe, is ignorantiam ſuam proderet, ſeque ipſum traduceret turpiter. Eundem vero Numam, & deinceps alios quosdam, religione, qua populum jam imbutum invenerunt, quandoque ceu dominandi inſtrumento uſos, adeoque ad eam conſervandam ac propagandam aliquid contuliſſe, non inficiatus fuerim; ſed num inde univerſalis ille gentium omnium in Numine quodam agnoſcendo conſenſus oriri potuit? Immo certiſſimum eſt, pauciſſimis Regum Principumque, praeſertim inter gentes barbaras hoc in mentem veniſſe, quod religione ceu inſtrumento dominandi uti voluerint. Uti enim religio citra controverſiam pro firmamento reipublicae & fulcro firmisſimo eſt habenda, ita pauciſſimos Regum Principumque inter barbaras maxime gentes eſſe exiſtimo, qui illud intelligunt, aut eum in finem conſervare, ac propagare religionem, in animum inducunt ſuum. (157) Objicit equidem ulterius PETRUS BAELIUS, multas haud dubio gentes nobis nondum cognitas eſſe; conſenſum etiam gentis integrae urgeri non poſſe, niſi de ſingulorum hominum, qui gentem iſtam conſtituunt, ſententia conſtet; adeoque ad univerſalem gentium omnium conſenſum provocari non poſſe; *contin. de penſées.* §. XIII. *p. 55. ſeqq.* Praeterquam vero, quod nondum conſtet, an gentes quaedam adhuc nondum cognitae extent, ſi vel maxime hoc concedamus, illae tam exiguum orbis tenebunt ſpatium, ut cum toto orbe, qui nobis innotuit, comparatae, minime in cenſum veniant. Multo minus de eorum Atheismo ſuſpicio nobis oriri debet, cum ex reliquarum, recentiore aetate detectarum gentium exemplo eas, ſi quae adhuc tales ſunt, religione, Numinisque non carere ſenſu, judicare, pronum ſit. Quod vero de una aliqua gente dicitur, eam Deum credere, & colere, de omnibus & ſingulis, qui eam conſtituunt, tamdiu merito firmiter creditur, donec contrarium demonſtretur.

(153) *Celebris haecce controverſia circa* ideam *ſive* notitiam Dei innatam, *ſeu* inſitam, *magnam partem in logomachiam abit, ſi ſtatus quaeſtionis inter* Lockium *atque* Buddeum *rite determinetur; alio quippe modo eſt pronuntiandum, ſi cum* Carteſio *& quibusdam ex ejus Aſſeclis ſit diſputandum: ipſe quidem* Carteſius *ita quandoque ſe exprimit, ut primo intuitu videretur, acſi uterque &* Lockius *&* Buddeus *ipſius verba poſſent adoptare; E. Gr. in Reſp. ad Obj. tertias pag.* 102. Cum dicimus, ideam aliquam nobis eſſe innatam, non intelligimus, illam nobis ſemper obverſari, ſic enim nulla prorſus eſſet innata, ſed tantum nos habere in nobis ipſis facultatem eam eliciendi; *quae verba quaedam ſaltem abſurda removent a ſententia Carteſiana; ſed*

ſed remanet vocabulum elicere, *quod indicat, ideam Dei in mente deliteſcere, antequam per externas occaſiones excitetur, quemadmodum in ſequentibus patebit.*

Cl. Buddeus *exiſtimat,* inclinationem quandam efficaciſſimam & propenſionem omnium hominum mentibus inſitam eſſe, qua ad adſenſum propoſitioni, quae Deum eſſe eumque eſſe colendum, &c. adfirmat, praebendum, vel inviti trahantur: *quod ipſum coincidit cum ſententia Cl.* de Vries *in Determ. de Deo Cap.* 2. §. 4. *ubi dicit:* Id ergo contendimus, intellecto hujus effati (*exiſtit Deus*) ſenſu, unicuique rationis capaci adeo per ſe notam apparere ejus certitudinem, ut animus citra demonſtrationis exigentiam, naturâ pronus ſit ad illi aſſentiendum. Plane ut res ſe habet in Principiis per ſe notis. *Quae ſententia eatenus eſt veriſſima, ſi principia illa* innata *dicantur,* quia ſic ſua luce radiant, ut percepta tantum vocum, quibus efferuntur, ſignificatione, in aſſenſum eorundem ſua ſponte ruat animus cujuslibet, ſimulac idonea ſit de iis cogitandi occaſio; *uti mentem ſuam exponit Cl.* de Vries *in Determin. Ontol. Cap.* 2. §. 3. *Sic enim propoſitio:* Deus exiſtit *adeo eſt evidens, ſi vocabula debito modo explicentur, ut deductâ demonſtratione non indigeamus. Attamen illa* proclivitas, *ſeu* propenſio, *cujus mentionem facit Cl.* Buddeus, *vel illa* pronitas, *quam memorat* Vrieſius, *ex nullo alio fonte proficiſci poteſt, quam ex comparatione idearum* Dei *&* exiſtentiae, *uti propenſio ad concedendum effatum:* totum eſt majus ſua parte, *unice naſcitur ex comparatione idearum* totius *&* partis: *ea ſola differentia intercedit, quod, ut nexus inter ideam* Dei, *& inter ideam* exiſtentiae *reperiatur, vel in conſpectum prodeat, adhibenda ſit idea media; dum effatum,* totum eſt majus ſua parte, *prae ſua ſimplicitate & evidentiâ eſt indemonſtrabile: ſimpliciſſima quidem eſt demonſtratio, omniumque captui accommodata, qua evincimus,* Deum exiſtere; *ſed tamen haecce momentoſiſſima veritas inter* axiomata *numerari nequit; caeteroquin Cl. Auctor ipſe non numeroſa illa argumenta protuliſſet, quae in reliqua hujus Capitis parte continentur. Imo ſi vera* innata *eſſet proclivitas ad aſſenſum praebendum propoſitioni, ſeu effato* Deus exiſtit, *etiam ipſa haec propoſitio, cum duabus ideis, quae illam conſtituunt, deberet eſſe innata; quod non conceſſiſſet Vir Cl.; cum diſerte ſcribat in Obſerv. ad Philoſophiam inſtrum. Cap.* 1. §. 8. *pag.* 17. Patet igitur, me illis ſuffragari, qui nullas ideas innatas admittunt. —— Ad ipſam ideam Dei quod attinet, eam innatam nobis, aut ingenitam eſſe, fruſtra dicitur: recte namque nonnulli monent, eam omnino non quidem immediate, ſed intercedentibus ideis rerum creatarum, adeoque mediate a mente noſtra percipi; hinc & a ſenſione interna originem trahere. *Non igitur video, quomodo Cl. Auctor hanc* pro-

cli-

clivitatem *propugnare potuerit*, *rejectis omnibus ideis innatis*, *nisi eam derivet unice ex propositionis evidentia*, & *simplicitate demonstrationis*; *ast hoc sensu* Lockius *quoque talem proclivitatem potuisset admittere*, *salvis suis principiis*; *imo ipso facto eam agnovit Lib.* 1. *Ch.* 3. §. 9. *ubi asserit*, ideam Dei convenire cum omnium simplicissimis rationis luminibus, & naturaliter profluere ex qualibet parte nostrarum cognitionum.

(154) *Certissimum est*, *legem concipi non posse absque Legislatore*; *sed quaestio in eo versatur*, *an per legem* cordibus inscriptam *intelligere debeamus* legem *sensu Philosophico* innatam; *Legis & Legislatoris ideam innatam esse*, *negat*, (*uti vidimus n°. praeced.*) *ipse Cl. Auctor*: *nihil ideoque restat*, *quam ut dicamus*, *et existentiam Dei*, *tanquam Legislatoris*, *et legem adeo esse manifestam*, *ut ignorantiam invincibilem etiam inexercitati & ad quos non pervenit vividius Revelationis lumen praetexere non possint*; *cum invisibilia Dei ex visibilibus pervideantur*, & *ex creaturis Creatoris divinitas*, *ac potentia reddantur conspicuae*; *cumque sic convicti reddantur de sua ab illo Universi Conditore & Domino dependentiâ.*

(155) *Integras Nationes ab Atheismi imputatione liberare plurimi tentarunt*, *nec infelici successu*; *iis*, *quos memorat Cl.* Buddeus, *adjungi possent* Fabricius *de Verit. Relig. Christ. Cap.* 8. (*ubi ingentem exhibuit eorum catalogum*, *qui generis humani defensionem contra illas*, *de quibus hic agitur*, *plurimorum calumnias susceperunt*) & *Anonymus Auctor Principiorum Theol. Nat. & Revel. Tom.* 1. *pag.* 26-43. Stillingfleet *Orig. Sacr. L.* 3. *C.* 1. *pag.* 300. *seqq.* Hochstetterus *in Dissert. Select. pag.* 218-224. Butler *dans la Defense de la Religion Tom.* 4. *pag.* 43. *seqq. Verum cum ad specialiora hic descendere non liceat*, *in genere tantum notabo* 1°. *quod pleraeque narrationes de populis Americanis nullum in initio habuerint fundamentum*, *nisi crudelissimorum hostium calumnias*: *profectae sunt hae accusationes*, *acsi nullum agnoscerent Deum*, *ex relationibus eorum*, *qui*, *postquam sine ullo jure vexaverant misere illos populos*, *ut bonorum omnium indignationem effugerent*, *nationes illas depinxerunt*, *tanquam ab omni humanitate & religione alienas*, *formam tantum humanam habentes* 2°. *si forte bona fide egerint*, *non satis instructae fuerunt a cognitione linguae*, *qua populi barbari utebantur*; & *ex eo*, *quod apud nonnullos eorum aras*, *templa*, *imagines invenirent nullas*, *falso concluserunt*, *nullam apud eos vigere religionem* 3°. *si vel darentur populi adeo stupidi*, *ut nullum monstrent Deitatis sensum*, *sufficeret omnino*, *si omnes populi* non penitus barbari *aliquam Dei notitiam habuerint*; *cum sine pudore provocare non possint Athei ad exempla eorum*, *qui nihil*,

nihil, nisi externam conformationem, cum cultioribus hominibus habent commune, ut iis infringant consensum omnium eorum, qui non penitus sunt rudes atque inculti. Non certe de vera corporis humani constitutione & dotibus judicare licet ex coecis, surdis, mutis, claudis, aegrotantibus; neque de mentis humanae facultatibus ex stupidis atque insanis.

(156) *Cl.* Buddeus *ex consensu Gentium concludit*, notitiam de Deo cordibus omnium mortalium insitam a Deo atque infixam esse; *& sic indirecte tantum Dei existentiam ex consensu illo derivat, idque minus recte ob rationes, quas attuli no.* 153.; *& certe inter argumenta historica pro existentia Dei quodammodo referri potest illud, quod ex isto universali consensu est petitum, licet plurimi de ejus valore non admodum benigne senserint; operae pretium proinde est, ut, quale illi insit robur, paulo accuratius disquiramus. Plurimum pendet hujus argumenti virtus a modo proponendi; is autem mihi omnium optimus fuit visus, quo usus fui in* Primis lineis Theologiae Naturalis Theoreticae §. 26. Persuasio, *scil.*, de existentia Deitatis apud omnes Gentes moratiores obtinuit; quae, ab antiquissimis inde temporibus propagata, nulla temporum vicissitudine, nullis perditissimorum hominum conatibus mortalium, etiam sapientissimorum, animis potuit eximi. Si jam hujus Phaenomeni universalissimi investigemus causam, quae generalissima sit necesse est, detegimus facile, id ipsum nequaquam permanens & stabile esse potuisse, nisi homines internae veritatis voci praebuissent aures. *Non equidem historicum hocce argumentum inter* apodictica *refero; sed ingentem atque ad certitudinem moralem proxime accedentem* probabilitatem *conciliat dogmati de existentia Deitatis. Quaenam, quaeso, est ratio, quod inter tot traditiones, quae procul dubio inter homines habuerunt locum, quaeque per varias generationes fuerunt propagatae, haecce unica constans permanserit, atque apud omnes egerit radices, & quidem eo altiores, quo gentes magis evaserunt excultae; dum aliae omnes serius ocyus evanuerunt? Quaenam est ratio, quod omnes fere homines, etiam sapientissimi, etiam maxime perspicaces & exercitati, etiam illi, qui in corde suo dicunt, vel potius optant, non esse Deum, in uno hocce placito de existentia alicujus Numinis consenserint, nisi rem recte putassent, ipsorumque opinio solido fundamento fuisset nixa. Omnes homines, etiam Athei, id in vita communi moraliter certum existimant, in quo omnes consentiunt; ideoque aut nulla auctoritas generis humani judicio est tribuenda, aut, eam ingentem esse in hac parte, agnoscere debent Athei. Excipit tamen Vir plane eximius Cl.* Ernesti *Init. Doctr. Theol. Nat.* §. 21. Si fingas, omnes Gentes in errore aliquo consentire, num ex eo efficietur, ut non sit pro errore

habendus? At in rebus Phyficis nonne funt totum genus humanum pervagati errores? *Et rectiffime fefe haberet exceptio, fi Athei unquam errorem illum univerfaliffimum potuiffent monftrare. Seponamus omnia argumenta pro exiftentia Dei, quae folidiffima funt, & defigamus in uno hocce argumento hiftorico attentionem, annom quilibet, reliquorum argumentorum ignarus, probabiliffimum deberet habere, tot homines etiam fagaciffimos in errore verfari non poffe, nifi liquidiffimis argumentis contrarium evinceretur? nonne exiftimabit, talem confenfum circa unum aliquod dogma ex invictis argumentis fuam trahere originem?*

Neque penitus rejiciendum hocce argumentum ob exceptionem fic fatis ingeniofam Cl. Hollmanni *in Inftit. Pneumatol. & Theol. Nat.* §. 133. five, *inquit,* ejusmodi gentium confenfus rationibus quibusdam nitatur, five minus, argumentum veritatis fieri haud poteft: quod fi HOC enim fuerit, praejudicium potius, fi argumentum ab eo defumitur, quam folidam veri cognitionem idem parit; fin ILLUD vero, rationibus potius illis, quae gentes illas ad affenfum iftum moverunt, quam nudo earum affenfu, uti pro argumento. *Concederem totam exceptionem, fi argumentum ex confenfu Gentium pro* demonftratione apodictica *haberetur; aft folummodo id ex illo infertur, quod Athei fummae arrogantiae atque intolerabilis impudentiae fint rei, fi fine praegnantiffimis rationibus totum humanum genus, etiam meliorem & fapientiorem ejus partem, vanitatis incredibilis, & ftultitiae condemnare velint, feque folos fapere perhibeant. Nondum inquiritur in rationes, quae gentes omnes, cultiores faltem, permoverunt ad confenfum fuum praebendum uni huic dogmati; fed ex fola auctoritate, quae tot hominibus exercitatis, tot populis, tanquam perfonis moralibus, iisque multiplici fcientia excultis competit, formatur conclufio. Conf. ea, quae habet Cl. Auctor infra Cap. VI. §. 9.*

(157) *Si Religio effet Politicorum inventum, tractu temporis vim fuam fidemque amififfet fabula; praefertim fi dantur homines, qui acumine ingenii pollere fibi videntur, quique omnem movent lapidem, ut oftendant, fraudem fubeffe; & tamen ante bis mille ferme annos Athei inculcare conati funt, Religionem effe figmentum Politicorum, absque eo, quod aliquid derogatum eft dogmati de exiftentia Dei; aeque valet hifce etiam temporibus ea perfuafio penes homines moratiores, ac olim valuit. Quin imo! plurimi inter Politicos hujus fraudis penitus funt ignari, cum non minori iftius confictae, fcilicet, Deitatis terrore tangantur, quam fubditorum, quibus praefunt, viliffimi; & tamen fibi ipfi imponere non voluerunt jugum, quo libero voluptatum ufui potentiffimum injicitur fraenum. Conf.* Moshemius *ad* Cudworthi *Syft. Intell.*

pag.

pag. 835. *seq.* Crousaz *Examen du Pyrrhonisme pag.* 414. *seqq.* Stellingfleet *Orig. Sacr. L.* 3. *C.* 1. *pag.* 316. *seqq. - Id tamen facile largiri licet (uti hoc concedit Cl.* Buddeus) *veteres Legislatores, Principes, Politicos Religione fuisse usos, ut subditos eo efficacius continerent in officio suo; imo quandoque eadem esse abusos: fingebant quippe inspirationes divinas, ut convincerentur subditi, Deitatem in res humanas regimen exercere, eumque in finem leges suas a doctrina de Providentia saepissime exordiebantur; de quibus more suo egregie disseruit* Warburton *Goddelyke zending van Moses* 1*ste D.* 2*de B.* 1*ste en volgende Afdeelingen. Ast in omnibus iis Politicorum conaminibus jam supponebatur, non vero per ista de novo in subditorum animis condebatur, de existentia alicujus Deitatis persuasio.*

*** Quo pacto RENATUS CARTESIUS, ex idea Dei nobis innata, existentiam ejus probare annisus sit, ex *principior.* ejus *philosoph. part. I.* §. *XIII.* item *XVII. seqq.* ut & ex *meditationum* ejus, de *philosophia prima, medit. III.* aliisque scriptis, quibus adversariorum suorum objectiones diluere conatus est, notum est. Summatim sententia ejus sequenti ratiocinatione comprehendi potest. Cum omnes homines ideam rei infinitae & summe perfectae in mente habeant, illa vero idea aliunde, quam a re infinita & summe perfecta proficisci nequeat, sequitur, rem infinitam & summe perfectam, hoc est, Deum, existere. Accedit altera ratiocinatio, quae ulterius mentem ejus exprimit: Quicquid ad rem, cujus ideam in mente habeo, pertinere, clare & distincte percipio, id ad rem illam revera pertinet; existentiam autem ad rem infinitam & summe perfectam, Deum scilicet, cujus ideam in mente habeo, pertinere, clare & distincte percipio; ergo ad rem infinitam & summe perfectam, Deum scilicet, cujus ideam in mente habeo, pertinet existentia. Quantumvis autem certo persuasus sim, Cartesium alios utraque hacce ratiocinatione fallere noluisse, ipsum tamen falsum esse, nec minus eos, qui illum coeco impetu sequuntur, falli, certum est, cum neutra recte procedat. Ad priorem enim quod attinet, observandum, vocem *ideae*, quicquid etiam dicat, aut in quamcunque se vertat partem Cartesius, nihil aliud significare, quam actum mentis, quo objectum aliquod exhibetur, atque repraesentatur. Licet itaque objectum res infinita & summe perfecta sit, ipsa tamen idea finita est & imperfecta. Infinitum enim objectum ab intellectu finito nonnisi imperfecte & inadaequate concipi potest. Falsum itaque est, quod in assumtione prioris ratiocinationis dicitur, ideam rei infinitae & summe perfectae, quae in nobis est, non aliunde, quam a re infinita & summe perfecta proficisci posse. Neque necesse est, ut causa quaedam infinitae potentiae & perfectionis ideae huic assignetur, cum eadem ratione, qua reliquae ideae finitae producuntur, & haec

 pro-

produci queat. Nimirum, si ex rebus creatis omnibus, quae nobis notae sunt, quicquid perfectionis rationem habet, colligatur, removeatur contra, quicquid cum imperfectione quadam conjunctum est, facili negotio ideam entis perfectissimi ipsimet nobis formare possumus. Sequitur itaque, ex idea entis perfectissimi non statim colligi posse, ens ejusmodi perfectissimum revera quoque existere. (158) Non minus tamen & altera ratiocinatio fallit. Propositio enim: *Quicquid ad rem, cujus ideam in mente habeo, pertinere clare & distincte percipio, id ad rem illam revera pertinet,* tum demum admittenda, si idea intelligatur rei revera existentis. Ita ergo haec propositio concipienda foret: *Quicquid ad rem, cujus ideam in mente habeo,* (quaeve revera existit) *pertinere clare & distincte percipio &c.* Et tum quidem ratiocinatio haec nihil probat, cum jam supponat id, de quo quaeritur. Sin vero propositio generatim etiam de re, extra mentis nostrae operationem non existente, intelligatur, falsa est. Multa enim, per mentis operationem, certam quandam ideam mihi formando, rei in mente tribuere possum, quae tamen non statim ad rem istam, prout extra mentis operationem revera existit, pertinent. Quemadmodum itaque antea diximus, hominem sibi ideam entis summe perfecti formare posse, ita etiam eadem opera existentiam necessariam in hacce idea includit, ut tamen nullo modo inde sequatur, rem ejusmodi summe perfectam & necessario existentem revera etiam existere Sed plura non addo, cum alii jam sophisma, in hacce Cartesii demonstratione latitans, accurate detexerint; prae ceteris autem B. JOANNES MUSAEUS, in *Introd. in theolog. cap. II.* §. *XXIII. pag* 61. *seqq.* & PETRUS DANIEL HUETIUS, in *censura philosophiae Cartesianae, cap. IV. pag.* 58. *seqq.* (159)

(158) *Prima haecce ratiocinatio Cartesiana, quae appellari solet argumentum* a posteriori *ex idea Dei desumtum, considerat ideam Dei tanquam effectum, qui nullum, nisi ipsum Deum, habere potest Auctorem: propositum fuit hoc argumentum a* Cartesio *Med.* 3. *& Princip. Part.* 1. §. 17. *conf. ejus Resp. ad Obj. primas & 2das, praesertim pag.* 15. *seqq. Epist. Part.* 1. *pag.* 328. *seqq. & Part.* 3. *pag.* 417. *seqq. illudque propugnarunt* Claubergius *Oper. pag.* 605. *seqq.* de Volder *Diss. de Deo* §. 2. *seqq. & Exerc. Acad. contra Atheos* §. 37. *seqq. &* Roëllius *de Ideis inn. Sect.* 8., *ut alios taceam, qui memoratorum vestigiis insistunt. Totum argumentum huc redit:* Ideam Dei habemus; caeteroquin absurda foret & inutilis de ejus existentia disputatio: illa autem requirit non tantum causam exemplarem, sive archetypum, in quo continentur realiter & formaliter omnes illae perfectiones, quas idea complectitur & repraesentat; verum etiam causam efficientem, quae eam menti impressit. Jam vero causa

exem-

exemplaris & efficiens non poteſt eſſe ipſa mens, neque parentes, aut proceptores, neque alii homines, neque qualeſcunque res finitae, ſed Deus ſolus. *Verum hoc argumentum diſplicuit* Huetio *Cenſ. Philoſ. Carteſianae C.* 4. §. 1. *ſeqq.* Gaſſendo *Oper. Tom.* 3. *pag.* 335—358. Vrieſio *Exerc. Rat.* 2. §. 7. *& Diatrib. de ideis innatis Sect.* 8.; *ideoque, quid de hujus valore ſit judicandum, ſepoſito partium ſtudio, circumſpicere debebimus. In genere obſervandum, ideam Dei innatam idem pro exiſtentia Ejus argumentum ſuppeditare, quod ex aliis ideis* innatis *haurire liceret, dummodo ſolidis rationibus earundem exiſtentia poſſet probari. Si Ex. Gr.* trianguli *idea eſſet innata, ex ea demonſtrare liceret exiſtentiam entis neceſſarii, aeterni, &c. aeque ac ex idea Dei innata; qui enim ideam trianguli in mentis ſinu quaſi a nativitate recondidit, etiam mentis debet eſſe cauſa; atqui haec nulla alia eſſe poteſt (uti in ſequentibus patebit) quam Ens rationem ſufficientem ſuae exiſtentiae in ſe habens. Notandum inſuper* 1o. *falſo ſupponi a Carteſianis, praerequiri* poſitivam *ſeu ab omni parte* adfirmantem *Entis ſumme perfecti ideam, ut cognoſcamus mentis noſtrae imperfectiones & ut illud omne, quod imperfectionem involvit, ab Ente ſumme perfecto, ſive ab Ente neceſſario, aeterno, nullis limitibus circumſcripto removeamus. Sic certe perſuaſi eſſe non poſſemus, lineam unius pedis eſſe finitam, niſi jam antea habeamus ideam lineae infinitae; & hoc agnoverunt Viri Clariſſimi* de Volder *&* Roël *locis cit. idque jam antea placuerat* Boethio *de Conſol. Phil. Lib.* 3. *pag. m.* 76. *ſeq. Lineam unius pedis eſſe finitam, cognoſcimus, quia terminos ejus conſpicimus; quia animadvertimus, illam incrementi eſſe capacem; haec idea eſt poſitiva, ſeu adfirmans; ſi terminos hoſce prolongemus verſus utramque partem, ita ut, quouſque etiam progrediamur, ſemper ulterius ulteriusque ſint promovendi, acquirimus ideam negativam & valde imperfectam lineae* infinitae, *ſenſu Mathematico; ſed nullam habemus poſitivam ideam* infinitatis abſolutae, *qua majus quid concipi non poteſt,* 2o. *obſervandum, quod, ſi Deus ipſe nobis ideam ſui, ſenſu Carteſiano, impreſſiſſet, quaerere liceat,* an hoc adfirmandum ſit de illa idea, quam nunc habeo, poſtquam pluribus meditationibus de Ente profectiſſimo qualeſcunque ingenii mei vires exercui? an vero de illa, quam habui ante quadraginta annos? an denique de illa, quam in prima juventute, aut etiam in pueritia in animo fovi, cum, intelligendi facultatem primum ſeſe exſerere & evolvere], experiebar? *Non video, quid ad haſce quaeſtiones reſpondere cum ratione poſſint argumenti hujus fautores,* 3o. *facile concedimus, ſenſus, imaginationem, inſtitutionem Parentum & Praeceptorum, librorum lectionem, &c. non poſſe eſſe* cauſas efficientes *ideae Entis perfectiſſimi; cum ea omnia etiam non poſſint eſſe cauſae efficientes qualiumcunque aliarum idearum, ſed tantum* cauſae

occasionales; *verum sensus, imaginatio, institutio, &c. menti praebuerunt occasionem sinum suum excutiendi, atque removendi omne id, quod limites involvit, postquam ex intuitu entis necessarii certa evasit, illud nullos habere posse terminos respectu omnium eorum, quae ad ejus naturam pertinent. Si quid obscuri remaneat quoad ideae Dei originem, id etiam in aliis ideis obtinet, cum et sententia eorum, qui ideas* innatas *admittunt, et, ab altera parte, illorum opinio, qui omnes* acquisitas *esse volunt, plurimis subjectae sint difficultatibus, quae hactenus removeri, vel leniri non potuerunt a sagacissimis etiam Philosophis.*

(159) *Argumentum pro existentia Dei ex idea* a priori *petitum a* Cartesio, Anselmum *secuto, ad examen revocavi in Praefatione, quam praemisi secundae Editioni Dissertationum ad Religionem Naturalem spectantium, ab eximio* Reimaro *conscriptarum; ubi indicavi, quid in hoc argumento, quod a* Cudwortho *&* *dein a* Leibnitio *fuit emendatum, possit desiderari. Quae in illa Praefatione notavi, non repetam; nec ingentem exhibebo Catalogum eorum, qui vel huic argumento robur aliquod tribuunt, vel illud referunt inter subtiliores paralogismos; cum unice rationibus sit pugnandum, non auctoritate. Operae tamen pretium erit, si emendationem speciosam admodum proposuerim, quam dedit nuperrime egregius ex Israëlitarum Gente apud Berolinenses Philosophus,* Moses Mendelsohn *in Dissertatione de Evidentia* (Abhandlung über die Evidenz), *quae praemio decorata fuit a Berolinensi Academia Regia A.* 1763. *sic ratiocinatur Vir perspicacissimus:*
„ *Quod non existit, aut impossible est, aut simpliciter possibile; in* „ priori *casu proprietates, seu determinationes intrinsecae sibi invicem repugnant; in* altero *nulla quidem inter illas datur repugnantia, sed ex iis non intelligitur, cur potius existeret illud ens, quam* „ *non existeret. —— Existentia talis Entis non pertinet ad ejus internam possibilitatem, non ad ejus essentiam, non ad ejus proprietates; sed est tantum modus accidentalis, cujus realitas non, nisi* „ *ex realitate alterius entis, intelligitur. Ast modus accidentalis* „ *seu contingens est determinatio, quae ex simplici possibilitate neque* „ *sequitur, neque intelligi potest, cujusque realitas non nisi ex realitate alterius entis potest explicari. Talis existentia igitur est dependens, non ex vi insita profluit* (ist nicht selbständig). *Atqui* „ *talis existentia tribui non potest Enti perfectissimo, quia independens existentia majorem involvit perfectionem, quam dependens.* „ *Propositio igitur:* Ens perfectissimum habet existentiam contingentem, *apertissimam involvit contradictionem. Vel proinde existit* „ *revera Ens perfectissimum, vel ejus idea involvit contradictionem.* „ *Mere possibile esse non potest; ideoque vel actu existit, vel est im-*

„ *possi-*

„ *possibile. Quod si conceptus vel idea Entis perfectissimi contradi-*
„ *ctionem involveret, in determinationibus, quae ipsi competunt,*
„ *aliquid simul adfirmari, & negari deberet. Quaelibet determinatio*
„ *est vel realitas, vel defectus; illa aliquid adfirmat, hic vero aliquid*
„ *negat; adeoque nulla repugnantia locum invenit, nisi quando ens*
„ *aliquod non tantum realitates, verum etiam defectus & limitationes*
„ *habet. —— Ast de ente perfectissimo omnes realitates adfirmantur,*
„ *omnes defectus removentur; ideoque in ejus conceptu nulla repugnan-*
„ *tia sedem suam habere potest. —— Si hoc verum est, etiam actu*
„ *debet existere.*" *Speciem habet, fateor, haecce argumentatio,* *eaque non multum differt ab argumento, quod proponit* Canzius *Medit. Phil.* §. 366. *nec non* Schubertus *Instit. Metaphys. Part.* 4. *Cap.* 1. *pag.* 522. *seqq. sed tamen contra Atheos cum fructu adhiberi nequit: quippe eo devenient fortasse, ut concedant tantisper, ens perfectissimum habere non posse existentiam contingentem (cujus sequela necessaria esset tum dependentia, tum existendi initium,) quamdiu supponimus, ens illud & esse possibile, & actu existere: ast, inquient, demonstratio, qua evincetur, ens illud non esse impossibile, non satis est solida, quia de possibilitate perversum quandoque ferimus judicium; uti ex exemplo* Dei non triunius *patescit, quo, post* Werenfelsium, *usus fui in memorata Praefatione: talis Deus est, secundum Christianorum doctrinam, impossibile quid; & tamen impossibilitas illa non nascitur ex pugna, quae nobis perspecta est, inter ideam unitatis, a qua exulat trinitas, & inter illas ideas, quae alia divina attributa repraesentant: sic ipse Philosophus Berolinensis, secundum suae religionis placita, Deum non triunum ens possibile habebit, in cujus idea nulla datur repugnantia. Praeterea si Deus nullas substantias corporeas creasset, sed tantum mentes, quae tamen corporum ideas sibi formare possent; hae saltem mentes eodem fere modo circa* corporis perfectissimi *existentiam potuissent ratiocinari. Corpus perfectissimum, (quod, scilicet, omnes habet perfectiones, quae in corpus cadere possunt) nullam involvit contradictionem;* ideoque actu existit, *quia* actualis existentia *est perfectio, quae in corpore habere potest locum, quaeque est major quam* existentia possibilis, *aut* idealis. *Cum igitur ab exceptionibus non penitus sit liberum ideale hocce argumentum, etiam post ingeniosam* Mendelsohnii *emendationem, potius contra Atheos non est adhibendum, cum efficacissima prostent pro momentosissima hac veritate rationum pondera.*

§. II.

§. II.

Argumenta, quibus exiſtentia Numinis probari poteſt, & ſolet, non ſunt unius generis. * Poſſunt tamen commode ad tres revocari claſſes, quarum prima Metaphyſica, altera Phyſica, tertia Hiſtorica complectitur. **

* Ad *acquiſitam* itaque, quam vocant, Dei *notitiam* nunc accedimus, eamque accuratiorem, quae certis & invictis argumentis nititur. Rudior enim illa, quae ab inſtitutione, ſeu parentum ac praeceptorum traditione oritur, nunc nobis in cenſum non venit.

** Addere nonnulli argumenta moralia (160) atque Mathematica (161) ſolent. Sed cum in illis ſubinde aliquid ſupponatur, quod probandum erat, aut ad alium fontem reduci queant, haec autem haud raro incommodo quodam laborent, iis non inſiſtemus. In tanta etiam argumentorum multitudine & evidentia, quae vel ſola Phyſica ſuppeditat, reliquis facile carere poſſumus. Ceterum licet Phyſica & Hiſtorica magis ad captum omnium hominum ſint accommodata, Metaphyſica tamen ideo ſpernenda aut praetermittenda non ſunt, cum, ſi recte adhibeantur, vi ac robore inſigni polleant. (162)

(160) *Inter argumenta* moralia *referri poteſt illud, quod deſumitur* ex Conſcientia, *quodque* §. *VII. hujus Capitis adjungam.*

(161) *Argumenta* pure Mathematica, *quantum novi, dantur nulla: id enim, quod* Fenelonius *de l'Exiſtence de Dieu Ch.* 61. *petiit ex cognitione* unitatis, *quae in nobis datur, neque eſt Mathematicum, ſed potius Pſychologicum, neque aliquam habet efficaciam, niſi ſupponamus, ideas & unitatis & numerorum omnium eſſe innatas. Et ſi Illuſtris Auctor hoc argumentum tanquam Mathematicum propoſuiſſet, nullibi evidentius monſtraſſet, ſe Mathematicum non eſſe. Argumenta dantur pro exiſtentia Dei, quae* Mathematico-phyſica *poſſunt appellari, de quorum robore dicendum erit ad* §. *IV. hujus Capitis.*

(162) Metaphyſica *argumenta, non tantum ſpernenda non ſunt, aut praetermittenda, verum etiam per ultimam analyſin ad ea eſt redeundum, quando nobis res eſt cum Atheis, qui Scepticiſmum ſimulant: imo tutius eſt, ſi ab illo argumento, inter Metaphyſica referendo, initium faciamus, quod* ex mentis noſtrae exiſtentia & conſtitutione *eſt peti-*

petitum. De illa mentis existentia sumus certi per intimam conscientiam, neque de eâ dubitare potest pertinacissimus Scepticus. Si aliquid proinde existat, aliquid existere debuit ab omni aeternitate, sine initio; *ita ut nullum unquam fuerit momentum temporis, quo existebat nihil. Ponamus enim, tale temporis momentum exstitisse unquam; illud, quod primum existere incepit post illud momentum, debuit initium existentiae accepisse absque ulla ratione sufficiente vel determinante. Dicere enim non licet, illud se ipsum produxisse, cum* agere supponat esse; *imo, si se ipsum produxisset,* idem simul fuisset, et non fuisset; *fuisset, quia egisset; non fuisset, quia id, quod jam est, produci non potest. Si jam quaeratur,* an non mens mea vi suae naturae exstiterit ab omni aeternitate (*nam quilibet circa* suam *mentem hanc quaestionem instituere debet, cum de aliarum rerum, de aliarum mentium existentia nondum, ex Scepticorum opinione, sit certus*) *facile detegimus, ad illam quaestionem negando esse respondendum, cum sit ens contingens, & minime necessarium; quia sine contradictione potest concipi tanquam non existens, quia continuis mutationibus est subjecta, & denique quia limitatas habet facultates, quae omnia in ente, quod rationem suae existentiae in se habet, seu quod vi suae naturae existit, quod proinde necessarium est, & sine initio, locum habere nequeunt, uti demonstravi in* Prim. lineis Theol. Nat. Theor. §. 12. seqq. *coll.* §. 18. *Hisce positis demonstratur haud difficulter, mentem nostram in nullo ente, nisi in* necessario *suae existentiae habere posse rationem sufficientem, sive nullam suae existentiae causam habere, praeter ens necessarium, vi suae naturae existens, aeternum, immutabile, infinitum; quippe cum suae existentiae ratio sufficiens non sit, tum demum ratio* sufficiens *ejus adsignatur, quando non amplius remanet quaestio, cur & unde res sit, vel* (*uti minus latine, sed clare loquitur* Bulffingerus *in Dilucid. Philos.* §. 390.) quando, eâ posita, nihil amplius requiritur ad hoc, ut intelligi possit, quare res se ita habeat; &, qua remota, requiritur aliquid amplius ad ipsam objectivam rei intelligibilitatem. *Et ex hoc simplici ratiocinio, quod Metaphysicis principiis est inaedificatum, cujusque prima stamina debito modo evoluta proposuit* Cudworth. *Syst. Int. pag.* 899. *seq. quem plures alii fuerunt secuti, statim patescit absurditas progressionis causarum & effectuum in infinitum excurrentis vel adscendentis, de qua* §. *seq. III. ubi eam aliis argumentis demonstrabo, quae non tantum motui, ejusque origini, verum etiam aliis quibuscunque causis, a prima & necessaria diversis, possunt applicari.*

§. III.

Ad primam classem pertinent argumenta, a motus origine, a dependentia rerum a suis caussis, itemque, a rerum creatarum contingentia, & quae alia sunt ejusdem generis, desumta. Hinc enim primum aliquem motorem, primamque caussam, a qua reliqua omnia dependeant, & ens aliquod necessarium, (quae omnia in solum Deum quadrant,) dari, luculentissime evincitur. *

* Primum argumentum ex philosophia Aristotelica fluxit, & apud Scholasticos longe est usitatissimum, immo apud nonnullos tanti aestimatur, ut ex eo solo firmiter existentiam Dei demonstrari posse, existiment. Est sane systemati Aristotelis prorsus accommodatum; quod, licet a nobis juxta ea, quae supra disputavimus, merito rejiciatur, transferri tamen argumentum potest, ad veri Dei existentiam demonstrandam. Cum enim ipse motus a nemine, nisi sensibus & ratione destituto, negari queat, motus vero omnino caussam quandam, unde procedat, agnoscat; in hisce caussis autem necessario ad primum motorem perveniendum sit, qui alius, quam Deus, esse nequit, rectissime, Deum dari, inde concluditur. Nititur sane tota haecce ratiocinatio duobus principiis; quorum alterum est: *quicquid movetur, ab alio movetur;* alterum: *in moventibus non datur processus in infinitum;* quae quidem nonnulli nondum extra omnem dubitationem posita esse, arbitrantur. Ad prius enim quod attinet, objiciunt, dari substantias etiam corporeas, quae a se ipsis moveantur; non itaque semper procedere: *quicquid movetur, ab alio movetur.* Circa posterius autem monent, evitari posse primum motorem, vim movendi a se habentem, si recurratur ad successionem caussarum infinitarum, per accidens subordinatarum. Verum haec nondum ejusmodi sunt, ut vim argumenti, in sensu vero & genuino adhibiti, infringant. Etsi enim substantiae quaedam, etiam corporeae, dentur, quae se ipsas moveant, aut movere videantur, dispiciendum tamen, num hicce motus, aut facultas se movendi, a materia, aut alio quodam principio sit? Si posterius dicas, rursus quaerendum, quodnam illud principium sit, & unde istam facultatem habeat? quo ipso Athei ad principium aliquod a materia distinctum, quod omnis motus prima caussa, seu primus motor sit, agnoscendum, deducentur. Sin prius afferant, admittendum iis est, motum materiae esse essentialem; quo ipso tamen nihil aliud agent, quam ut ignorantiam suam prodant. Praeterquam enim quod ipsi notioni materiae, quae,

quae omnium mentibus insidet, hoc non conveniat, si motus materiae essentialis esset, sequeretur, materiam semper moveri, nec posse unquam quiescere, adeoque ad corpora varia producenda vel constituenda prorsus esse ineptam. Qua de re recte SAM. CLARKIUS pronuntiat: *Si Atheus affirmaverit, motum omni materiae in genere esse necessarium, sequitur, contradictionem esse expressam, supponere ullam materiam quiescere, quod sane ita est absonum, ut nullus Atheus, quod hactenus novimus, sive sit antiquus, sive ex recentioribus, id supponere fuerit ausus;* in *demonstrat. existentiae atque attributorum Dei, ad propos. III. pag. m.* 30. (163) Addit, JOANNEM TOLANDUM equidem, ut demonstraret, se hac etiam re impudentia omnes Atheos vincere, asserere ausum, motum, id est, conatum ad motionem, materiae omni esse essentialem; sed quam infeliciter, quamve insipienter hoc fecerit, *loc. cit.* pluribus demonstrat. (164) Legenda &, quae hac de re disserit JAC. ABBADIE, *de veritate & certitudine Christianae religionis sect. I. cap. V. pag. m.* 36. editionis, quae lingua Germanica prodiit. Alterum primi argumenti fundamentum: *in moventibus non datur processus in infinitum*, simul nos ducit, ad secundum argumentum, quod a *dependentia rerum creatarum a suis causis* desumtum est. Certum est, nihil posse sui ipsius esse causam; unde simul patet, causas rerum adspectabilium ab aliis causis iterum dependere; adeoque, nisi processum in infinitum admittere velimus, in prima tandem aliqua causa subsistendum esse, quae non sit alia, quam ipse Deus. Ut vero exceptionibus, quae circa hocce principium adferri possent, occurramus, observandum, processum in infinitum in causis efficientibus duplici ratione concipi posse, ut vel ascendendo fiat a causis inferioribus ad superiores, vel descendendo ab universalibus causis ad proximas. De posteriori modo nullum est dubium, cum experientia doceat, nec ipsi negent Athei, processum causarum tandem in causa proxima, quae effectum producat, terminari. Prior modus iterum de causis aut per se, aut per accidens subordinatis, potest intelligi. Causae per accidens subordinatae hic equidem in censum non veniunt, interim tamen certum, in utroque genere, praesertim in causis per se subordinatis, infinitam causarum successionem admitti non posse. Causa enim, per infinitam distantiam ab effectu remota, nunquam ad effectum pertinget, adeoque non erit causa, quamvis etiam talis causa per infinitam distantiam remota, & per infinitas causas subordinatas agens, ne quidem concipi queat, cum semper ulterius sine omni fine & termino ascendendum sit, nisi tandem in prima quadam causa, a qua reliquae dependeant, subsistamus. (165) Tertium argumentum *a rerum contingentia*, quam vocant, desumtum, in Metaphysicorum scholis itidem admodum frequens est. Nimirum, cum contingentia, quae possunt esse & non esse, aliquando etiam non sint, aut non fuerint, revera non essent, nisi daretur ens necessarium; quia,

 quod

quod ab alio esse suum non accipit, existere nequit. Illud vero aliud non potest non esse ens necessarium, quia, quod contingens est, certo effectum producere nequit. Necessitas vero vel ex causa quadam oritur, vel non oritur. Posterius si intelligatur, tum ens per se necessarium admittendum, quod solus erit Deus. Prius vero si innuas, tandem tamen ad causam necessariam, quae aliunde non sit, adeoque per se sit necessaria, deveniendum erit. Mitto reliqua, quae eundem in modum a Scholasticis praecipue doctoribus ad evincendam Numinis existentiam, adferri in medium solent. Ex recentioribus omnium optime in hocce argumentorum genere mihi versatus videtur SAMUEL CLARKIUS, cujus *demonstrationem existentiae & attributorum Dei adversus Hobbesium & Spinozam potissimum*, ex Anglicana lingua in Latinam transtulit JENKINUS THOMASIUS. Ex principiis enim evidentissimis, riteque inter se connexis, more quodam geometrico, quae ratio de Deo ejusque attributis cognoscere potest, deducit. Quam ejus demonstrationem, ut in compendio exhibeamus, prima propositio est: *Quod ab aeterno aliquid extiterit.* Etenim licet ipse aeternitatis conceptus, si de modo quaeratur, obscurior sit, ipsa tamen propositio tam evidens est, ut ullum eam negaturum Atheum non sit credibile. (166) Altera propositio est: *Quod ens immutabile & independens ab aeterno extiterit.* Entia namque dependentia ut aeternam habeant successionem, & sine omni prima & independente causa existant, fieri nullo modo potest. (167) Sequitur tertia propositio: *Quod ens illud immutabile & independens, quod sine ulla causa externae suae existentiae ab aeterno fuit, non possit non per se existere, hoc est, necessario existere.* Evidenter hoc demonstrat, simulque ostendit, ideam Dei existentiam per se includere, ita tamen, ut idea haec non tantum in mente existat, sed per objectum extra nos constitutum, producatur; (168) quo ipso a Cartesio dissentit, cujus tamen sententiam, si recte capiatur, non prorsus rejiciendam existimat. (169) Recte etiam docet, & evidenter demonstrat, per ens illud immutabile, independens, & per se necessario existens, mundum materialem nullo modo posse intelligi; qua occasione & JOANNIS TOLANDI sententiam, motum esse essentialem materiae, ut antea diximus, profligat, erroremque SPINOZAE, unam tantum dari substantiam, refellit. Hinc cum *propositione quarta* ostendisset, nos *essentiam entis hujus per se & necessario existentis, comprehendere non posse*; propositione quinta docet: *multa attributa essentialia ejus naturae aeque esse demonstrabilia, ac ejus existentiam*; scilicet, quod *necessario debeat esse aeternum*; item, *infinitum & omnipraesens*, *prop. VI. nonnisi unum*, *prop. VII. intelligentia & libertate praeditum*, *prop. VIII. & IX. &c.* Singularum istarum propositionum demonstrationes apud ipsum auctorem legi possunt. (170)

(163)

(163) *Praemittere potuisset Cl. Auctor argumentum ex* materia *ejusque origine petitum, antequam ad considerationem motus progrederetur, qui tantum in materia suam habere potest sedem. Omnia quidem corpora, quae examinari potuerunt, motu cientur, eoque velocissimo; sed tamen motum materiae non esse essentialem, sive naturalem, manifestum fit non tantum ex eo, quod qualecunque corpus concipi possit, ut in absoluta quiete constitutum, verum etiam ex motus adfectionibus; infinitis scil. modis variari potest quoad* directiones; *si jam motus materiae esset naturalis, nulla foret ratio, ob quam corpus aliquod versus unam plagam potius, quam versus aliam quamcunque moveretur, nisi directio quaedam determinata motui inesset & inesse deberet: sed si directio quaedam motui sit essentialis (cum* motus in genere *sit idea abstracta, quae prototypum suum extra mentem abstrahendo actuosam non habet) omnia corpora, quibus motus iste essentialis inest, eâdem in directione moverentur; quod experientiae est adversum; cum mille modis variae sint directiones, & quovis temporis articulo mille mutationes in directionibus corporum contingant. Idem ratiocinium valet, si applicetur* velocitatibus. *Conf.* Cudworth. *Syst. Intell. pag.* 1131. *seq.* Crousaz *sur le Principe du Mouvement pag.* 6. *suiv.* Cheyne *Principles of Religion P.* I. *pag.* 114. *seqq.* Crusius Nothwendigen Vernunft-wahrheiten §. 215. *seqq. Si igitur motus sit accidentalis materiae; causa debet esse a materia diversa, quae motum impressit, quaeque ejus rationem vere sufficientem in se habet, absque eo, quod recurrendum sit ad aliam & iterum ad aliam causam, ad qualem absurditatem delabi debuit* Spinosa *Ethic. Part.* 2. *prop.* 13. *lemmate* 3. *pag.* 54.

(164) *Quid sit* conatus ad motum, *neque a* Tolando, *neque ab aliis unquam fuit explicatum ea ratione, ut mens veri certique cupida in eo acquiescere possit. In corporibus gravibus Telluris nostrae, si retineantur, obtinet quasi conamen ad motum, ad descendendum versus centrum vel superficiem Telluris; sed gravitatem materiae esse essentialem, nemo facile dixerit, cum corpus concipi possit absque illo nisu, licet gravitas merito referatur inter omnium corporum, quae examinari potuerunt, attributa* universalia, *quae ab* essentialibus *toto coelo differunt. In corporibus elasticis compressis, vel convolutis reperitur conatus ad sese restituendum; verum & elastica virtus ex causa externa non ex essentia materiae nascitur, & corpora illa virtute conspicua non, nisi pressa, resultant. Praeterea quaeritur, an ille* conatus *tendat ad determinatam plagam, sive in determinatam directionem, an vero indifferenter in directiones omnes; si prius, omnia corpora eodem modo moverentur; si posterius, nullus sequeretur motus.*

(165) *Cum progressus causarum effectuumque infinitus, sive in infinitum adscendens sit vulgatissimum Atheorum effugium, plenius ejus absurditas est demonstranda:* 1°. *vel omnia membra seriei, quae infinita dicitur, sunt producta, vel non omnia sunt producta, (tertium non datur):* si non omnia sint producta, *una saltem ex causis, vel membris seriem componentibus debet esse non producta, ideoque haec rationem suae existentiae in se debet habere; & sic series non est infinita, quia in membro non producto terminatur:* si omnia membra, nullo excepto, sint producta, *omnia & singula aliquando non fuerunt, & sic tota series aliquando non fuit: habuit proinde initium.* 2°. *Si series causarum sive moventium, sive aliarum quarumcunque foret infinita, causae numero infinitae praesenti effectui praecesserunt & sic praeterierunt. Ast quidquid nunc est praeteritum, aliquando fuit actu praesens, adeoque quaelibet illarum causarum olim, suo quaeque ordine, praesens fuit. Omnes proinde causae* unica excepta *erant aliquando* futurae, *& nondum existentes. Unica autem illa causa vel est necessaria, adeoque vi suae naturae existens; vel est tantum contingens, adeoque initium habere debuit, quod sibi ipsa dare non potuit.* 3°. *Quodlibet ens seriem istam constituens est contingens, cujus existentia non necessario ex ejus natura sequitur; ideoque omnia illa entia simul sumta seriem necessariam, sive ens compositum, rationem suae existentiae in se habens, constituere nequeunt; quod egregie illustratur exemplo notissimo catenae suspensae, cujus longitudo ignoratur, quo usus fuit* Wollaston *Ebauche de la Religion Naturelle pag.* 110. *seqq. conf.* Bentley *de Stult. Atheismi pag.* 79-95. *vers. Belg.* Reimarus *Voorn. Waarheden van den Natuurl. Godsd.* 1ste *Verhandelinge*, Crusius Nothwendigen Vernunft-wahrheiten §. 148. *seq.* G. A. Maas *in zyn Betoog, enz.* (*quae Dissertatio praemium Legati Stolpiani reportavit A.* 1759.) *pag.* 44. *seqq.*

(166) Posito, quod aliquid existit (*uti de existentia mentis nostrae per intimam conscientiam convincimur, & de existentia totius universi per legitimum sensuum nostrorum usum* moraliter *sumus certi*) aliquid ab aeterno existere debuisse, *est propositio, quam ad* §. *praeced. n°.* 162. *demonstravi. Omne certe, quod existit*, vel *vi suae naturae existit, adeoque necessario, & sic ab omni aeternitate*, vel *existit ex voluntate & operatione alterius entis; sed hoc alterum ens, si rationem vere sufficientem continebit, ob quam prius illud potius existit, quam non existit, debet esse sine initio adeoque aeternum, quia, secundum n.* 165, *progressus causarum in infinitum excurrens est absurdissimus.*

(167)

(167) *Si ens illud aeternum ſuae exiſtentiae rationem ſufficientem in ſe habet, etiam debet eſſe* independens; *ſi enim ab alio dependeret, rationem ſuae exiſtentiae non in ſe, ſed in alio haberet repoſitam; id quippe* independens *eſt*, quod in ſe nihil habet, cujus ratio continetur in alio ente, vel quod alii enti debet. *Idem illud ens debet eſſe* immutabile, *quia, ſi exiſtentia ex ejus natura ſequitur, haec debet eſſe* quoad modum *etiam neceſſaria*, (*cum* exiſtentia in genere *ſit ens rationis, ſeu idea abſtracta*) *hinc contradictionem involveret, id ipſum alio modo exiſtere, quam quo exiſtit; & ſic modus exiſtendi illius neceſſitatis, quae ipſi exiſtentiae competit, eſt particeps: cum eſſentia non poſſit dici rationem ſufficientem continere alicujus modi exiſtendi, niſi hicce modus ſit permanens; & viciſſim, ſimul ac modus exiſtendi determinatus deſinit, pateſcit, rationem illius ſufficientem non in eſſentia illius entis, cui exiſtentia neceſſaria competit, fuiſſe repoſitam. Conf.* Bulffinger *in Dilucid.* §. 405.

(168) *Tertia haec propoſitio ex antecedentibus praeſertim ex n°.* 162. *eſt manifeſta, ſi tantum tollatur vel praecaveatur ambiguitas, quae latet in termino* per ſe exiſtere: *non intelligitur certe, Ens illud aeternum, independens & immutabile* ſe produxiſſe, *ſive* ſui ipſius eſſe cauſam efficientem (*uti incaute mentem ſuam expreſſit* Carteſius *in reſp. ad obj. prim. pag.* 56. *ſeq. licet melius in eodem fere loco ſcripſerit, ſi conferatur id, quod habet in reſp. ad obj.* 2. *pag.* 88. *ſeq. & in reſp. ad obj.* 4. *pag.* 127. *ſeqq.*) *ſed* Ens illud exiſtere vi neceſſitatis abſolutae, quae ipſius naturae inhaeret; *ita ut rationem ſufficientiſſimam ſuae exiſtentiae in ſua eſſentia habeat repoſitam*: vel *enim in ſe habet rationem ſufficientem ſuae exiſtentiae*, vel *in alio ente; tertium non datur: atqui in ipſa propoſitione ſupponitur, illud, ſine ulla cauſa externa ſuae exiſtentiae, ab aeterno fuiſſe; aeternitas autem excludit initium, excludit originem ab alio ente: hinc exiſtit* neceſſario; *ponamus enim illud indifferens fuiſſe ad exiſtendum & ad non exiſtendum, aliquid in hoc caſu exiſtere debuiſſet, quod illud ad exiſtendum potius, quam ad non exiſtendum determinavit; quod fuit vel ipſum ens aeternum, vel aliquid ab eo diverſum; ſi* prius, *ſeſe determinaſſet ad exiſtendum, cum non exiſteret; quod eſt abſurdum; ſi* poſterius, *rationem ſufficientem ſeu determinantem ſuae exiſtentiae non in ſe haberet; quod eſt contra hypotheſin. Alio modo hancce tertiam Propoſitionem demonſtravit ipſe* Clarkius.

(169) *Nequaquam ſic exiſtimandum, acſi* Clarkius *adoptaret argumentum* a priori *ex idea petitum; id tantum vult Vir ſagaciſſimus*, ſine contradictione ſupponi non poſſe, nullum eſſe ens independens, aeternum, & illimitatum in hocce Univerſo, poſtquam conſtitit, aliquid

exi-

existere, quod necessario & vi suae naturae existentiam possidet; *uti liquere potest ex Responsione ad septimam Epistolam, quae subjungitur egregiae operis Clarkiani Versioni Belgicae, ab* J. Boelaard *paratae, Tom.* 1. *pag.* 237. *&c. Imo in Coroll.* 3. *hujus Propositionis* 3^{tiae} *expresse dicit:* Ens illud (*per se existens*) revera, sive extra mentem existere, ex idea demonstrari non potest, nisi certitudo existentiae actualis Entis necessario existentis ex possibilitate existentiae talis entis sequeretur, *&c.*

(170) *Memorat Cl. Auctor in ipsa §. argumentum* ex contingentia rerum creatarum (*potius* ex contingentia hujus universi; *quia, si res sint* creatae, *Creatorem, hoc est, causam externam suae existentiae agnoscunt*) *quod implicite tantum exposuit, cum sit celebratissimum, & litibus quibusdam inter Cl.* Buddeum, *& inter Ill.* Wolffium *praebuerit occasionem, quas in compendio exhibuit* Canzius *in Us. Phil. Leibn. & Wolff. in Theol. Tom. I. pag.* 109-129. *Proposuerunt nervose hocce argumentum prae reliquis* Wolff *Theol. Nat. P. I.* §. 64. *seqq. & de Differentia nexus rerum &c. pag.* 7. *seqq & in Ratione Praelectionum Sect.* 2. C. 3. §. 37-52. Bilfingerus *Dilucid. Philos.* §. 337. *seqq.* Crusius Nothwendigen Vernunft-wahrheiten §. 217. *seqq. Nititur principiis Metaphysicis ad* §. 2. *n°.* 162. *propositis &, omnium simplicissime sequenti ratione exhiberi posse, opinor. Omnia scil. & singula, quae in hoc universo dantur, sunt entia* contingentia 1°. *quia sine contradictione tanquam non existentia, vel alio modo existentia, quam quo nunc existunt, possunt concipi;* 2do *quia continuis mutationibus sunt obnoxia;* 3^{tio} *quia sunt ab omni parte limitata;* 4to *quia successive durant, adeoque adscendendo tandem devenire debemus ad eorum initium; atqui hi quatuor characteres ab Ente necessario, aeterno, rationem sufficientem suae existentiae in se habente exulant. Ideoque hocce universum singulaeque ejus partes sunt entia* contingentia; *quae causam requirunt suae existentiae externam, seu ab ipso universo diversam, quae, quoniam progressus seu series causarum & effectuum infinita sit variis de causis absurdissima (secundum n.* 165.) *per ultimam analysin nulla esse potest, nisi* necessaria, aeterna, per se subsistens, *adeoque ab ipso Universo diversissima. Supponitur autem,* hoc Universum revera extra mentem nostram existere, *de quo tantum* moraliter *sumus certi; atqui certitudo moralis nititur perfectionibus divinis; ideoque hocce argumentum adhiberi non posset contra illos Atheos, qui Scepticismum simulant, nisi, seposita etiam divina existentia, perceptiones ex sensuum legitimo usu ortas respondere debere objectis externis posset, demonstrari. Perceptiones illae non pendent a mentis operatione & arbitrio, sed ipsi invitae quandoque obtruduntur. Mutationes igitur, quae hac ratione*

in

in mente contingunt, causam habent a mente diversam; haec vero, cum potentissima & sapientissima esse oporteat, (quoniam caeteroquin aptissimam illam dispositionem, quam §. seq. consideraturi sumus, producere, mentique ingenerare non valuisset) nulla alia esse potest, quam causa prima: atque adeo ex ipso Universo ideali existentiam Dei demonstrare liceret.

§. IV.

In altera argumentorum classe, primum conspectus totius hujus universi, sive ipsum mundi systema, se nobis offert, cujus si spectes & amplitudinem, & in innumerabili corporum numero ac multitudine ordinem, aptissimamque dispositionem, omnium praeterea ac singulorum ad certos usus finesque directionem, ab eo hoc profectum agnoscas oportet, qui majestatem suam summam, atque potentiam, sapientissima quadam ratione demonstrare voluit. * Id quod & speciatim de sole, luna, ceterisque corporibus coelestibus, dicendum esse, nemo, nisi coecus, rationisque omnis expers, diffitebitur. **

* Ut non casu fortuito, sed ratione certa, sapienterque, aliquid factum censeatur, primo quidem requiritur, ut effectus potentiae & virtuti auctoris respondeat, quove amplior haec est, eo magis in illius *magnitudine* explendescat; tum ut operis magnitudini *varietas* & *multitudo* rerum, quas continet, conveniat; praeterea, ut in summa varietate *ordo* elegantissimus, aptissimaque dispositio elucescat; & tandem, ut cuncta certo *usui* inserviant, & ad *finem* suum accurate conspirent. Haec omnia, ubi junctim in opere quodam conspiciuntur, sapientia artificis tam evidenter cognoscitur, ut mentem omnem rationemque amisisse merito censeatur, qui eam agnoscere nolit, aut sibi aliisque persuadere annitatur, casu fortuito ejusmodi quid extitisse. In hocce vero universi systemate ista conspici, res ipsa docet. *Amplitudo* tanta est, quam nemo mortalium cogitatione assequi valeat, adeoque ratione nostri recte infinita dicitur. Si distantiam primum lunae, tum solis, ceterarumque planetarum a nostra tellure cogitemus; si porro distantiam reliquarum stellarum a sole reliquisque planetis, si ingens illud spatium, quod stellae istae innumerae, tellure nostra, si non multo

 majo-

majores, certe non minores, occupant, animo volvamus, ſtatim tantam univerſi hujus deprehendemus magnitudinem, ut non alium, quam cujus infinita majeſtas pariter ac potentia ſit, agnoſcere auctorem queat. (171) Quodſi vero porro, ſecundum recentiorum hypotheſin, quaelibet ſtella fixa ſolis inſtar ſit, qui ſuum orbem habeat, circa quem etiam forte planetae volvantur, tam auguſta orbis ſe nobis offeret ſpecies, ut nihil auguſtius unquam cogitari queat. (172) Nec tamen, ſi vel maxime haec hypotheſis non admittatur, amplitudini totius hujus univerſi quidquam inde decedet. Magnitudini ejus, rerum, quae in eo continentur, *varietas* reſpondet. Documentum vel ex noſtra tellure capere licet, in qua tot lapidum, aliarumque rerum inanimatarum, tot arborum, plantarum, herbarum atque florum, tot animalium genera, & cujuslibet generis tot iterum ſpecies deprehendere licet, ut hiſce omnibus capiendis, aut enumerandis, animus hominis vix ſufficiat. Sunt, qui volucrium quingentas ſpecies numerant, & piſcium ſexies plures; unde de reliquis facile judicium ferre licet. (173) Non equidem Aſtronomorum, de planetarum incolis ita loquentium, ac ſi ipſimet ibi adfuiſſent, conjecturis multum tribuo; id tamen ſine omni temeritate dici poſſe, exiſtimo, cum tanta rerum creatarum in noſtra tellure ſit varietas, vix credibile eſſe, tam ingentia corpora plane vacua eſſe, immo admodum veroſimile, non minorem rerum, ſummam Numinis & potentiam & ſapientiam demonſtrantium, in illis varietatem deprehendi, quam in noſtra tellure. (174) Quo major autem rerum creatarum eſt varietas ac multitudo, eo elegantior *ordo*, eo aptior & concinnior in his omnibus *diſpoſitio* deprehenditur. Ipſorum corporum coeleſtium & inter ſe invicem, & ratione noſtrae telluris, is poſitus eſt, ut non tantum ſe invicem non impediant, ſed ut unum alteri inſignem utilitatem commodave plurima adferat; quod vel ſolis atque planetarum, intuitu noſtrae telluris ſitus, unumquemque condocere poteſt. Alphonſo equidem Caſtiliae Regi coeleſtium corporum ſyſtema adeo confuſum apparuiſſe, memorant, ut longe melius atque ordinatius conſtitui potuiſſe, putaverit, ſi in univerſi hujus creatione Deus ipſum adhibuiſſet in conſilium. Quod impium non minus, quam ſtolidum ejus dictum, ſummam hominis ignorantiam prodit, quantumvis in aſtrorum ſcientia haud mediocriter ſe profeciſſe ſibi videretur. (175) Certe, ſi noſtri ſeculi Mathematicos, pulcherrimum corporum coeleſtium ordinem, ſine omni confuſione explicantes, audiret, haud dubio longe aliter ſentiret. Haecce autem corpora tam ingentia, tamque apte diſpoſita, ut iterum una cum tellure noſtra, rerum creatarum infinitae multitudini habitacula praebeant, ita iſtae res creatae in ſua genera, & haec iterum in ſpecies ſuas tam concinne diſtributa ſunt, ut exercitus ingentis, in quo primum integras legiones, in legionibus cohortes, in cohortibus manipulos

los conſpicere licet, ſpeciem referant. Unde &'haud raro in Scriptura ſacra Deus *Dominus exercituum* dicitur, quemadmodum & ipſa ſidera ſeu corpora coeleſtia ſubinde *exercitus coeli* vocantur, tum ob multitudinem, tum ob ordinem in illis conſpicuum. Ad haec omnia uſus omnium atque ſingulorum corporum iſtorum accedit, & ſapientiſſima ad certum finem directio, quae ut omnem caſum fortuitum prorſus excludit, ita cauſam liberrime pariter ac ſapientiſſime agentem ſupponit. (176) Quemadmodum vero vel ipſa telluris noſtrae indoles evidentiſſime oſtendit, eam ſapientiſſimo conſilio ita adaptatam, ut hominibus animantibusque, quae in ea degunt, commodum domicilium praeberet, & reliqua omnia, quae ad ſuſtentationem & propagationem eorum neceſſaria ſunt, ſuppeditaret, ita ſolem ipſum, lunamque, eundem habere finem, ut terrae incolis itidem inſervirent, eorumque commoda varia ratione promoverent, nemo, niſi imprudentiſſimus impudentiſſimusque mortalium, inficiatus fuerit. Hinc vero etiam de reliquis corporibus coeleſtibus ferendum judicium; quorum licet nobis non adeo explorata ſit ratio, nullo tamen modo dubitandum, ea ad fines nobiliſſimos praeſtantiſſimosque, etſi nobis maximam partem incognitos, eſſe comparata. Etenim cum quaelibet animalculorum, etiam minutiſſimorum, membra uſum ſuum certiſſimum habeant, & ad certum finem ſint comparata, quis dubitaret, ingentia illa nobiliſſimaque corpora, quae tellurem noſtram magnitudine aut aequant, aut ſuperant, ſine omni atque uſu deſtitui. Quemadmodum vero etiam hodie, poſt artem Anatomicam diligentius excultam, de uſu ſingularum partium, quibus animalia conſtant, multa nobis innotuerunt, quae Galeno, aliisque veterum, non fuere perſpecta; ita etiam ſi natura indolesque corporum coeleſtium accuratius nobis innoteſceret, longe plura de eorum uſu ac fine dici poſſent, quae hodie nobis non ſatis ſunt explorata.

(171) Amplitudo *hujus Univerſi*, (*quod melius* indefinitum *ratione noſtrae cognitionis*, *quam* infinitum *dicitur*) *omnium optime conſpicitur*, *ſi ſolis*, *planetarum*, *ſtellarumque fixarum a Tellure noſtra diſtantiam paulo accuratius inveſtigemus*. *Diſtantia ſolis media a Tellure*, *ſi parallaxis ejus horizontalis ſit* 10 *ſecundorum*, *eſt* 20625 *ſemidiametrorum terreſtrium*; *ſi quaelibet ſemidiameter Telluris* (*numerum ſumendo medium*) *ſit* 1130 *Milliarium Hollandicorum*, *quorum unumquodque complectitur* 1500 *Perticas Rhenolandicas*, (*de quibus omnibus ex profeſſo egi in* Theoria Telluris Phyſico-mathematica *P.* 1. C. 2.) *erit diſtantia media ſolis a Terra noſtra* 23 306 250 *milliarium Hollandicorum*. *Aſt exigua eſt haec univerſi portiuncula*, *ſi comparetur cum diſtantia fixarum*; *Diameter integra Terreſtris orbitae*, (*quae aequalis haberi poteſt* 46612500 *Milliaribus Hollandicis*,) *inſtar*

ſtar puncti phyſici eſt, ſi conferatur cum diſtantia Syrii, qui ex omnibus ſtellis fixis Telluri proxime adſtare videtur; parallaxis quippe fixarum vel nulla hactenus obſervata fuit, vel admodum exigua & pauciſſimorum minutorum ſecundi ordinis. Ponamus, illam parallaxin in Syrio eſſe 5 ſecundorum (licet longe ſit minor, ſi quae detur) & facile per calculum trigonometricum detegimus, diſtantiam iſtius ſtellae eſſe 1736774800 *ſemidiametrorum terreſtrium. Quid igitur ſtatuendum foret de aliis ſtellulis, quae probabiliter longiſſime ultra Syrium a nobis ſunt remotae? cum proſtent Aſtronomicae obſervationes, ex quibus haud levis conjectura formare licet, alias ſtellas aliis eſſe altiores, ſeu remotiores a conſpectu noſtro.*

(172) *Equidem magnifice magis de hocce Univerſo ejusque corporibus ſentimus, ſi quamlibet ſtellam fixam etiam remotiſſimam Solem putemus, cui circumpoſitum eſt ſyſtema aliquod Planetarium, uti circa Solem noſtrum ſex corpora variae magnitudinis moventur, tanquam Planetae* primarii, (*ut decem ſaltem* ſecundarios *taceam*). *Quis enim ſibi perſuadeat, ſtellas numeroſiſſimas, easque a Sole & ſyſtemate noſtro Planetario remotiſſimas, nudo oculo non conſpicuas, in uſus noſtros & aliorum, qui ſyſtematis noſtri Planetas, fortaſſis, habitant, in nullos vero alios fuiſſe conditas? Dubito tamen, an probabilitate aliqua ſeſe commendet conjectura* Derhami (*in Praefat. ad Aſtronom. Theologicam pag.* 28. *ſeqq.*) *ac ſi mutationes, quae in ſitu & numero ſtellularum, viam lacteam, aliasque lucidiores coeli plagas occupantium, contingunt, probabile redderent, cuilibet ſtellae fixae circumpoſitum eſſe ſyſtema Planetarium. Ipſe tales ſaepiſſime obſervavi mutationes in ſpatio lucidiori, quod in Gladio Orionis medio ſuam habet ſedem; ſed ſtellulae, quae locum ſuum mutant, adeo ſunt ſcintillantes, ut Planetae mutuatitio lumine ſplendentes haberi nequeant. Praeterea ſi planetae illi tanto intervallo a ſuo ſole diſtarent, quo Tellus a ſole noſtro, in immenſa iſta diſtantia evaneſceret ipſum illud intervallum, & optimis etiam teleſcopiis diſcerni non poſſet. Conf.* Bentley *over de Dwaasheid der Godverzaakinge pag.* 196. *ſeq. ibidemque meae obſervationes.*

(173) Muſſchenbroekius *in Oratione de Sapientia Divina pag.* 12. *nequaquam in exceſſu peccavit, cum ſtatueret* 600 *eſſe ſpecies avium* (*ſolus certe* Briſſonius *in Ornithologia* 115 *genera recenſuit, inter quae dantur, quorum* 74, 82, *imo* 97 *ſunt ſpecies*) 450 *animalium Terrenorum,* 600 *Piſcium,* 600 *concharum,* 400 *Teſtaceorum,* 50 *Amphibiorum,* 5000 *Inſectorum aquaticorum.*

(174)

(174) *Patentissimum hujus Universi theatrum & analogia corporum motuumque coelestium, quae Telluri nullum prae reliquis, iisque majoribus, Globis privilegium relinquit, suspicandi ansam praebent, plures dari, ab hominibus diversos, atque per amplissima spatia longe lateque diffusos Divinorum operum, & vividissime ex iis elucescentium perfectionum spectatores. Non quidem* apodictice *demonstrari potest, majores illos Globos, ad systema nostrum planetarium pertinentes, aliosque Planetas, qui forte circumeunt stellas fixas, tanquam totidem soles, habitationi entium rationalium esse destinatos; cum exinde, quod nos homunciones nullos fines aptiores adsignare queamus, quodque creati non videantur in solius Telluris usum, nondum patescat, Deum sapientissimum istis finibus praegrandia illa corpora destinasse: attamen ex sola infinitate sapientiae Divinae contra probabilitatem, quae sic obtinet, ex specie aliqua ratiocinii analogici, sed imperfectioris, ratiocinari non licet; cum sic infinitatem intellectus divini tacite transferremus ad ipsa objecta cognitionis Divinae a Deo diversa: quaelibet res finita est, etiam quoad usus suos, determinata; uti Deus ipse plures quam duas diagonales in uno quadrato ductas concipere non potest (quod, salvâ reverentia summa summo Numini debitâ, statuere licet) sic etiam determinatus debet esse numerus usuum, quibus corpora coelestia possunt inservire, quamvis ille numerus possit esse ingens, captumque nostrum longissime superare. Conf.* Reimarus *Voorn. Waarh. van den Natuurl. Godsdienst* 3 *Verhand.* §. 10. *enz. & ingeniosissimus* Maty *Journ. Britann.* 1753. *Sept. & Octob. pag.* 82—88.

(175) *Impium fuisse* Alphonsi *Regis famosissimum dictum, & hac de causa stolidum, facile concedet quilibet vera reverentia Numinis imbutus; sed tamen ab ignorantia illa, quae in eo ab Auctore reprehenditur, est absolvendus, si temporis rationem statumque Astronomiae perpendamus. Quippe cum Tabulae illae Astronomicae, quae* Alphonsinae *dicuntur, ejus jussu construerentur, animadvertebat, tot ambages, atque monstrosas coelestium motuum complicationes, hypothesium instar, a suis Astronomis Arabibus & Judaeis esse assumtas, ut elegantissima nobilissimae scientiae facies exinde deformaretur. Deus igitur nequaquam per vias simplicissimas commoda illa humano generi, aliisque, si forte dentur, systematis nostri Planetarii incolis procurasset, quae nunc percipiunt ex ordinatissima dispositione & motibus corporum coelestium, si ea fuisset Universi constitutio, quam ex verae Astronomiae ignorantia Alphonsini temporis Astronomi confinxerant. Conf.* Weidlerus *Hist. Astron. Cap. XII.* §. 18. *&* Montucla *l'Histoire des Mathematiques Tom. II. pag.* 418. *suiv.*

(176) *In genere circa systema nostrum Planetarium observandum, ipso fatente* Maupertuisio, *l'Hist. de l'Acad. Roy. de Berlin Tom.* 2. *pag.* 270. *suiv.* (*licet caeteroquin non admodum benigne sentiat de argumentis pro sapientia divina ex operibus creationis desumtis,*) *quod* vix probabile *sit* (*dicamus potius, quod* non probabile *sit*) *casum fortuitum esse originem motuum, qui in systemate illo deteguntur. Omnia illa corpora versus eandem plagam* (*ab occidente, scilicet, in orientem*) *moventur, in orbitis fere concentricis; moventur* fere *in eodem plano; cum Zona, intra quam omnes orbitae continentur, sit quam proxime pars* decima septima *superficiei totius sphaerae; exinde derivat Vir Illustris, quod, si ad planum orbitae terrestris referantur reliquorum quinque planetarum plana, probabilitas, quinque illa plana intra hancce Zonam fore comprehensa, sit ad contrarium uti* 1 *ad* 17^5-1, *hoc est, uti* 1 *ad* 1419856 *posito, quod haecce corpora motus suos peragant in vacuo. Non licet heic loci totum hoc ratiocinium & calculum* Maupertuisii *ad examen revocare: id nunc observasse sufficiet, Epicuraeos, quorum causam nimis aperte agit Vir eximius, nihil lucrari frigidis illis exceptiunculis, quas eorum nomine proponit; cum motus illi ordinatissimi concipi nequeant, absque nisu ad commune gravitatis centrum, qui ex natura materiae non profluit, sed causam externam agnoscit; sufficit, Telluris incolis utilissimum esse, quod Planetae a plano terrestris semitae non longe divagentur, uti solent Cometae, in excentricis admodum orbitis moti; cum sic Phaenomena oriantur, quae & Geographicis & Nauticis & Chronologicis usibus sunt aptissima. Conf. ea, quae notavi ad* Reimari *laudatissimum opus l. c.* §. 10. *pag.* 230, *& quae ad* §. 5. *hujus Capitis sum propositurus.*

** Priusquam ad singulorum corporum coelestium considerationem descendamus, generatim primum observare juvat, ipsa haecce corpora solida esse, aetheri tamen, utpote corpori maxime fluido, velut innatare. Utrumque autem, ut moveri, ea, qua debebant, ratione possent, prorsus erat necessarium. Corpori enim solido, nisi per fluidum transitus pateat, motus ejus continuari nequit. (177) Rursus, si corpus, quod moveri debet, compactum non esset, atque solidissimum, in motu isto velocissimo, quo corpora coelestia abripiuntur, mox dissolveretur. Quo minus autem hocce fieret, Deus corporibus hisce gravitatem indidit, qua efficitur, ut, quantumvis motus, quo feruntur, circularis, maxime violentus sit, cum, quaecunque in circulum moventur, vi quadam naturali a centro discedere conentur, & nisi alia causa obstet, discedant, non tamen dissolvantur, cum per gravitatis leges cuncta ad centrum suum descendendo eo arctius cohaereant, & omnem dissipationem impediant. Quantumvis autem Philosophi

ſophi in cauſa gravitatis inveſtiganda deſudent; certum tamen, hanc a Conditore hujus univerſi conſtitutam; & ultimato tandem ejus ſummam potentiam ſapientiamque hic agnoſcendam eſſe; conf. RICHARDUS BENTLEJUS, in *ſtultitia & irrationabilit. Atheismi pag.* 160. Eandem potentiam ſapientiamque ſummam, motus corporum coeleſtium, tum revolutionis, quem vocant, tum quorundam circa alia corpora, luculenter demonſtrat. Id ſane vel Solis exemplo patet, qui ſi ea ratione non moveretur, diei non tantum & noctis, ſed aeſtatis & hiemis, veris & autumni, viciſſitudinibus gratis non minus, quam neceſſariis, nobis carendum eſſet. Immo ſine motu ſolis revolutionis nec homines, nec animalia, vivere in noſtra tellure poſſent, cum unum hemiſphaerium propter frigus & tenebras perpetuas, alterum propter aeſtum & calorem ſummum prorſus inhabitabile futurum eſſet. Ad alterum vero motum quod attinet, qui diei atque noctis diſcrimen conſtituit, ſi quis vel maxime Copernici ſyſtema amplectatur, noſtrae tamen id non obſtabit cauſae, cum & in telluris iſto motu non minus potentia Numinis ſeſe manifeſtatura eſſet. Quicquid hujus ſit, motus ille corporum coeleſtium ita comparatus eſt, ut neceſſario ſapientiam Divinam arguat, cum ex ſolis legibus mechanicis, ſepoſita Numinis omnipotentia, nullo modo explicari queat, quod ſecundum principia ISAACI NEWTONI, praeſtantiſſimi noſtrae aetatis Mathematici, eleganter demonſtrat GEORGIUS CHEYNE, in *principiis Philoſophicis religionis naturalis*, apud JOANNEM CLERICUM, *biblioth. anc. & mod. tom. III. part. I. artic. II. pag.* 52. *ſeqq.* (178) Vel ipſe ordo & conſtantia incredibilis, quae in corporum iſtorum motu conſpicitur, omnes & ad illorum admirationem, & mentis ſapientiſſimae, quae ea ita diſpoſuit, agnitionem adducere poteſt. Quod ut ipſe TULLIUS probe intellexit, ita rectiſſime hac de re pronuntiat: *Coeleſtem admirabilem ordinem incredibilemque conſtantiam, ex qua conſervatio & ſalus omnium omnis oritur, qui vacare mente putat, is ipſe mentis expers habendus eſt; de natur. deor. libr. II. cap. XXI. pag. m.* 1222. (179) Immo haec ipſa ratio eſt, cur Gentiles, attentius iſta conſiderantes, aſtris divinitatem tribuerent, & ea pro diis colerent, ſaltem mentem aut intelligentiam illis adderent, quae Ariſtotelis fuit ſententia. Qua de re iterum CICERO: *Hanc igitur in ſtellis conſtantiam, hanc tantam, tam variis curſibus in omni aeternitate convenientiam temporum, non poſſum intelligere, ſine mente, ratione, conſilio. Quae cum in ſideribus ineſſe videamus, non poſſumus ea ipſa non in deorum numero reponere, loc. cit.* Perperam quidem, quod ideo ſidera ipſa in deorum numero poſuerint, aut iis mentem tribuerint; rectiſſime tamen, quod collegerunt, motum iſtum ordinatum conſtantiſſimumque, ſummam ſupponere ſapientiam, quam omnino ei, qui illum ſtellis indidit, tribuere debebant. Generatim, quod de corporibus coeleſtibus eorumque motu dixit, id & ſpeciatim de

de ſtellis, quas vocant, erraticis ſeu planetis, recte pronuntiat idem, quem jam laudavimus, TULLIUS: *Maxime vero ſunt admirabiles motus earum quinque ſtellarum, quae falſo vocantur errantes; nihil enim errat, quod in omni aeternitate conſervat progreſſus, & regreſſus, reliquosque motus conſtantes & ratos. Quod eo eſt admirabilius in his ſtellis, quas dicimus, quia tum occultantur, tum rurſus aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum ſubſequuntur, tum celerius moventur, tum tardius, tum omnino ne moventur quidem, ſed ad quoddam tempus inſiſtunt, &c. loc. cit.* Jam ſi ſpeciatim *Solem* conſideremus, etſi ipſa ejus magnitudo, qua CLX vicibus ad minimum tellurem noſtram ſuperat, cum ſplendore ſummo omnes merito in admirationem rapiat, ſumma tamen etiam, quam telluri noſtrae praeſtat, utilitas, ſapientiam conditoris luculentiſſime arguit. (180) Sine eo ſi tellus noſtra eſſet, animalibus omnibus hominibusque ea deſtitueretur. Nullas proferret fruges, quae animantibus hominibusque alendis inſerviant; adeoque ſi vel maxime homines aut animantia naſcerentur, fame illis pereundum eſſet. Eſto vero, (quod tamen fieri prorſus nequit) vivere aut homines, aut animantia ſine Sole poſſe, miſerrima tamen vita eſſet, cum iis cum frigore ſummo, perpetuisque ſemper colluctandum eſſet tenebris. Et quid quaeſo homines ſine luce agere aut ſuſcipere poſſent? (181) Idem & de *Luna* dicendum, commoda ex ea plurima in noſtram tellurem redundare. Ad temporum intervalla, ſine quibus vita hominum ſocialis ſibi non conſtat, rite conſtituenda, ea plurimum confert; longae noctis taedia pellit; iter in terra marique facientibus prodeſt; fluxum atque refluxum maris, ne quiete corrumpatur, promovet; & quis reliqua ejus commoda omnia enarret? Dubium enim prorſus nullum eſt, quin uſus longe adhuc nobiliores praeſtantioresque habeat, qui nobis noti non ſunt: id quod & de reliquis planetis eſt cenſendum. Immo ipſae ſolis lunaeque eclipſes uſu ſuo non deſtituuntur, ſi quidem ad temporum rationes accuratius ordinandas, hinc & ad chronologiae ac hiſtoriae defectus emendandos, ad longitudinem locorum determinandam, plurimum faciunt; conf. JOAN. RAYI *exiſtentia & ſapientia Dei manifeſtata in operibus creationis, pag. m. 69.* Haec omnia, quae hactenus diximus, tam evidentia ſunt, ut nihil plane Atheis relictum exiſtimem, quod excipere queant. Nonnulli tamen, ut aliquid dixiſſe videantur, aequatoris & eclipticae ſitum in coelo perſtringunt, eum parum commodum eſſe, contendentes, eo quod angulo ſeſe mutuo interſecent duo iſti circuli, viginti trium graduum amplitudinem circiter complectente. Hinc enim evenire neceſſe eſt, ut pars media telluris nimio aeſtu aduratur, duae extremae ob nimium frigus fere inhabitabiles reddantur. Et hoc quidem eſt, quod jam pridem ex mente Epicuri in ſyſtemate hocce hujus univerſi deſideravit TITUS LUCRETIUS CARUS:

Inde

Inde duas porro prope partes fervidus ardor,
Assiduusque geli casus mortalibus aufert:

De *rerum natura libr. V. pag. m.* 154. edit, OBERTI CIFANII. Sed hosce homines experientia refellit; quae ea loca habitari docet, quae Veteres pro inhabitabilibus habuere. (182) Situs praeterea hicce telluris ratione solis ita comparatus est, ut commodior nullus fingi queat, cui gratissimas utilissimasque vicissitudines, quibus quatuor anni tempora sibi invicem succedunt, variationem insuper illam, quae in diversa dierum longitudine deprehenditur, debemus. Legenda, quae eleganter hanc in rem differit RICHARDUS BENTLEJUS, in *stultitia & irrationabilitate Atheismi, pag.* 401. *seqq.*

(177) *Sive fluidum aliquod aethereum repleat coelestia spatia, & vorticoso suo motu circa solem circumvehat Planetas; sive spatia illa sint penitus vacua, exceptis luminis particulis, atque exhalationibus e corporibus coelestibus emissis, (quod legibus motus & Astronomicis observationibus magis est conveniens) semper ex motibus, quibus illa corpora cientur, potentissimum haurire licet pro summi Artificis directione, adeoque pro ejus existentia argumentum. Fluidum quippe aethereum, illudque subtilissimum, sustinere non posset ponderosissima corpora, nisi haec sustentarentur Opificis manu; imo quaenam est ratio ultima istorum motuum, quibus illud fluidum agitatur, qui varii admodum sunt in variis a centro solis distantiis? quot non miracula admittere deberemus, semel admissâ de vorticibus coelestibus fabula! Ast si in spatiis fere vacuis agitentur Planetae, si eorum motus sit compositus (quia est curvilineus, & ellipticus) si nascatur ex vi projectili juncta cum gravitatis nisu, ab omni parte conspicua redditur dexterrima manus; cum eo saltem impudentiae non processurus sit Epicuraeus, vel qualiscunque Deitatis hostis, ut statuat, motum istum projectilem materiae esse essentialem, vel gravitatis vim ex natura illorum corporum profluere, quae in coelestibus spatiis ordinatissime cientur, ita ut areas describant temporibus proportionales, & quadrata temporum periodicorum proportionalia sint cubis distantiarum mediarum a solis centro.*

(178) *Quam simplicia sunt artificia, quibus & dierum noctiumque vicissitudines & annuarum tempestatum utilissimae & penitus necessariae varietates nascuntur in Tellure nostra!* illae *scilicet per solam circumvolutionem ingentis hujus molis circa axem ab occidente in orientem: hae vero ex obliquo axis terrestris positu, sive ex ejus inclinatione constanti ad planum orbitae; dum sibi ipse manet semper parallelus, polis ad eadem coeli stellati puncta respicientibus: verum si axis ille ad angulos rectos institisset Eclipticae plano & sic sibi ipse perpetuo*

mansisset parallelus, maximo vegetabilium & animalium detrimento in perpetuo vere versata fuisset Tellus, diesque noctesque per totum annum fuissent aequales. Si vero axis Telluris in eodem fuisset plano cum Ecliptica, & in illo situ sibi ipse mansisset parallelus, nullius, vel exiguae utilitatis fuisset circumvolutio circa axem; dies fuissent sex mensium, quod vegetabilibus & animalibus extitisset funestum. Pretiosissima igitur istarum vicissitudinum cum dierum noctiumque, tum anni tempestatum commoda nascuntur unice ex inclinatione axis ad planum Eclipticae angulo non admodum variabili 23½ *graduum fere, conjuncta cum revolutione diurna. Conf.* Bentley *a Confutation of Atheism VIII. sermon pag.* 20. *&c. vel in Versione Belgica pag.* 237. *&c. ibidemque meae annotationes.*

(179) *Nisi constantissimae forent leges, secundum quas corpora coelestia suos motus peragunt, nihil foret certum in* Geographia, Arte Nautica, Chronologia, & Gnomonica. *Si hodie in determinato aliquo loco inventa fuerit per observationes Astronomicas certa quaedam altitudo poli, post exiguum temporis intervallum, alia poli elevatio inveniretur, licet optimae adhibeantur Machinae ab hominibus circumspectis & exercitatis; & sic quoque innumerae nascerentur eaeque periculosissimae turbae in Artis nauticae regulis, imo nec Longitudines locorum mediante Luna determinarentur, nec Horologium marinum ab* Harrisonio *inventum aliquam praeberet utilitatem; nec denique ex observationibus circa acum magneticam ejusque declinationes pro invenienda Longitudine aliquid derivari posset certi. Si vaga foret vel corporum coelestium, vel motuum, quibus agitantur, dispositio, actum foret de praecipuis Chronologiae fundamentis; cum temporum ratio & historiarum series per annorum, qui aequales sunt supponendi, consecutiones, determinentur, atque intricatae in hac scientia occurrentes difficultates per Eclipsium calculum removeantur, qui in constantia motuum coelestium est fundatus. Qualis denique confusio in Gnomonica nasceretur, quam inutilia redderentur horologia solaria, quam incerta foret horarum ratio, sublata memoratorum motuum immutabilitate, nimium est manifestum, quam ut fusius edoceretur.*

(180) *Non* centies & sexagesies *tantum Tellurem superat Sol, (sic enim parallaxis ejus horizontalis foret* 2 *minutorum &* 59 *secundorum, cum tantum sit* 10 *secundorum) verum, posita hac parallaxi* 10 *secundorum, diameter Solis est ad illam Telluris, uti* 96 *ad* 1; *adeoque corpus Solis est ad illud Telluris, uti* 884736 *ad* 1. *Si paululum sit minor parallaxis horizontalis Solis (uti ex quibusdam observationibus circa transitum Veneris A.* 1761. *concludendum videtur) augenda est haecce proportio, & Solis diameter foret ad diametrum Telluris (posita parallaxi illa*

illa 9¼ secundorum) uti 101, 4 *ad* 1, *& moles Solis foret ad illam Telluris, uti* 1042590 *ad* 1.

(181) *Solis beneficia multum minuerentur, si in omnibus Terrae locis eodem modo sese haberet radiorum solarium directio, vel si eadem loca eodem modo perpetuo illustrarentur: ob globosam vero Telluris figuram (quae varias ob rationes omnium erat aptissima) ob inclinationem satis constantem axis terrestris, ejusque parallelismum, ob motum denique annuum & diurnum; variae sunt anni tempestates, ac variae dierum longitudines. Verum hoc non sufficiebat; sed apta dari debebat proportio inter annuum & inter diurnum Telluris motum. Si annuus motus duplo fuisset velocior, tempestates anni constantes duplo fuissent breviores, adeoque ad maturitatem suam pervenire non potuissent fructus & segetes; si idem ille motus annuus multo fuisset lentior, quaedam Terrae regiones nimis diu Solis verticibus vicini ardori exponerentur, dum aliae nimium premerentur frigoris diuturnioris inclementia. Si Telluris circumvolutio circa axem longe fuisset lentior, dies noctesque non fuissent accommodatae laboribus, quieti, indigentiis Terricolarum; si eadem intra multo brevius tempus perageretur, labores & itinera nimium frequenter interrumperentur per noctis tenebras, & tempora quieti destinata nimium forent angusta.*

(182) *Nunquam Veteres ingressi erant Zonam Torridam, sive spatium illud superficiei terrestris, quod intra duos Tropicos continetur (nisi forte, ex narratione* Herodoti *Lib.* 4. *excipiamus Phoenices, Africam circumnavigantes); ex aestu insigniori, quem experiebantur in Italia, Graecia, Hispania, Aegypto atque aliis regionibus Tropico Cancri propius adjacentibus, non sine veri specie concludebant, terras Solis viae magis subjectas caloris vehementia esse inhabitabiles. Haec pluribus exposui in* Theoria Telluris. §. 608. seqq. *Verum postquam navigandi ars ad insignius perfectionis fastigium fuit evecta, longe alia reperta fuit Zonae Torridae facies: calor est admodum tolerabilis in plerisque regionibus; imo ex calculo Algebraico, quem loc. cit. exhibui, calor totius diei sub Aequatore, quando sol ipsi imminet, est ad calorem diei longissimi in hac urbe Leidensi, uti* 80 *ad* 73; *quae certe differentia sic satis est exigua. Conferri merentur* de uitgezogte Verhandelingen, *by Houttuin IV. Deel, pag.* 457-470. *Coelum autem hocce temperatum & insignis istarum regionum fertilitas magnam partem tribuenda* tum *dierum noctiumque perpetuae fere aequalitati,* tum *densis nubibus, quibus Solis facies tegitur, quando eorum Terricolarum verticibus est proximus,* tum *etiam continuis ventis, praesertim orientalibus, quibus refrigerantur aer, terra, homines, animalia, & vegetantia: ut taceam copiosissimos rores, altissimos mon-*

tes, *& viciniam Oceani*, *quae omnia plenius expoſui in* Theoria Telluris *l. c.* *& in peculiari Diſſertatione* de cauſis, per quas Zona Torrida eſt habitabilis *paſſim*.

§. V.

E coelo ſi in terram deſcendamus, nec minora, nec pauciora, ſapientiae Divinae ſeſe nobis offerunt argumenta. Ipſa enim tellus noſtra in omnibus ita adaptata & inſtructa eſt, ut commodius pro tot hominibus & animantibus, quae alere ac ſuſtentare debebat, habitaculum nullo modo excogitari queat; * ne quid de ingentibus, quos ad hominum ſtuporem quotidie profert, theſauris aliquid dicam. ** Ipſa vero animantia, ut multitudine innumera ſunt, ita corpora quoad omnes ſingulasque partes aptiſſime conſtructa habent, prout loci, in quo degere debebant, alimenti, quo nutriendi erant, conſervationisque, qua integram ſpeciem, qua ſingula individua, ratio poſtulabat. ***

* In telluris noſtrae conſideratione primum quatuor vulgo ſic dicta elementa merito in cenſum veniunt; *ignis*, *aqua*, *aër*, & *terra*. Reliqua omnia ſi hominibus ſuppeterent, *igne* vero deſtituerentur, non tantum miſera maxime vita eorum futura, ſed multis etiam frigore pereundum eſſet. Qui ignis porro commoda intelligere cupit, is ſaltem cogitet, quid ad metalla rite tractanda conferat; quot & quam neceſſaria ad agriculturam, rem domeſticam, & militarem, ad artium quoque variarum progreſſum & incrementum, inde conficiantur inſtrumenta; quem in nobiliſſimis praeſtantiſſimisque medicamentis, ad hominum ſanitatem conſervandam aut reparandam, praebeat uſum; quam eo in cibis coquendis carere nulla ratione queamus. Quam vero utilis & neceſſarius ignis eſt, tam facile excitari alique poteſt; materiae quoque, ut lignorum atque arborum, tanta eſt abundantia, ut tot hominum, tot gentium neceſſitatibus ſufficiat. Qua in re vel maxime provida Numinis cura eluceſcit, quod rerum ad hominum vitam ſuſtentandam neceſſariarum tantam in tellure noſtra copiam extare voluerit, ut earum non temere defectus ullus metuendus eſſet. De igne quod diximus, idem & de *aqua* cenſendum. De uſu ejus in vita quotidiana, lotionibus, balneis, ciborum praeparatione, nihil dicam,

cum

cum hic omnibus ſatis notus ſit. Pretium ejus illi, ni fallor, quam rectiſſime intelligunt, qui ejus penuria laborant, quamvis tanta copia itidem ſuppeditetur, & tam apte per fluvios & rivos diſtribuatur, ut homines animantiaque innumera quotidie ea ſitim reſtinguere queant. Non vero hominibus tantum pecudibusque, ſi aqua non eſſet, pereundum eſſet, ſed plantis quoque arboribusque & herbis omnibus terra deſtitueretur, quae aquae cumprimis incrementum & conſervationem debent. Eo magis autem ad haec omnia aqua eſt neceſſaria, quod ipſamet principia quaedam ſeu particulas, ex quibus corpora componuntur, continet; unde nonulli Veterum in eam ingreſſi ſunt ſententiam, aquam primum rerum omnium eſſe principium. Piſcibus inſuper innumeris & animalibus aquatilibus propriam velut ſedem praebet; quibus omnibus deſtitueremus, ſi fluviis atque mari tellus noſtra non eſſet inſtructa. Eo magis vero Athei ſtultitiam ſuam produnt, dum, hoc maxime in noſtro orbe reprehendunt, quod tantum ejus ſpatium oceano ſit tributum, quod ab hominibus, ut putant, inhabitari poſſet; & hinc concludunt, tellurem hanc hominum cauſa non eſſe conditam. Naturam rerum hinc culpat LUCRETIUS, quod magnam orbis partem teneant

vaſtaeque paludes
Et mare, quod late terrarum diſtinet oras,

loc. cit. pag. m. 154: Metuere ſcilicet videntur cenſores operum divinorum ineptiſſimi, ne orbis habitabilis hominibus nimis anguſtus fiat, unde & maria in regiones & provincias mutari, cupiunt. Sed inanem prorſus iſtum metum eſſe, facile intelligere poſſent, ſi modo ſecum reputarent, nunquam hodie tot homines naſci, ut non totidem fere morte abripiantur, immo interdum, ſi morbi epidemici aut clades bellicae, quae frequentiſſimae ſunt, accedant, longe plures. (183) At cui bono, inquiunt, vaſtiſſimus oceanus tantum occupat ſpatium, in quo plurimae nobiliſſimaeque regiones locum invenire potuiſſent? Sed merito illis reponimus, cur vero plures regiones hominibus concedendae eſſent, cum hactenus nondum omnes incolas habeant? Dum autem ſine cauſa graviſſima tantum oceano ſpatium attributum putant, nihil aliud agunt, quam ut profundiſſimam phyſicae doctrinae ignorantiam prodant. Ut enim alia, quae inde ad homines redundant, commoda, & ingentes piſcium exercitus, qui in oceano ſedes ſuas habent, taceam, nemo, niſi rudis omnium rerum, neſcit, quanta vi vaporum opus ſit, quibus in nubes, rorem, pluviam condenſatis, terra irrigetur, atque ad producendos varii generis fructus foecunda reddatur. Quodſi inſuper illorum amplecti ſententiam velimus, qui fontes, fluviosque ex hiſce vaporibus oriri contendunt, eo magis pa-

tebit, de nimia oceani magnitudine nullas nobis esse conquerendi causas. Quanquam eodem res redeat, si fluviorum fontiumque origo ex mari per meatus subterraneos derivetur. Cum enim & hac ratione mare fontibus omnibus atque fluviis sufficere debeat, qui velut per circulationem quandam aquam ex eo accipiunt, & illi reddunt, & praeter haec magna vis vaporum in nubes condensetur, nemini profecto maris amplitudo minus necessaria videbitur. Immo praestantissimis doctrinae naturalis scrutatoribus observatum est, si mare tam amplum non esset, ob vaporum defectum, incommoda plurima in tellure nostra oritura. (184) Divinae autem sapientiae in eo quoque deprehendere vestigium licet, quod venti plerumque ab oceano ad terram ferantur, ut vapores in loca, ubi eorum usus est, devehantur. Sed nec illud praetermittendum, quod, cum mare salsum sit, & ob varias rationes esse debeat, aquae tamen inde proficiscentes deposito sale dulcescant. Haec vero omnia sapientissime ita constituta quis neget? Addenda, quae hac de re disserit JOANNES RAYUS, in *existentia & sapientia Dei manifestata in operibus creationis*, *pag.* 82. *seqq.* *De aëre* ut multa dicamus, necesse non est. Ad respirationem enim cum necessarium esse, quotidie experimur. Neque hominibus tantum, animantibusque terrestribus, sed ipsis etiam, ut nonnullis observatum, necessarius est piscibus. Ejus autem consideratio simul ad *meteora* nos ducit, quae tot naturae admiranda nobis exhibent, ut vel sola ad Atheum convincendum sufficiant. Integri libri res esset, si quis *ventorum* (ut horum tantum mentionem faciam) explicare utilitatem vellet. Hi nubes ab uno loco in alium transferunt, ut eo commodius terram irrigare queant; hi maria ne corrumpantur, movent, vapores noxios dispellunt, aëremque purum & salubrem reddunt; hi motu suo plantarum arborumque incrementum promovent; hi in regionibus calidioribus frigore quodam amoeno aërem temperant, hominesque & animantia, ne aestu enecentur, reficiunt; hi navigationi, qua remotissimae inter se conjunguntur gentes, quave ipsa coelestis simul per orbem universum propagatur veritas, inserviunt. (185) Ad fulmina equidem & tonitrua quod attinet, TITUS LUCRETIUS CARUS in eo totus est, ut evincat, vel horum exemplo patere, talia fortuito casu, sineque Numinis directione contingere. Innocentes enim non minus, quam nocentes ea ferire, ait; templa deorum aeque ac alias aedes, immo loca prorsus deserta:

Cur etiam loca sola petunt, frustraque laborant?

loc. cit. lib. VI. *pag. m.* 206. Idem etiam de pluviis objici solet, iis non tantum loca fertilia, aut ea, quae ab hominibus coluntur, sed sterilia etiam, deserta, immo rupes & ingentia saxa, irrigari. (186) Verum,

Verum, ut fulmina ac tonitrua non minus, quam pluvias, ad terrae fertilitatem, fructusque varios producendos, & eorum incrementum promovendum facere, nemo dubitaverit; ita & secundum certas naturae leges talia dispensari, eos, qui in naturali doctrina non plane hospites sunt, non fugit. Illae ipsae leges, cum a Deo constitutae atque sancitae sint, quod secundum eas contingit, tantum abest, ut casu fortuito evenire censeri queat, ut potius hoc ipso summam & infinitam supremi Numinis sapientiam arguant. Nec tamen specialis ejus directio ab hisce abest, quoties homines fulmine icti pereunt. Improbi enim si sint, scelerum suorum justissimas hac ratione poenas luunt. Sin vero probi & honesti, Deo quidem itidem causae sanctissimae, nobis tamen parum cognitae atque perspectae, esse possunt, cur eos hac ratione vitam cum morte permutare velit. *Terra* denique ipsa basin & fundamentum praebet, cui pulcherrima Numinis opera sunt superstructa. Haecce hominum animantiumque commodissima sedes est, quae omnibus etiam alimenta, hominibus insuper vestimenta, & quicquid non tantum ad necessitatem, sed & ad ornatum ac elegantiam pertinet, incredibili copia suppeditat. Superficies insuper telluris collibus, vallibus, campis, & montibus distincta, non tantum oculis jucundum spectaculum praebet, sed variis hominum usibus eam aptiorem reddit. Hic rursus equidem, quod carpant, sibi invenisse visi sunt Athei. Ex horum namque mente LUCRETIUS conqueritur:

Inde avidam partem, montes, silvasque ferarum
Possedere, tenent rupes, vastaeque paludes.

loc. cit. lib. V. pag. m. 204. Sed ipsi morosi censores nescire videntur, quid sibi velint. Montes enim umbram subinde gratam non minus, quam necessariam praebere, interdum abundare metallis, quandoque vitibus plantandis inservire, subinde & certis animalibus praebere sedem, quod & de rupibus observandum, plantas quoque atque herbas proferre, quae in vallibus aut planitie non crescunt, nemo est, qui ignoret. (187) Et quis de silvarum usu dubitet? quae non tantum ligna praebent, tum igni alendo, tum aedificiis extruendis inservitura, sed ejusmodi feris abundant, quae hominibus in cibum cedunt, quibus si & noxiae quaedam accedunt, quaeve hominibus metuendae sunt, id rerum ordo, ac pulchritudo hujus universi ita postulavit, nec tamen damnum inferre hominibus possent, nisi horum culpa hoc contingeret, ut in sequentibus demonstrabitur. Addenda tamen, quae hac de re disserit RICHARDUS BENTLEJUS, *loc. cit. pag.* 420. item SAMUEL PARKERUS, *dissert.* II. *de Deo, sect.* XXIV. *pag.* 177. (188)

(183) *Assertum hocce Auctoris nostri*, nunquam tot homines nasci, ut non totidem fere morte abripiantur, *recte sese habet, si debito modo explicetur, adjecta vocula* fere. *Nequaquam certe putandum, acsi hominum numerus paulatim decresceret, quemadmodum opinatus fuit Illustris* Montesquieux *l'Esprit des Loix Liv.* 23. *Chap.* 19. *Fatendum, nonnullas regiones Asiaticas imo & Europaeas olim majori numero incolarum fuisse gavisas, quae nunc fere desertae & incultae jacent; verum absurdissima foret conclusio, si exinde derivaretur, Terricolarum numerum nunc esse minorem; quam ante duo fere annorum millia; bellis, peste, inundationibus, incendiis, terrae motibus, coelibatu similibusque causis in quibusdam Terrae partibus deminutus est incolarum numerus, vel eorum plurimi sedes novas quaerere fuerunt coacti; sed in aliis regionibus increvit summopere incolentium numerus; quod pluribus docuit eximius* Reimarus *Voorn. Waarh. van den Natuurl. Godsdienst* 1ste *Verhand.* §. 13. *&c. Si vetustas observationes conferamus cum recentioribus, non multum numerus hominum in eadem regione augetur, uti* Struyckius *noster recte demonstravit* Gissingen over den staat van het Menschelyk Geslagt *pag.* 328. *enz. Conf.* Hume *Wysgeerige en Staatkundige Proeven pag.* 259--385. *Quod si autem numerus morientium & nascentium intra anni decursum cognoscantur, determinari facili calculo potest, intra quantum temporis spatium numerus hominum duplicaretur. Vid.* Brakenridge *in Philos. Transact. Vol.* 49. *pag.* 280. *seqq. & Vol.* 50. *pag.* 465. *seqq. &* Susmilch Gottliche Ordnung / &c. 1 Theil pag. 274—300.

(184) *Si vaporum quantitas, quae nunc ex Oceano aliisque aquis adscendit, non sit nimia, (uti ipsi illi insanientes censores fateri coguntur) certissimum est, aquarum superficie deminutâ, vapores non fore sufficientes: ponamus, Oceanum, qui nunc fere duas tertias partes superficiei terrestris occupare a quibusdam judicatur, (licet ignoremus, quomodo sese res habeat in Zona frigida Australi, circulo polari Antarctico comprehensa) duplo contractiorem evadere, dum Terrae exstantis superficies duplo evadit amplior; & necessario sequeretur, ut, caeteris paribus, duplo pauciores vapores adscendant, qui pluvias, rores, nives, fontes, fluvios sufficientes duplo ampliori superficiei terrestri suppeditare nequeunt: ita ut quodlibet milliare quadratum quadruplo minorem aquae quantitatem haberet, quam qua nunc irrigatur. Conf.* Fabricius *la Theologie de l'Eau L.* 2. *C.* 2. Bentley *Dwaash. der Godverzaakinge pag.* 246—249. Derham *Godgeleerde Natuurk.* 2de *B.* 5de *Hoofdst.*

(185) *Adjicere liceat memoratis ab Auctore commodis, quae ex aëre atmosphaerico in humanum genus redundant, ipsius* colorem coeruleum, *sive hic oriatur ex mistura albedinis atque nigri coloris, qui in spatiis coelestibus, ob defectum luminis ad oculos nostros reflexi, obtinere creditur; sive (quod magis probabile esse, docui in* Theoria Telluris §. 437.) *nascatur ex ipso aëre, omnium copiosissime radios coeruleos reflectente & transmittente; sufficit, quod oculis nostris sit amoenissimus pariter atque utilissimus, ita ut viridis coloris in hac parte sit aemulus: quid enim, si Atmosphaera nostra radios coccineos, vel etiam flavos seu aurantios omnium copiosissime repercuteret! quid si radii plerique essent violacei! in priori casu fatigarentur oculi lumine nimium vivido; in posteriori lumen non sufficeret, ut minima aut longius dissita objecta distinguantur, & subtiliora parentur artificia.*

(186) *Pluvia in locis sterilibus, & desertis, in rupibus saxisque decidens, etiam nutrimentum praebet plantis, & fontibus; potum subministrat animalibus, refrigerat aërem, noxiasque removet exhalationes, ne ventis ad cultas magis terrae partes deferantur. Pluvia in mare delabens potum saepe praebet navigantibus, & si tantum caderet super terram, mare, quod continuo radiis solaribus incalescit, & exinde copiosissimos emittit vapores, nimis salsum evaderet; imo, delabente pluvia, aër, qui oceano incumbit, redditur purior.*

(187) *Integrum volumen de Montium utilitate laudabili proposito dedit* Bertrand *Essay sur les Usages des Montagnes; qui existimat, montes roborare & conservare terram, forte etiam ejus aequilibrium; eosdemque Telluris superficiem ampliorem reddere, limites regionum diversarum earundemque cum contra hostium incursum, tum contra Oceani impetum propugnacula constituere, ventis, aliisque Meteoris, pluribusque fontibus praebere natales. Si certe Telluris superficies penitus plana foret, nullisque inaequalitatibus obsita, fluviorum commodis careremus, atque adeo commercia exerceri & aquae superfluae ad Oceanum deferri nullo modo possent. Neque existimandum, montes, tanquam primaevae Telluris rudera, casu fortuito, sine consilio & arte, per Terrae superficiem esse dispersos; contrarium docuit* Bourguet *Memoires sur la Theorie de la Terre pag. 195. suiv. & post eum* Buffon *l'Hist. Nat. Tom. 2. pag. 21. suiv.* Buache *Mem. de l'Acad. Roy. des Sciences 1752. p. 399. suiv. 4^to pag. 609. suiv. 8vo. Verum heic loci de sapienti montium dispositione pro rei dignitate non licet disserere.*

(188) *In genere circa istiusmodi insulsas* Epicureorum *aliorumque Deitatis hostium criminationes observandum, quod non magis a temeritatis cri-*

mine possint absolvi, quam musca, quae columnae splendidi alicujus Palatii insidet, quaeque exiguas quasdam eminentias, in superficie columnae conspicuas, magnifici operis symmetriae minus esse convenientes criminatur; dum ejus visus sese non extendit ad totius aedificii compagem, ipsaque reliquarum partium, earumque usuum penitus est ignara.

** Ingentes illi, quos terra subministrat, thesauri, partim in visceribus ejus latitant, hominum industria inde eruendi, partim in superficie ejus conspiciuntur. Ad priorem classem praeter lapides pretiosos, metallorum pertinent varia genera, de quorum multiplici usu nemo dubitabit, nisi qui rudis est eorum omnium, quae quotidie inter homines geruntur. Licet vero etiam ad vitia alenda, & mala quaevis perpetranda adhibeantur, id tamen, cum hominum culpa fiat, Conditoris sapientiam & benignitatem, quae in iis elucescit, obnubilare nequit. Ad posteriorum classem vegetabilia, herbarum, plantarum, arborum, florum, fructuum varia genera pertinent, in quibus num varietatem, an amoenitatem, an usum egregium in alendis, adjuvandis, delectandis & reficiendis hominibus, magis admirari debeamus, dubii merito ancipitesque haeremus. Legenda, quae de plantis disserit HENRICUS MORUS, in *antidoto adversus Atheismum cap.* V. VI. VII. ubi ostendit, quo pacto ex earum pulchritudine, signatura & utilitate, existentia ac providentia Dei demonstrari queat. (189) Nos missis reliquis de *frumento* saltem aliquid addemus, quod inter plantas omnes haud dubio principatum tenet. Primo namque structura admirabilis in eo occurrit, culmo ad justam magnitudinem excrescente, tubulisque variis instructo, quibus succus nutrititius ad grana defertur, tum internodiis quibusdam distincto, ut eo commodius sustentetur. Grana porro ipsa aptissime loculis inclusa spicis continentur, & contra avicularum aut insectorum insultus aristis muniuntur. *Omnium satorum fructus*, inquit PLINIUS, *spicis continetur, ut tritici, hordei, muniturque valla aristarum quadruplici, aut includitur siliquis, ut leguminum, aut vasculis, ut sesamae ac papaveris, histor. natur. lib. XVIII. cap. VII. pag.* 424. Cum vero pani praecipue conficiendo inserviat, praestantissimum sane, aptissimum, atque saluberrimum alimentum hominibus praebet. Eumque in finem uberrimum ejus proventum Deus esse voluit, quo & de tritico jam observavit PLINIUS: *Tritico nihil est fertilius; hoc ei natura tribuit* (rectius dixisset Deus, ceu naturae auctor) *quoniam eo maxime alat hominem, utpote cum e modio, si sit aptum solum, quale in Byzacio, Africae campo, centeni quinquageni modii redduntur. Misit ex eo loco Divo Augusto procurator ejus ex uno grano* (*vix credibile dictu*) *quadringenta paucis minus germina, extantque de ea re epistolae. Misit & Neroni similiter CCCXL. stipulas ex uno grano, loc. cit. cap. X. pag.* 439.

Ma-

Magnum praeterea divinae bonitatis eſt argumentum, quod non modo in regionibus temperatis frumentum naſci voluerit, ſed etiam calidiſſimis, ut Africa, ac frigidiſſimis, ut Ruſſia, Suecia; uti recte etiam obſervatum GERHARDO JOANNI VOSSIO, de *origin. & progreſſu idololatriae libr. V. cap. X. pag.* 617.

(189) *Creſcunt Plantae & Arbores ad determinatam usque magnitudinem; & licet ejusdem generis vel ſpeciei omnes non penitus ſint aequales, eſt tamen* maximum *aliquod, quod nunquam tranſſcendunt; ita ut leges fixas ſequantur; quales etiam conſtantiſſimas obſervant in ſeminibus, in foliis, in fructibus; quae omnia, nequaquam ex coeco caſu, vel fortuito particularum concurſu derivanda, ex profeſſo expoſita ſunt a* Rayo *Gods wysh. in de werken der Scheppinge*, 1*ſte Deel*, 8*ſte Hoofddeel*, Derham *Godleerende Natuurk. Xde B.* 1*ſte Hoofdd.* Nieuwentyt *XXIVſte Waereldbeſchouwinge*, Bonnet *Contemplation de la Nature III. Part. Chap. IIX. ſuiv. & X. Partie Chap. I. ſuiv.*

*** Plurima ſane in animalibus occurrunt, quae, ut admiratione digna ſunt, ita exiſtentiam providentiamque Numinis evidentiſſime demonſtrant. In ſtructura corporum primo generatim obſervandum, eam ita comparatam eſſe, ut quodvis animal alimentum illi conveniens aſſumere, comminuere, digerere queat, ut hinc in chylum, porroque in ſanguinem mutatum, per ſanguinis circulationem, rejectis ſuperfluis, ad corporis nutritionem & incrementum, ſpeciei quoque propagationem, rite diſpenſetur. Cumque terreſtria animalia, praeſertim quadrupedia, victum in terra quaerere debeant, ſapientiſſimus naturae artifex ea ita formavit, ut caput in terram pronum haberent. Eundem in finem quatuor pedibus ea inſtructa videmus, cum totidem iis eſſent neceſſarii ad motum naturae eorum convenientem. Si tribus tantum inſtructa fuiſſent, non potuiſſent ita commode incedere. Plures autem iis ſupervacanei fuiſſent; conf. HENRICUS MORUS, *antidot. adverſ. Atheism. libr. II. cap. X. pag. m.* 79. Homo contra cum erectus incedere deberet, tota corporis ſtructura eo comparata eſt. Immo ob nimiam inaequalitatem longitudinis brachiorum atque crurum, ad pronum inceſſum plane ineptus eſt. De ſenſuum organis, auribus ſpeciatim & oculis, naturae, animalium prorſus accommodatis, multa dici poſſent. Sed de oculis (190) ſaltem obſervo, animalia non pauca *ſeptimo muſculo*, quaedam etiam *membrana nictitante*, ſeu *periophtalmi* inſtructa eſſe, cum homo utrisque careat. Nimirum muſculus ille ſuſpenſorius, non poterat non inſigni uſui eſſe animalibus gramine veſcentibus, ac victum humi conquirentibus, cum alias absque moleſtia & laſſitudine oculos tamdiu deorſum pendulos tenere vix valeant;

 quod

quod homini non aeque necessarium erat, quippe cui non temere caput tamdiu pronum demittendum est. Nictitantem vero membranam, ranis, avibus, quadrupedumque nonnullis datam, viri quidam harum rerum peritissimi conjiciunt, ut ipsius ope talium animantium, sentes, urticas, frondes arborum, algasque acutas frequenter nimis pervadentium, cornea ab externis injuriis sit tutior, membraneo hoc quasi specillo, oculum illaesum conservante, nec tamen interim ob sui pelluciditatem visionem in totum impediente; quo quidem oculorum munimento homini, ob diversam victus rationem, opus non fuisse nemo non intelligit. Talpis praeterea oculi adeo pusilli obtigere, ut minoris aciculae capitulum mole non multum superent; quippe qui animali, in tenebricosis terrae cavernis ut plurimum degenti, adeoque lucis usura parum egenti, sufficiebant (191); cum lepori contra, animalculo meticuloso, & jugiter pericula prospectanti, oculos tam eminenti cornea naturae auctor concessit, ut non minus fere, quae pone tergum, quam quae ante se fiant, cernere possit. Quam apte vero structura corporum in animalibus, tum eorum naturae, tum & loco, in quo degere, seque movere debent, respondeat, vel maxime tum *volatilium*, tum *aquatilium* exemplo patet. Ad *volatilia* enim quod attinet, non tantum loco pedum anteriorum alis duabus Deus ea instruxit, sed musculos etiam, qui alarum motui inserviunt, formavit, qui ratione extensionis pariter ac roboris motui huic pares essent. Superior praeterea pars alarum convexa, inferior concava est; quod ad aërem verberandum, corporisque sustentandum pondus plurimum confert. (192) Corporis structura navi haud est absimilis, caput vero, cum reliquo comparatum, plerumque pusillum, & in figuram quandam acutam per rostrum desinens, quod ad secandum aërem, transitumque faciliorem reddendum, prorsus necessarium erat: corporum enim latiorum motui magnum aër impedimentum adfert. Ipsum praeterea corpus, magnitudinis habita ratione, longe levius est, quam animalium terrestrium, & pennis insuper levissimis instructum, ut adeo accedente alarum expansione, facile tantam aëris columnam occupet, cui altera columna cedat; & hinc facili negotio ejusmodi corpus suspensum in aëre teneri potest. Pulmones insuper, si corporum proportionem spectes, longe majores sunt in avibus, quam reliquis animantibus; immo & a superiori pariter ac inferiori parte aërem admittunt; unde corpora earum multo leviora reddi necesse est; quod ad volatum prorsus est necessarium. Patet hinc, si equus aut taurus vel maxime alis, magnitudini corporis ejus respondentibus, instructus esset, eum tamen volare non posse; quia corporis structura reliqua non respondet. Caudam vero in avibus idem esse, quod gubernaculum in navibus, jam pridem Viris doctis observatum est. Hinc de milvis PLINIUS scribit: *Iidem videntur artem gubernandi docuisse*

docuisse caudae flexibus; in coelo monstrante natura, quid opus esset in profundo; histor. natur. lib. X. cap. X. Pennarum etiam, quibus ad volandum opus est, structura admirabilis est, & huic instituto prorsus accommodata. Harum enim pili ita inter se sunt complexi, ut per tenuia sua interstitia aëri commeatum quidem, sed difficulter praebeant, unde resistentia quaedam oritur, quae ad volatum itidem est necessaria. Eadem pennarum structura efficit, ut madefactae, cito tamen iterum exsiccentur, ut expandi facile & iterum complicari queant, nec per vim aëris aut venti temere rumpantur; quod facile contingere posset, si alae ex continua quadam membrana compositae essent. Haec vero omnia sapientissime ita a naturae auctore constituta esse, quis neget? De *aquatilibus* similia observari possent. Nec enim profecto casu fortuito contingere potuit, ut branchiae in piscibus pulmonum vicem sustinerent, parique venarum & arteriarum copia, ad sanguinem aqua refrigerandum, quemadmodum per pulmones in aliis animantibus refrigeratur, repletae essent. Quis vero vesicam aëre refertam, quae in illorum corporibus conspicitur, sine consilio iis concessam assereret, cum, sine ea si essent, non possent corpus tenere in aequilibrio, aut natare, sed statim fundum maris aut fluviorum peterent? Sed mitto reliqua, de animantium *nutritione* generatim observans, pro ejus diversitate, diversa quoque iis concessa esse organa. Terrestria ut & aquatilia dentibus instructa sunt; diversae quamvis figurae atque structurae, pro alimentorum, quibus pasci debent, diversitate. Volatilia contra, ea praesertim, quae granis vescuntur, ventriculum etiam longe aliter constructum habent, quam animantia, quae cibum dentibus comminuunt. Primo enim glandulosus quidam bulbus sese offert, qui infundibili instar est, in quo grana aliquantisper asservantur, & admixto liquore comminutioni praeparantur. Ista vero comminutione beneficio duorum musculorum peracta, alimenta in pylorum seu ventriculi fundum concidunt, ubi ab admixtis quisquiliis repurgantur; quem in finem pylori etiam sedes elata est, & descensus ex eo mollior, ne frumentum ex ventriculo excidat, priusquam comminutum sit, quemadmodum & septum aliquod intercedit, ne attrita cum integris commisceantur; uti jam a me observatum *element. philos. theoret. part. II. cap. I. §. XVII.* (193) Ad *conservationem* singulorum animalium pertinet, quod quaedam armis velut instructa sunt, quibus contra aliorum insultus ad sui defensionem utantur, eorum vero, quae ejusmodi armis destituuntur, securitati Deus pro incredibili sua sapientia, alia ratione consuluit. Nec arma modo quibusdam animalibus concessit, sed instinctum quoque iis utendi illis indidit. (194) Notum est illud Horatii:

Dente lupus, cornu taurus petit, unde nisi intus
Monstratum.

Non minus & illud LUCRETII notum:

Sentit enim vim quidque suam, qua possit abuti,
Cornua nata prius vitulo, quam frontibus extant,
Illis iratus petit, atque infensus inurget.

Quae vero & armis ejusmodi & robore destituuntur, ut meticulosiora sunt, ita eorum corpora ita constructa sunt, ut imminens quam citissime sentire periculum, & fugae celeritate eidem se subducere queant. Vel leporum hoc patet exemplo, de quorum oculis ut antea jam observavimus, eos ita comparatos, ut fere pone tergum non minus, quam quae ante se fiant, cernere possint, ita & aures oblongas, concavas & facile mobiles illis obtigisse, constat, ut sonum quemvis e longinquo venientem eo citius perciperent, & periculum imminens declinarent. Musculorum etiam quorundam, immo ipsorum pedum, quorum posteriores longiores sunt anterioribus, structuram fugae celeritati egregie inservire, viris harum rerum peritis pridem observatum est. Huc & solertia & naturalis velut quorundam animalium, ut vulpium, calliditas spectat, qua & armorum & roboris defectum supplent. Ea autem, quibus haec omnia denegata sunt, ut oves, utilitate sua ita se hominibus commendant, ut hi illorum curam libenter suscipiant, & non tantum alimenta subministrent, sed & contra aliorum animalium insultus defendant. Ad totius denique *speciei conservationem* sobolis pertinet procreatio, quae innumera itidem prorsusque mirabilia sapientiae atque providentiae Divinae documenta suppeditat. (195) Quaedam animalia *vivipara* esse constat, quaedam *ovipara.* Non temere id ita constitutum esse, facile intelliget, qui consideraverit, quorundam animalium, ut volatilium, naturae & indoli magis esse conveniens, ut ova pariant, quam ut vivos foetus in lucem edant. Praeterquam enim, quod hoc conservationi & multiplicationi eorum inserviat, si pullos in utero tam diu gestare deberent, donec omnia corporis membra rite essent formata, hoc volatum eorum esset impediturum. Cumque terrestria animalia, quamprimum in lucem edita sunt, lacte materno alantur, volatilium contra corpora ita constructa sunt, ut per internam eorum dispositionem liquor aliquis iis subministretur, donec sensim granis alimentisque solidioribus adsuescant. Volucres, quae pullis suis cibum adferunt, eum inter omnes ita distribuunt, ut nullum praetermittant, etsi omnes simul cibo, cum adfertur, ore aperto inhient. Quove pluribus majoribusque periculis avium pulli in nidis suis expositi sunt, eo citius crescunt, & ad eam per-

perfectionem perveniunt, ut sibi ipsis prospicere, suaeque consulere securitati queant. Nec praetermittenda apta inter masculos & femellas, si numerum spectes, proportio, quam in omnibus animantibus conspicere licet. Si enim ex materiae necessitate aut casu fortuito cuncta evenirent, facile fieri posset, ut per multos annos, aut aliquot etiam secula, tantum mares, aut tantum femellae producerentur, quod speciei istius interitum post se tractaturum esset. Jam vero cum id nunquam contingat, sed masculorum numerus quodammodo respondeat numero femellarum, ut hac ratione quaelibet species conservetur, quis non Numinis agnoscat atque miretur sapientiam? Nec sine animadversione praetermittendum, animalia pleraque tempus, quod fovendis alendisque pullis maxime accommodatum est, quam accuratissime observare. Tempore enim verno ea foetus suos edere videas, quod gramina mollia producendo, gratoque tepore, fovendis iis, alendisque, longe est aptissimum. Quis vero non obstupescat, cum considerat, secumque expendit, quanto artificio volucres nidos suos construant? quam caute & circumspecte loca tutiora seligant? quanta in his omnibus solertia elucescat? Recte nonnullis observatum, quosdam tam apte, tam concinne extructos nidos, ut vix ab hominibus ejusmodi quid fieri, certe aptius nihil excogitari queat. (196) Ut autem mirificus aliquis instinctus animalium in pullis alendis nutriendisque, ita non minor in iis contra quasvis injurias defendendis, sese exerit. Hinc minores etiam bestias, cumprimis gallinas, suae velut imbecillitatis immemores, acriter in eos insurgere videas, a quibus vel minimum pullis suis imminet periculum, vel qui propius saltem ad eos accedunt. (197) Nec in perfectioribus saltem animalibus, sed & imperfectioribus, immo ipsis insectis, talia observare licet. Quis enim papiliones ova sua arboribus non tantum affigere, sed & lanugine quadam vestire & involvere docuit, ut non tantum eo tutius delitescant, sed prodeuntes etiam verno tempore erucae, in ipsis arboribus, tenerrima folia protrudentibus, alimentum inveniant? Sed figere hic pedem rerum multitudo jubet. Non enim omnia persequi vacat. Quid vero ad haec omnia Athei? Instinctum forte naturae objicient? Unde vero hicce instinctus, qui profecto sine consilio & summa sapientia esse nequit? (198)

(190) *In oculo humano (quem heic loci contemplari liceat, quia in plerisque similis est, oculis animalium terrestrium) si consideretur secundum ductum hodiernorum Anatomicorum, praesertim eorum Principis* B. S. Albini, *innumera occurrunt notatu dignissima, ac stupenda penitus artificia, quorum pauca speciminis gratia proposuisse juvabit.* 1°. *Oculus est globosa machina in orbita ossea reposita, nervo optico, qui per canalem ossis multiformis exit, quasi pedunculo suo, suspensa;*

ab

ab injuriis ſic eſt tutum tenerrimum organum, quod inſuper defenditur tum prominenti frontis oſſe, tum genis, quae ſunt partes carnoſae infra utrumque oculum in facie prominentes; quae artificia faciunt, ut plurimi impetus, qui ab oculo caeteroquin exciperentur, vel in os frontis, vel in partes haſce carnoſas incurrant, quae jam notata ſunt a Cicerone *de Nat. Deor. Lib.* 2. *Cap.* 57. *ut taceam* Cilia, *quae accuratius oculum claudunt avertuntque minima corpuſcula, caeteroquin in oculum illapſura, ſua tamen arcuata figura viſum non intercipiunt, nunquam ultra certam menſuram creſcentia;* ſupercilia, *quae impediunt, quominus ſudoris acris guttulae, atque aliae ſordes in oculum incidant, dum umbra ſua defendunt eundem, ne laedatur lumine nimis vivido ex alto advenienti; denique* palpebras, *quae pro dignitate deſcribi heic loci non poſſunt; notaſſe ſufficiat, membranas eſſe ſatis craſſas & opacas, ut lumen avertant; ſatis tenues, ut ſint mobiles & plicatiles; marginibus cartilagineis inſtructas, ut oculus eo arctius claudatur; oculi globo ſemper miranda penitus arte manent applicatae, ſuoque continuo motu purgant & humectant oculi ſuperficiem ejusque pelluciditatem conſervant; denique clauduntur adeo artificioſe, ut omnium poſtremo ad ſe invicem accedant earum partes, quae angulo oculi interiori ſunt proximae; quo ipſo humor lacrymalis ſuperfluus verſus illam partem pellitur, ubi per duo puncta lacrymalia exit.* 2°. *In ipſo oculi bulbo non minora, aut pauciora deteguntur artificia; conſtat tribus tunicis,* ſclerotica, choroidaea *&* retina, *quae includunt* humorem aqueum, lentem cryſtallinam, *&* vitreum humorem; *qui tamen* humor *appellari non meretur, quia alii humores per hanc gelatinam circulantur. Hiſce materiis ita replentur tunicae, ita extenditur oculi bulbus, ut nunquam rugas contrahere poſſit viſum turbantes. Hae partes omnes ab aliis ſatis copioſe ſunt deſcriptae, praeſertim a* Rayo *Gods wysh. in de werken der Scheppinge* 2de *Deel, pag.* 297-316. *a Cl.* Zinn *in Tract. de oculo, & in Comment. Gottingenſ. Tom.* 3. *p.* 115-145. *a* Muſſchenbroekio, *veſtigiis Cl.* Albini *inſiſtente, in Introd. ad Philoſ. Natur.* §. 1851-1864, *& ab Anonymo Auctore* Phyſiologiae, *quae Belgico ſermone lucem adſpexit apud* Tongerlo *Amſtelodami pag.* 493-528, *ubi plurima occurrunt eorum, quae Cl.* Albinus *inde a plurimis annis cum ſuis Auditoribus communicavit. Notabimus tantum, per molliorem choroidaeam tunicam decurrere vaſcula in exteriori ſuperficie, non in interiori, cui incumbit tenuiſſima retina; humorem aqueum abſorberi & refundi, ne ſtagnans putreſceret; lentem cryſtallinam ita ſuſpendi poſt pupillam, ut radii in ejus centrum incidant, dum ipſa illa mediantibus ligamentis ciliaribus eſt mobilis variisque objectorum diſtantiis ſeſe accommodat; humorem vitreum, poſteriorem partem oculi occupare, ne vaſculoſa ejus ſtructura laedatur, quod praecaveri ſaepe*

non

non posset, si in anteriori parte esset constituta; per uveam tunicam, (quae ex choroeide procedit, & iridem cum pupilla continet) suffocari radios nimium divergentes, seu admodum oblique advenientes, ne confusa fiat visio, cum ab uno puncto objecti ad oculum accedentes in uno retinae puncto colligi non possent; nervum opticum, qui una cum vasis sanguineis oculum ingreditur, non inseri e regione pupillae, sed ad latus, in loco, qui naso est propior; ne radii in vasa sanguinea incurrerent, ubi nullas excitarent in fibrillis nervi optici agitationes; pupillam dilatari lumine decrescente, eandemque contrahi, si lumen augeatur, &c.

(191) *Longe pleraque ad hanc §. pertinentia hausit Cl. Auctor ex* Rayi *egregio Opere, quod laudavit supra pag.* 262. *consulendum praesertim* 1ste *D.* 9de *Hoofdd. Mirum tamen,* Buddeum *nihil, nisi in transitu, monuisse de* Insectis, *in quibus innumera reperiuntur notatu & admiratione dignissima; praesertim in ipsorum oculis: hi, scilicet, in plerisque Insectis non sunt mobiles versus omnes partes, uti nostri, ut & illi, qui quadrupedibus, & avibus & piscibus sunt concessi, sed, ut ab omni fere parte ingredi possent radii luminis, instar sphaerarum fere dimidiatarum extra caput prominent, & numerosissimis pupillulis sunt instructi, quarum singulis respondere videtur filamentum nervi optici:* Leeuwenhoekius *Contin. Arcan. Nat. pag.* 423. *seq. plus quam ter mille pupillulas invenit in uno oculo* papilionis ex Bombyce; *in oculo* Scarabaei *ultra mille & quingentas l. c. pag.* 40., *imo plures reperi in oculo* Libellae *per egregia microscopia* Dollondiana. *Filamenta nervi optici in musca, nitide depicta exhibet* Leeuwenhoekius *l. c. pag.* 41. *seq. Ad alia specialiora in Insectis occurrentia, providam sapientissimi Conditoris curam, adeoque Ejus existentiam demonstrantia, descendere non licet: Videri possunt de hisce (ut* Swammerdammium, Reaumurium, de Geer, Lionnet, Frisch, Bonnet, Roesel *aliosque, qui ex professo de Insectis scripserunt, taceam)* Lesser *la Theologie des Insectes passim, &* Reimarus *over de Konstdriften der Dieren passim.*

(192) *Alarum structura accurate describitur a* Derhamo *Theol. Phys. Lib. VII. Cap.* 1.

(193) *Circa* nutritionem *insuper observandum, illa animalia, quae frigus hibernum ferre possunt, sed eo durante cibum, quo indigent, acquirere nequeunt, illam nacta esse indolem, ut vel diutissime inediam tolerent, vel in continuo sopore versentur, vel denique aestivo tempore congerant alimenta, quae per totam hiemem abunde sufficiunt. Undique hic occurrunt sapientissimae providentiae documenta, cum, deficien-*

ficiente hac vel constitutione vel arte, prae fame interirent eorum pleraque.

(194) Instinctus *quidem est vocabulum ambiguae significationis, quo plurimi utuntur, ut suam tegant ignorantiam; attamen aliquid in animalibus est agnoscendum, quod usui & exercitationi tribuendum non est, quodque iis inest ab ipsa nativitate; Animalia quippe pleraque possident* artes innatas *& quasi per sapientissimum Conditorem iis infusas; Pullus equi non dentibus, sed pedibus posterioribus sese contra insultus aliorum defendet, acsi a nativitate cognosceret, maximum suum robur in pedibus esse repositum; Aries juvenis, &, non longe a nativitate sua, vitulus masculus capite suo petit inimicos, etiam cum cornua nondum excreverunt. Conf.* Reimarus *Voorn. Waarh. van den Nat. Godsdienst V. Verhand. pag.* 390. *seqq.* Derhamus *Phys. Theol. L.* 4. *C.* 14. *Si vel eo absurditatis venire vellet Atheus, ut elegantissimam ac artis plenam ipsius corporis animalis structuram a coeco casu aut fortuito atomorum concursu derivare studeat, vix tamen adeo dementem sese monstrabit, ut infusas hasce artes causae tribuat, quae ab infinita sapientia est destituta. Cur Pullus equi non capite suo sese defendit? cur non Aries juvenis suis pedibus? non certe hoc derivandum ex ingenii sublimitate & perspicaciâ; sic enim anatum pulli, imo pisciculi recens nati hominem longissime superarent, qui artem natandi non nisi post repetita, eaque satis molesta tentamina addiscit; sic apes sublimia possiderent ingenia, cum a nemine edoctae favos parent artificiosae adeo structurae, ut nemo inter homines, nisi qui Fluxionum doctrinam probe perspectam habet, ipsum artificium, non dico imitari, sed ad calculum revocare possit. Conf. ea quae notavi ad* Reimarum *l. c. V. Verh.* §. 8.

(195) *Procreatio adeo obsita est circumstantiis, quae hactenus detegi* quoad modum *non potuerunt, ut sagacissimorum etiam Naturae scrutatorum industriam ubique eludant, & innumeris litibus, ac conjecturis praebeant ansam. An stamina existunt in semine masculino, & an animalcula illa, quae per optimae notae Microscopia in semine masculino omnium animalium, quae hactenus examinata sunt, natantia conspiciuntur, foetus sunt primordia, ita ut, in uterum foemineum immissa, crescant & foveantur? an vero germina, sive futuri corporis animalis stamina jam adsunt in foemina, quae demum post foecundum congressum evolvuntur, postquam foecundans liquor in illa penetravit, qui illa stimulat, alitque? Quidquid ex hisce duabus sententiis eligatur, semper remanent ignorantiae nostrae evidentissima documenta & haud facile superandae difficultates; sed quidquid eligatur, semper vestigia reperiuntur artis & providentiae beneficentissimae. Conf.*

Bon-

Bonnet *sur les Corps Organisés Tom.* 1. *Praef. pag. VI. & pag.* 124. *suiv.* Contemplation de la Nature, *ejusdem Auctoris sagacissimi Praef. pag. XVII. suiv. & X. Part. Ch. XI. De uitgezogte Verhandelingen by* Houttuin 9*de Deel, pag.* 171—202. Buffon *Hist. Natur. Tom.* 3. *p.* 78. *suiv.* Venus Physique (*cujus Auctor habetur Ill.* Maupertuis) *Ch.* 3. *suiv.* Reimarus *Voorn. Waarheden, enz. IIde Verhandelinge. Ad specialiora generationem animalium spectantia descendere non licet, de quibus prae reliquis conferendus est* Derham *Theol. Phys. L.* 4. *C.* 15. Ray *l. c. pag.* 357. *seqq.*

(196) *Vix ullibi manifestius conspiciuntur artes insitae, (quae sub nomine* Instinctuum *quoque venire solent;) quam in* nidificatione; *nidos artificiosissime construunt aves sine praeceptore, sine exemplo, cum earum parentes suos fabricaverint, antequam pulli in lucem emitterentur: primus, quem faciunt, nidus est in suo genere perfectissimus, nec varia in antecessum instituunt tentamina, quorum nonnulla minus feliciter cedunt. Cum ad aetatem generationi aptam pervenerunt & non ante, hancce architecturae convenientis peritiam unico quasi actu monstrant, tum in electione tempestatis anni & loci idonei, in quo & ipsae & ova & pulli ab omni periculo tuti sunt; tum in exstructione habitationis commodae, in qua molliter recubent pulli teneres, & a frigoris aerisque qualibuscunque injuriis sint immunes, acsi ens sapientissimum in consilium vocassent, acsi prospicerent in futura tempora. Vid.* Reimarus *l. c. Vde Verhand.* §. 4. *enz.* Ray *l. c. pag.* 138. *&c.*

(197) *Ubi periculum imminere videtur pullis, vel eos blanda voce aut alio signo de fuga capienda admonent; vel, si fugere nondum possint, eos ad tuta loca transferunt sive ore suo, sive dorso, cui pulli insiliunt; imo nonnulla corpori suo eos includunt, ut eo magis ab omni incommodo sint liberi. Si transferri nequeant, uti avium pulli, alis suis eosdem tegunt, vel armis naturalibus defendunt; postquam eos ad eam aetatem sollicita educatione perduxerunt, ut alae debitum robur acquisiverint, exemplo suo praeeunt aves, & postquam volandi arte cibumque sibi comparandi scientiâ satis sunt imbuti, alimentationi imponunt finem, cum sibi prospicere valeant.*

(198) *Argumenta, quae Cl. Auctor in hac & in praecedenti §. proponit, desumta ex aptissimo rerum mundanarum ordine, & ex usibus, quibus inserviunt corpora animalia, eorumque partes, displicuerunt Ill.* Maupertuis *Essay de Cosmologie Avant-propos pag. VIII. suiv. & dans la Cosmologie même pag.* 1. *suiv. vel Hist. de l'Acad. Roy de Berlin Tom. II. pag.* 268. *suiv. conf. idem Hist. de l'Acad. Tom. XII.*

pag. 349. *suiv. Mirum autem existit, Virum sagacissimum recoxisse frigidas Epicuraeorum exceptiunculas (quas refutabit Cl. Auctor* §. *V. Cap. seq.) acsi casu fortuito* potuisset *hicce ordo produci, acsi uniformitas, quae in motibus coelestibus observatur, non esset necessario effectus alicujus consilii & electionis deliberatae: quid de hujusmodi exceptiunculis sit judicandum, visuri sumus infra: heic loci notasse sufficiat,* Maupertuisium *substituisse aliud argumentum, ex legibus motus desumtum, in quibus semper conspicitur summa, eaque sapientissima parcimonia, ita ut, quando accidit in natura, sive in mundo corporeo quaedam mutatio,* quantitas actionis, *quae ad illam mutationem est necessaria, semper sit omnium possibilium minima; ubi per* actionis quantitatem *intelligit* productum, quod oritur ex multiplicatione massae corporis moti, vel movendi, per ejus velocitatem & per spatium percursum. *Haec autem lex parcimoniae, (quae minime nova est, & jam agnita a* Joh. Bernoullio *Oper. Tom. IV. pag.* 271.) *in omnibus regulis quietis, seu aequilibrii, & percussionis obtinet; sed si valerent* Maupertuisii *exceptiunculae ad argumenta Physica pro existentia Dei a* Newtono, (*quem quidem maxime petit*) *aliisque Philosophis allata, etiam hoc argumentum ab exceptione omni non foret immune: quippe, licet haecce lex esset universalissima, dicere liceret id de toto universo, quod* Maupertuisius *nomine Atheorum Epicuraeorum adfirmat de corporibus animalium eorumque membris:* les seuls (Animaux) qui soient restés, sont ceux, ou se trouvoient l'ordre & la convenance: & ces especes, que nous voyons aujourd'hui, ne sont que la plus petite partie de ce, qu'un destin aveugle avoit produit. *Mundus, qui nunc solus superest, est ille, in quo reperitur ordo, consensus, in lege parcimoniae fundatus; & quod nunc videmus in universo corporeo est tantum exigua pars eorum, quae a coeco casu seu fortuito Atomorum concursu fuerunt producta. Quidquid ad hanc exceptiunculam respondisset Vir Illustris, etiam applicari debet iis, quae ipse excipere voluit ad argumenta Newtoniana. Ut autem appareat, quam exigui momenti sint rationes a Viro sagacissimo allatae, unicum adferam exemplum.* Parsons *in Phil. Transact. no.* 470. *pag.* 523-541, *elegantissimam Rhinocerotis historiam proponens, validum pro existentia Sapientissimi Conditoris argumentum depromserat ex motibus hujus animalis. Cutis ejus est admodum crassa, & inflexilis; si jam eo modo protensa foret super corpus animalis, uti solet in reliquis quadrupedibus, multis careret motibus penitus necessariis. Sed deficiens flexilitas compensatur per plicas varias, quae in illis membrorum juncturis reperiuntur, ubi motibus voluntariis omnium maxime favent. Sic defenditur animal durissimâ cute, & plicis, sapientissimo consilio, tolluntur motuum impedimenta. Dicit tamen* Maupertuisius: Nonne sic injuria infertur ve-

veritatum momentosissimae, si eam demonstrare velimus per talia argumenta? quid videretur de eo, qui Providentiam negaret, quia Testudinis cortex neque plicas habet, neque juncturas. Ratiocinium illius, qui eam demonstrat ex cute Rhinocerotis, ejusdem est virtutis: linquamus nugas hasce illis, qui easdem frivolas esse non sentiunt. *Testudinis cortex non habet plicas*, quia *non habet juncturas motibus voluntariis inservientes; quia istiusmodi motibus non est destinata, qui corticis duritie impedirentur.* *Conf.* Cl. Reimarus *l. c. IV. Verh.* §. *IX. enz.*

§. VI.

Cumprimis vero ipsa hominis consideratio argumenta nobis luculentissima praebet, quibus & existentia & sapientia Numinis evidentissime probari potest. Corporis nimirum, singulorumque membrorum eam structuram, dispositionem, proportionem deprehendimus, ut nihil aptius, aut concinnius, aut ad usum, quem quodlibet membrum praestare debet, aut ad finem, ob quem hominem conditum ex naturae ejus contemplatione facile condiscimus, accommodatius excogitari queat. *

* Amplissimus hic se nobis offerret dicendi, variasque observationes proferendi, campus. Sed cum instituti nostri nobis habenda sit ratio, & ab aliis jam hocce argumentum copiose pertractatum sit, praecipua saltem summis, quod ajunt, digitis, attingemus. Generatim si corpus hominis consideremus, primo *statura* ejus *erecta* sese nobis offert, quae homini ita propria est, ut ea ab aliis animantibus omnibus distinguatur. Hanc vero ei obtigisse, ut eo liberius coelum contemplari, & hinc tum ejus, tum hujus universi Conditorem agnoscere posset, jam Ethnicis fuit observatum. Audire hac de re TULLIUM juvat, qui *ad hanc*, inquit, *providentiam naturae tam diligentem, tamque sollertem adjungi multa possunt, e quibus intelligatur, quantae res hominibus a Deo, quamque eximiae tributae sint: qui primum eos humo excitatos, celsos & erectos constituit, ut deorum cognitionem, coelum intuentes, capere possent. Sunt enim e terra homines non ut incolae, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque coelestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet*; de *natur. deor. libr. II. cap. LVI.* Oculorum equidem in aliis animantibus is positus est, ut coelum itidem

dem intueri possint: sed homines ipsa statura erecta, eos specialiori quadam ratione ad coelum contemplandum, animumque a rebus caducis & terrestribus abstrahendum, conditos esse, admonet. Nec tamen negaverim, erectae istius staturae alios quoque fines aliosque usus esse posse; scilicet ut caput eo commodius sustinere queant, quod ob majorem cerebri copiam gravius est, corporis observata proportione, quam in reliquis animantibus; item, ut commodius ad omnes partes circumspicere, periculaque, si quae forte immineant, evitare queant, & quae reliqua sunt ejusdem generis. (199) Alterum, quod generatim in humani corporis structura admiratione dignum, maxima *vultuum* in singulis hominibus est *varietas*, quae tanta est, ut in multitudine ista innumera hominum raro admodum vel duo inveniantur, qui sibi, qua vultum, prorsus sint similes. Idque eo magis mirandum, quod partes, ex quibus vultus componitur, non adeo multae, & unius insuper generis sint, & nisi experientia hoc doceret, incredibile videretur, tantam inde prodire posse varietatem. Observatum id jam PLINIO est, qui cum de sermonis & linguarum varietate verba fecisset, addit: *Jam in facie vultuque nostro cum sint decem aut paulo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiscretas effigies existere, quod ars nulla in paucis numero praestet affectando; histor. natur. libr. VII. cap. I. pag.* 394. Neque existimandum, temere aut sine consilio sapientissimo tantum vultuum in hominibus varietatem extitisse. Ad vitae socialis incommoda gravissima evitanda hoc prorsus necessarium erat. Quae enim, quaeso, rerum omnium oritura esset confusio, si homines hac ratione a se invicem non possent dignosci? In pactis, conventionibus, contractibus, nemo certus esse posset, quocum sibi esset negotium. Mox enim unus negare posset, secum actum esse, mox alter, quocum actum non erat, hoc adfirmare. Nullum puniri temere crimen, quantumvis atrox, posset, cum nemo, quis illud commisisset, certus esse posset. Principes rerumque dominos tollere e medio, aliosque in illorum substituere locum, nisi vultuum prohiberet varietas, facillimum admodum foret. Quid de fraudibus, de adulteriis; quid de falsorum testium subornatione dicam? quae omnia & alia ejusdem generis evitari, nisi vultuum varietas obstaret, nulla ratione possent. Possem & de *varietate vocum*, itemque de *scripturae varietate*, quae non minor fere est, quam vultuum varietas, aliquid addere, sed hisce immorari diutius non licet. (200) In generali vero ista humani corporis consideratione *perfectio* ejus se porro nobis offert, dum nullum prorsus, quod ad hominis aut decus aut conservationem pertinet, membrum deficit, nullum quoque redundat, ut eo carere queat. Ipsi pili, etsi inter naturae excrementa referantur, partim ad ornamentum, partim ad corporis conservationem, dum in capite ad frigus inde arcendum, in super-

ſupercillis ad oculorum munimentum faciunt, comparati ſunt. Aptiſſimus etiam membrorum ſitus hic in cenſum venit. Eleganter, ut multa alia, ita hoc quoque obſervatum CICERONI: *Senſus autem, interpretes ac nuncii rerum, in capite, tanquam in arce, mirifice ad uſus neceſſarios & facti & collocati ſunt. Nam oculi tamquam ſpeculatores altiſſimum locum obtinent, ex quo plurima conſpicientes funguntur ſuo munere. Et aures, cum ſonum percipere debeant, qui natura in ſublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae ſunt. Itemque nares, eo quod omnis odor ad ſupera fertur, recte ſurſum ſunt: & quod cibi & potionis judicium magnum earum eſt, non ſine cauſa vicinitacem oris ſecutae ſunt. Jam guſtatus, qui ſentire eorum, quibus veſcimur, genera deberet, habitat in ea parte oris, qua eſculentis & potulentis iter natura pateſecit. Tactus autem toto corpore aequabiliter fuſus eſt, ut omnes ictus, omnesque nimios frigoris & caloris appulſus ſentire poſſimus. Atque ut in aedificiis architecti avertunt ab oculis & naribus dominorum ea, quae profluentia neceſſario tetri eſſent aliquid habitura, ſic natura res ſimiles procul amandavit a ſenſibus; de natura deor. libr. II. cap. LVI.* Addi his & alia poſſent, munimenta ſcilicet praecipuarum humani corporis partium, cerebri, cordis, pulmonum, quibus earum ſecuritati provida Numinis cura quam accuratiſſime proſpexit (201); quorundam membrorum, ut oculorum, aurium, narium, manuum pluralitas, ut ſi caſu quodam unius uſus interciperetur, alterum non deeſſet; ſumma in ſtructura, numero, ordine, proportione membrorum conſtantia, & quae his ſunt ſimilia; quae cum hominibus maximam partem cum brutis ſint communia, & alias quoque obvia, copioſius ea ediſſerere ab inſtituti noſtri ratione alienum putamus. Multo vero minus omnium atque ſingulorum membrorum ſtructuram, ſitum, uſum explicare licet, quippe quod non unius eſſet voluminis. In hiſce autem licet humani corporis ſtructura in quibusdam conveniat cum ſtructura corporis brutorum, in nonnullis tamen diſcrepat; quorum illud documento eſt, voluiſſe Deum ad eundem effectum eadem quoque adhibere media; hoc vero, cum ad alium eumque nobiliorem finem homo conditus eſſet, membra quoque, quae eo facerent, eique propria eſſent, eum illi voluiſſe concedere; quorum utrumque ſummae ſapientiae eſt argumentum. Utque poſterioris vel unicum exemplum adferam, vel manum, ejusque ſtructuram mirabilem, & ad opera praeſtantiſſima conficienda longe aptiſſimam, conſiderare juvabit. Paucis, ſed more ſuo, hoc eſt, eleganter, quicquid hac de re dici poteſt, complectitur CICERO: *Quam vero aptas, quamque multarum artium miniſtras manus natura homini dedit! Digitorum enim contractio facilis, facilisque porrectio propter molles commiſſuras, & artus, nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad ſcalpendum, ad nervorum eliciendos ſonos ac tibiarum, apta manus eſt, admotione digito-*

gitorum. Atque haec oblectationis, illa necessitatis, cultus dico agrorum, extructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta vel suta, omnemque fabricam aeris & ferri: ex quo intelligitur, ad inventa animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus, omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possimus; urbes, muros, domicilia, delubra haberemus, de natur. deor. libr. III. cap. LX. Copiosius vero & ex instituto, quo pacto ex manus structura, Dei existentia probari queat, peculiari dissertatione ostendit CHRISTIANUS DONATI, philosophus olim Wittebergensis clarissimus. Eadem vero etiam ratione, ex oculi structura, Dei existentiam peculiari dissertatione demonstravit JOANNES CHRISTOPHORUS STURMIUS, quae extat in *philosophia* ejus *electica, tom. I.* (202) ex auris structura, JOANNES ANDREAS SCHMIDIUS, Theologus Helmstadiensis clarissimus (203), ex cordis structura, B. GEORG. ALBERTUS HAMBERGERUS, Physices & Matheseos quondam in nostra Academia Professor longe dignissimus; alii ex aliis partibus. Usum praeterea & structuram singularum humani corporis partium, ut praeter GALENUM, de *usu partium*, Anatomici recentiores accurate explicarunt, ita, quo pacto ex iis existentia & sapientia Numinis elucescat, ex instituto demonstrant SAMUEL PARKERUS, de *Deo & providentia disp. V. sect. V. seqq.* JOANNES RAJUS, *existent. & sapient. Dei manifestata in creaturis part. II. pag.* 290. *seqq.* & in compendio FRANCISCUS DE SALIGNAC DE LA MOTHE-FENELON, de *l'exist. de Dieu artic. XXXIII. seqq.*

(199) *Habet haec Cl.* Buddeus *ex* Rayo *l. c.* 2de *Deel*, 2de *Hoofdd. qui recte observat, ex hac statura erecta illa omnia commoda profluere, quae homo mediantibus manibus acquirit: si quatuor pedibus incederet, adeoque pedes anteriores in illo essent loco, ubi nunc brachia manusque conspiciuntur, inter progrediendum nihil prorsus praestaret, atque adeo careret pretiosissimis illis beneficiis, quae manuum ope acquiri solent; imo nullo modo sese contra aliorum animalium insultus posset defendere: recte enim* Aristoteles *de Partibus Animalium Lib.* 2. *Cap.* 10. Manus est & unguis, & ungula, & cornu, & hasta, & ensis, & quodvis aliud genus armorum. *Conf. locus* Ciceronis *de Nat. Deor. L.* 3. *C.* 60. *ab ipso Cl. Auctore modo allatus.*

(200) *Si forte reperiantur duo homines facie simillimi (cujus rei exempla prostant apud* Valerium Maximum *Lib.* 9. *Cap.* 14.) *sique per hancce similitudinem fraudem vellent committere, si E. G. Uxor peregrinum, Marito facie prorsus similem, exciperet loco Mariti, fraudem detegeret vel ex statura, vel ex voce, imo etiam ex scriptura, & ex incessu: in hisce omnibus enim, aeque ac in faciebus, eximio divinae providentiae beneficio, mira regnat varietas. Si scripturae modus non*

foret

foret varius in variis hominibus, nulla pacta possent celebrari manus subscriptione roboranda, & nemo res suas possideret quiete atque imperturbate; cum fingi possint contractus, acsi cum alio essent initi, de quibus ineundis cogitavit nunquam, & nulla ex autographis hauriri possent argumenta, quae nunc in plerisque casibus omni exceptione sunt majora, si debita adhibeatur circumspectio.

(201) Cerebrum, (*quod peculiarem ad animam rationalem habere videtur respectum, quod nullas alicujus momenti laesiones subit, nisi mens ipsa vehementius sentiat incommodum, aut in suis functionibus turbetur*), *capsulae includitur ex durissimo variisque ex partibus composito osse constanti, & capillarum sylvâ tectae; insuper involvitur duabus tunicis, sive membranis, quarum exterior laxa est, & instar sacci amplioris cerebrum comprehendit; altera tenuior arctius substantiam hancce mirandam constringens, ita ut turbas nullas experiatur, quando corpus agitatur vehementius.* Cor *in medio fere corporis trunco jacet, pericardio vestitum, pulmonibus molliter incumbens, costis aliisque ossibus tectum; debebat autem sollicite custodiri, quia est fons praecipuus, ex quo sanguis per totum corpus emittitur, quo laeso cessant plerumque omnes animales functiones; adeoque, ut eo magis ab omnibus injuriis foret tutum, e regione cordis sunt brachia, trunco ita annexa, ut omnes impetus tempestive possint repellere, si praevideantur.* Pulmones *denique ex pluribus vesiculis constant, ut aer eo majorem superficiem offenderet, in quam incurrat, sanguinem temperaturus: praeterea, si pars insignis harum vesicularum fuerit laesa, vel obstructa, continuatur tamen respiratio; quod ipsum non adeo facile obtineret, si quilibet Pulmonis lobus ex una vesica constaret, aut si pulmo unum foret corpus cavum.*

(202) *Videantur ea, quae circa oculi humani structuram notavi ad §. V. hujus Capitis n.* 190.

(203) *Pauca, speciminis gratia, circa* auris humanae *conformationem observabo, supponens praecipuas ejus partes esse cognitas;* 1o. *in hominibus recens natis auricula, seu exterior auris portio, quae extra caput prominet, non arcte est applicata capiti; sed, instar infundibuli, extremitati meatus auditorii insistit, ut undae aereae facilius deferantur ad illum meatum: illae vero undae, quae caeteroquin inutiles evaderent, per tragum & antitragum retinentur, quorum uterque, aeque ac tota auricula, ex elastica materia constat;* 2o. *Meatus auditorius, in exteriori parte cartilagineus, in interiori osseus, est tenuissimis integumentis vestitus, folliculis, amarum smegma fundentibus, obsitus, ne exsiccaretur, nec ingrederentur insecta;* 3o. *in fundo meatus auditorii*

 repe-

reperitur Membrana Tympani, paululum concava versus meatum, non semper aeque tensa, paululum oblique posita: sic sua concavitate melius recipit undas acusticas, tensa manet sine rugis, licet relaxetur, cum soni graviores & fortiores audiendi sunt; sic ejus superficies obliquo suo positu fit major minorique exponitur laesionis periculo; 4°. cavitas Tympani, cui obducitur descripta membrana, aerem continet, qui continuo renovatur per tubas Eustachianas, ne elasticitatem suam perdat, neve aequilibrium tollatur inter hunc aerem atque inter aerem externum; 5°. in cavitate tympani tria sunt ossicula, Malleus, Incus, *&* Stapes, *cui adjungere licet* ossiculum Sylvianum, *quod stapedem cum crure longiori Incudis connectit, quae omnia concusso tympano contremiscunt, & agitationem aeris deferunt ad foramen ovale, cui stapes sua basi inhaeret; dum musculi hisce ossiculis annexi variis modis pro sonorum varietate tendunt Tympani membranam; 6°. intimam auris partem constituit* Labyrinthus, *qui tres complectitur partes,* tres canales semicirculares, vestibulum, *&* cochleam, *quae omnes, ne ullum paterentur detrimentum, reconduntur in* osse petroso, *duritie insigni. Patent illi tres Canales quinque orificiis, per quae in* vestibulum, *(quod irregularem, sed fere rotundam habet formam, & intus crusta ossea est obductum) datur via; & quidem in* posteriorem *partem haec quinque orificia patent, dum ad partem* anteriorem *per foramen ovale, quod basi stapedis mobili est clausum, datur aditus. Cochleae autem structura adeo est complicata, adeo est stupenda, ut illam ejusque usum describere fere reformident summi Anatomici: figuram Cochleae satis exacte refert; circa nucleum aliquem conoidalem circumvolvitur, qui insigni foraminulorum numero est pertusus, per quae ingrediuntur ramuli nervi acustici, ad interiora cochleae tendentes. Cochlea, quae huic axi circumvoluta est, per* septum medium *in duos canales dividitur; septum vero illud ex duabus partibus constat, quarum illa, quae axi vel nucleo est propior, ossea est; altera vero membranacea; per utramque decurrunt ramuli nervi acustici, qui ex foraminibus nuclei exeunt & praesertim in septo medio tenduntur; quales etiam ramuli obducunt internam superficiem vestibuli & canalium semicircularium. Innumerae sic in aure concurrunt artes, & sapientiae perfectissimae haud dubia indicia; & licet modum, quo mens nostra audiat, exacte determinare non audeamus, omnia tamen concurrunt in auris exterioris atque interioris structura, ad sonum augendum, moderandum, ducendumque versus illa loca, ubi numerosissimi sunt ramuli nervi acustici, inter quos forte reperiuntur, qui harmonice sunt tensi. Conf. Cl.* B. S. Albinus *Annot. Acad. Lib. 4. C. 2. & in explicatione Tabulae I. & II. ut taceam* Valsalvam, Schelhammerum, Duverney, Cassebohm, *aliosque, qui ex professo de Organo Auditus scripserunt; addatur* de Mairan *Mem. de l'Acad. Roy.* 1737. *pag.*

pag. 67-87., *ut &* Physiologia Belgica, *magnam partem eorum exhibens, quae a Cl.* Albino *in suis Institutionibus domesticis de Auditu sunt tradita Cap. XXXVII.*

§. VII.

Non minus tamen luculenta sunt, & sua velut luce radiant, quae ex animae consideratione fluunt, argumenta. Ea enim cum & cognoscendi & volendi facultate sit praedita, hinc & ab omni materia secreta atque remota, ejusque adeo prorsus expers, ei, a quo originem ducit, hoc est, Deo, universi hujus Conditori longe potentissimo, haec omnia eminentissima quadam ratione convenire, eumque adeo substantiam a materia plane distinctam, summa non tantum potentia, sed intelligentia etiam, sapientia & libertate, perfectionibusque infinitis praeditam esse, firmiter hinc colligimus. *

* Si quis, cogitationibus suis ad se ipsum conversis, mentem suam, & quae in ea, ac per eam, singulis momentis geruntur, paulo attentius consideret, non minora nec pauciora, quae illum in stuporem conjicere queant, quam in coelo & terra, & omnium plantarum, lapidum & animantium corporibus deprehendet. Primo namque facultas rerum innumerarum ideas sibi formandi in ea se nobis offert. Complexum hic, seu compendium aliquod totius orbis, conspicere licet. Quicquid coelum, quicquid terra, quicquid mare continet, eorum omnium imagines mens hominis complectitur. Infinita fere sunt, quae auribus, gustu, tactu, olfactu, percipimus; horum vero omnium ideas atque imagines mens complectitur. Et rerum porro omnium, quae sensibus externis percipiuntur, comparatione, & ad se invicem relatione, aliae rursus ideae oriuntur; has omnes mens complectitur. De hisce omnibus cum alii homines multa dicant, scribant, variaque judicia ferant, haec omnia mens complectitur. Accedunt ad haec omnia facta & res gestae variae, integrarum gentium, hominumque singulorum, instituta, mores, consuetudines; haec omnia mens complectitur. Neque tantum haec omnia numero infinita mens humana complectitur, aut saltem complecti potest, sed ita etiam complecti potest, ut nulla inde oriatur confusio; immo, ut, si non omnia, certe pleraque, quorum semel impressas ideas habet, quandocunque libuerit, iterum revocare, sibique tanquam praesentia sistere; ex comparatione idea-

rum, earundemque ad se invicem relatione, plane novas atque abstractas formare; tum has iterum, tum inter se invicem, tum cum aliis comparare, num conveniant, an sibi repugnent, judicare, & ita porro rationes subducere queat. (204) In hisce vero omnibus, num idearum multitudinem, an celeritatem incredibilem, qua in unico temporis momento, locorum in Europa, Africa, America sitorum, imagines nobis exhibere valemus, an ordinem & confusionis evitationem, magis mirari debeat, vir sapiens anceps merito dubiusque haerebit. Jam si capitis, in quo vim harum operationum maxime experimur, structuram consideres, si cranium aperias, si removeas meninges, si substantiam illam mollem, quae maximam cranii cavitatem replet, dividas, separes, nihil plane ibi, quod ejusmodi operationum causa esse queat, reperies. Unde non potest non sua sponte sequi, aliam quandam in homine esse substantiam, diversam quidem a corpore, sed arctissimo tamen vinculo cum eo conjunctam, quae tam mirabilium operationum causa sit, & cum loco angustissimo inclusa nobis videatur, vastissimum tamen totius orbis ambitum ineffabili compendio complecti queat. (205) Eandem vero etiam substantiam materiae omnis expertem esse, hinc consequitur. Quo pacto enim substantia materialis capax esse queat ejusmodi operationum, nullo modo concipere licet. In materia namque generatim spectata nihil aliud, quam extensionem, divisibilitatem, facultatemque recipiendi motum, variasque figuras, deprehendimus. Haec autem omnia quocunque modo consideres, in quamcunque verses partem, quacunque ratione dispo-nas, nihil tamen inde, quod cogitationi, nedum tam multis cogitationum modis respondeat, elicies. Quodsi forte existimes, eam speciatim materiam, quae homini propria est, ad cogitationes formandas aptam esse, fac periculum, & eam paulo attentius considera. Num in sanguine, num in spiritibus animalibus, num in cerebro ejusmodi quid deprehendis? Immo, si haec omnia dividas, separes, in prima elementa resolvas, nihil tandem aliud, quam universales materiae proprietates, de quibus antea dictum, offendes. Instas, non equidem materiam solam, sed motum materiae superadditum talia efficere. Sed finge motum, quemcunque velis, eumque velocissimum; finge subtilissimas materiae partes, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum moveri, nullam inde perceptionem, nullam cogitationem, nullam ratiocinationem produces. (206) Manifesta haec omnibus sunt, evidentius tamen adhuc ea demonstrat RICHARDUS BENTLEJUS, in *stultitia & irrationabilitate Atheismi, pag. 75. seqq.* Quam turpiter autem hic se traducant Athei, dum explicare volunt, quo pacto substantia materialis percipere & intelligere queat, vel TITUS LUCRETIUS CARUS omnes suo condocere exemplo potest. Nimirum cum animam, corpus perquam subtile, rotundis particulis minutissimis constans esse,

dicat,

dicat, ſimul tamen, ex quatuor quaſi naturis eam compoſitam eſſe, docet, aërea, ignea, flatuoſa, & quarta anonyma, qua nihil ſit mobilius, nihil tenuius. Sed ipſum hac de re audire juvat:

Quarta quoque his igitur quaedam natura neceſſe eſt,
Attribuatur. Ea eſt omnino nominis expers:
Qua neque mobilius quidquam, neque tenuius extat.

De *rer. nat. libr. III. pag. m.* 80. Et hancce quartam naturam, cujus ipſe nomen neſcit, ſenſus & intellectus propriam ſedem ſtatuit; hinc & eam deinceps *animae animam* vocat:

Nam penitus prorſum latet haec natura ſubeſtque:
Nec magis hac infra quidquam eſt in corpore noſtro,
Atque anima eſt animae proporro totius ipſa;

loc. cit. pag. 81. Sed, ſi quaeras, qua demum ratione quarta haec natura intelligat? non alia ratione id fieri LUCRETIUS cum Epicuraeis ſuis cenſet, quam εἰδώλων ſeu ſimulacrorum ſubtilium ἐμπτώσει, ſeu ad animam adpulſu; qua de re ita porro loquitur:

Corpora haec quoniam penetrant per rara cientque
Tenuem animi naturam intus ſenſumque laceſſunt.

loc. cit. lib. IV. pag. 131. Quae quidem εἴδωλα Epicurus apud DIOGENEM LAERTIUM *lib. X. ſect. XLVI.* τύπους vocat, LUCRETIUS non tantum *ſimulacra*, ſed & *ſpectra*, CICERO *imagines*, QUINTILIANUS *figuras*. Quodſi porro quaeras, qua ratione fiat, ut mens ſtatim, quod vult, cogitare queat, reſpondent, ubique omnifaria adeſſe ſimulacra, ex quibus ea tantum mentem adficiant, ad quae cum attentione quadam ſe converterit; reliqua praetermitti; quod pluribus LUCRETIUS, *loc. cit. pag. m.* 132. explicat. Haec vero cum ineptiſſima eſſe nemo non intelligat, ſimul manifeſtum eſt, ab iis, qui explicare volunt, quo pacto ſubſtantia materialis cogitare queat, nihil, niſi quod ineptum ſit, proferri poſſe. In altera mentis noſtrae facultate, quam *voluntatem* dicimus, libertas praecipue ſe offert, cum imperio quodam, tum in reliquas mentis facultates, tum in ipſum corpus conjuncta. Libertatem autem intelligimus a neceſſitate immunem, & quidem eam, quam homo in naturalibus habet. De ſpiritualibus enim nobis nunc ſermo non eſt. Haec vero in eo conſiſtit, quod in rebus plurimis ſe ad agendum vel non agendum, vel hoc aut illo modo agendum, itemque ad eligendum illud, ad aliud reſpuendum, prout illi viſum, & prout

lubet, ſe determinare queat. (207) Poteſtas vero ſeu imperium, ut alii vocant, quod in intellectum habet, non in eo quidem conſiſtit, ut efficere queat, ut res aliter cognoſcat, quam eas cognoſcit, hoc tamen facile & vel nutu quodam ab intellectu impetrat, ut mox has, mox alias ideas ſibi exhibeat, alios mox dimittat, mox revocet alias, aliis iterum conſiderandis, cumque aliis comparandis, diutius inhaereat; qua quidem ratione ſaepiſſime contingit, ut res cognitae longe aliter ſe nobis, quam antea, exhibeant, ut vera eſſe credamus, quae antea falſa & erronea viſa, & erronea & falſa, quae antea pro veris habuimus, ut nunc ceu honeſta vel decora placeant, quae antea ceu turpia & foeda damnavimus, & vice verſa. Quodſi nunc repetamus, quanta rerum divinarum, humanarum, naturalium pariter ac moralium ſit multitudo, quas homo vaſto intellectus ambitu complectitur, quousque etiam limites imperii, quod voluntati tribuimus, porrigantur, facile intelligitur. Sed in corporis etiam membra quaedam imperium obtinet, v. g. linguam, manus, pedes, ut ea pro lubitu movere, aut motum vel determinare varia ratione, vel etiam ſiſtere queat; quemadmodum & oculos claudere ac aperire, in hominis poſitum eſt poteſtate. Quo minus autem hactenus ullus Philoſophorum explicare potuit, quo pacto fieri queat, ut ſtatim & in unico momento temporis, ad nutum voluntatis ſpiritus animales mox ad hujus, mox ad alterius membri muſculos deſcendant, & motus tam varios efficiant, eo hoc omnium, qui iſta unquam conſiderarunt, judicio, eſt mirabilius. (208) Effectus autem, qui hinc oriuntur, tam varii, tamque admirandi ſunt, ut eos omnes enumerare velle, non unius voluminis res eſſet. Libertate autem quadam in his omnibus nos gaudere, tam intime nobis ipſis conſcii ſumus, quam certo ſcimus, nos exiſtere, & non prorſus nihil eſſe. Nihil amplius, ut hujus rei convincamur, opus eſt, quam ut cogitationes noſtras ad nos ipſos convertamus, & conſideremus, quae quotidie, immo ſingulis horis in nobis ipſis peraguntur. Accedit, quod omne dubium eximere poteſt, quod ſubinde, quae inclinationi ac propenſioni noſtrae repugnant, agamus. Nimirum cum ratio ſubinde dictitet, noxium nobis fore, ſi inclinationis noſtrae ductum ſequeremur, tum, niſi adfectus vehementia obſtet, voluntas corporis motus ad ea fugienda vel evitanda, ad quae ceteroquin adpetitus fertur, determinat. Quod profecto facere non poſſet, ſi libertate non gauderet. Ridiculi hic iterum ſunt Epicuraei, qui cum non omnem voluntati libertatem denegare audeant, per *motus declinationem*, quam atomis tribuunt, & de qua ſupra dictum, eam explicare annituntur. Qua de re ita LUCRETIUS:

Deni-

Denique si semper, motus connectitur omnis,
Ex vetere exoritur semper novus ordine certo,
Nec declinando faciunt primordia motus,
Principium quoddam, quod fati sidera rumpat,
Ex infinito ne caussam caussa sequatur;
Libera per terras, unde haec animantibus extat,
Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas,
Unde est haec, inquam, fatis avulsa voluntas?

loc. cit. pag. 44. Jungenda & quae hac de re disserit CICERO, *de fato, cap.* X Quemadmodum vero motus ille declinationis gratis assumitur, ut in sequentibus ostendemus, ita ad tollendum fatum, aut adstruendam libertatem, nihil facit. Sive enim sursum aut deorsum, sive dextrorsum vel sinistrorsum corpus per impressionem motus ab alio corpore factam moveatur, necessario tamen movetur. Et quam, quaeso, motus ille convenientiam habet cum libertate? Quam vero ridiculum & ineptum est, fatum in motu perpendiculari, libertatem autem in motu declinationis constituere velle? BENEDICTUS DE SPINOZA, cum revera omnem libertatem homini eripiat, & secundum suam hypothesin non eripere nequeat, ut tamen more suo fucum incautis faciat, verbis ambiguis eam videtur concedere. Duo enim ad libertatem requirit; alterum, ut actionum nostrarum cognitionem habeamus, alterum, ut ipsi *velimus* eas facere. Sed *velle* homini fraudulento nihil aliud significat, quam consentire, ut actio fiat, quam impedire nequeas. Hinc toties inculcat, libertatem in eo consistere, quod homines sentiant, & convicti sint, se motuum suorum sibi conscios esse, etsi causas, per quas ad istos motus determinati sunt, ignorent. Sed mera haec est illusio, cum nemo mortalium eum, qui catenis vinctus est, & ad mortem rapitur, ideo liberum dixerit, quia istius rei sibi conscius est, & consentit, hoc est, impedire nequit. (209) Nullam autem revera se homini concedere libertatem, ipsemet diserte profitetur: *In mente nulla est absoluta sive libera voluntas, sed mens ad hoc vel illud volendum determinatur a causa, quae etiam ab alia determinata est, & haec iterum ab alia, & sic in infinitum; eth. part. II. prop. XLVIII. p.* 85. Quo ipso cum aliquid asserat, quod omnium hominum sensui & experientiae repugnat, nihil aliud agit, quam ut suam stultitiam prodat. Sed ut ad id, quod caput causae est, accedamus, quo pacto ex hisce mentis nostrae facultatibus, operationibusve, Dei probari existentia queat, quilibet haud difficulter intelligit. Ipsae enim illae operationes, sive intellectum sive voluntatem spectes, ita comparatae sunt, ut hominem inter res creatas omnes natura nobis notas, longe nobilissimam praestantissimamque esse demonstrent. Cumque rerum adspectabilium structura admirabilis,

lis, pulchritudo & usus, omnes in admirationem conjicit, quanto magis mens nostra conjiciet, quae res omnes fere totius universi complectitur: & per artes varias ejusmodi opera producere potest, quae elegantia & artificio cum naturae operibus quodammodo certent, certe non minus, quam illa, admiratione digna sint. Quid vero de actionibus hominum variis dicam, in quibus vis quaedam admirabilis rationis, summaque prudentia elucescit? Recte CICERO: *Jam vero animam ipsam, mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui non divina cura perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi videtur carere, de natura deor. lib. II. cap. LIX.* Praeterea cum magna & intellectus & voluntatis humanae vis sit, suis tamen circumscripta est limitibus, ut nec major sit, quam hominis permittebat natura, nec minor, quam ejus requirebat conservatio. Sic etsi intellectus vis non sit infinita, tanta tamen est, ut homo ea omnia, quae ad Creatorem hujus universi agnoscendum, ejusque laudes concelebrandas, non minus ac ipsius conservationem, scitu sunt necessaria, cognoscere queat. (210) Et licet hodie rationis lumen, ut veram atque perennem salutem consequi queat, non sufficiat, eodem tamen ad revelationem, quae abunde hunc defectum supplet, investigandam uti potest. Eam, quae sensuum organis peragitur, cognitionem, itidem ita comparatam esse, ut ad hominis conservationem sufficiat, omnes facile intelligimus. Idem & de imperio, quod voluntati, tum in varias mentis facultates, tum in corpus ipsum competit, observare licet. Cum enim & illud certis limitibus circumscriptum sit, nec omnes, sed illi saltem motus corporis eidem sint subjecti, quos a voluntate dirigi hominis natura & conservatio postulabat, sapientissime haec omnia a Deo, naturae auctore, conditoreque rerum omnium, constituta esse, nemo non intelligit. Jam, si porro homo inquirat, unde mentem tam insignibus facultatibus praeditam habeat, primo quidem eam non semper fuisse, facile convincitur, cum certo sciat, tempus fuisse, quo nondum exstiterit. Idem & probe sibi conscius est, sine ulla sua opera se in hocce rerum universo extitisse; unde aliam causam esse oportet, cui & existentiam & vitam suam, & quicquid habet, imputare debeat. Quod cum & pari ratione de aliis hominibus, qui ejusdem sunt naturae, multoque magis de rebus creatis reliquis, utpote homine longe ignobilioribus constet, non potest non inde sequi, causam quandam universalem horum omnium, eandemque summa potentia & infinita sapientia praeditam, admittendam esse. Cumque mentem nostram materiae omnis expertem, facultate res innumeras cognoscendi, & libertate praeditam esse, nobismet ipsi conscii simus, haec omnia cum aliis perfectionibus infinitis eminentissima quadam ratione causae illi primae convenire, firmiter inde colligimus. Ex quibus omnibus tandem sequitur, dari ens aliquod materiae prorsus expers, atque ab ea distin-

ſtinctum & ſeparatum, facultate infinita res omnes cognoſcendi, ſumma ſapientia, nec minori potentia praeditum, idemque liberrimum, quod tum rerum reliquarum, tum noſtrae mentis cauſa ſit. (211) Idem hocce, de quo hactenus egimus, argumentum, quo pacto ex mentis conſideratione exiſtentia Dei probari queat, copioſe, ſed alia, quam nos, ratione tractat IS. JAQUELOT, de *l'exiſtence de Dieu, diſſertat. II. cap. VII. ſeqq. pag.* 351. *ſeqq.* & in compendio FENELON, *de l'exiſtence de Dieu, cap. XLV. ſeqq. pag.* 138. *ſeqq.* (212)

(204) *Licet Mens noſtra ſit cogitando actuoſa, adeoque conſcientiâ ſui, ſuarumque actionum dotata, in ipſis tamen illis, quae memorat Cl.* Buddeus, *ignorantiam ſuam eadem illa debet confiteri; ita ut ex ignorantia modi, quo aliquid exiſtit, nequaquam procedere liceat ad rei negationem; quae obſervatio uſui veniet in ſequentibus* Cap. *VI.* §. 7. Idea *certe nihil aliud eſt, quam determinatus cogitandi modus, quo menti aliquid repraeſentatur; eſt quaſi pictura ſpiritualis objectorum, quae menti immediate eſt praeſens; aſt picturae illae non menti, tanquam capſulae, inſunt; non in mentis ſinu, veluti tabulae in cubiculo, reponuntur; non ex mentis ſinu, tanquam ex repoſitorio, vel gazophylacio, reproducuntur, poſtquam mens fugitivo quaſi oculo percurrit omnes quaſi parietibus appenſas, easque ſelegit, quas ſcopo ſuo convenientes judicat. Undique hic in mente propria offendimus tenebras, ſive cum Atheis eo abſurditatis deveniamus, ut eam non diverſam putemus a corporis mechaniſmo; ſive eam ab omni concretione corporea remotam habeamus & ſubſtantiam ſui generis: Ideae omnes, quae* otioſae *ſunt, ſive non actu praeſentes, menti inſunt, & alio modo inſunt, quam ſi nunquam fuiſſent praeſentes; adeoque hebeſcit ingenii humani acies, ubi vulgatiſſimorum horum phaenomenorum explicationem tentamus: neque in hiſce enodandis feliciter ubique fuit verſatus ingenioſiſſimus* Bonnet *Eſſay Analytique des facultés de l'Ame Chap. XVIII.* §. 413. *Ch. XXII.* §. 623. *ſuiv. aliisque in locis, quae conferenda ſunt cum Praefatione pag. XXI. ſuiv. Verum de hiſce fuſius agere locus non ſinit.*

(205) *Sive Athei cogitationis fontem & originem quaerant in materia quadam ſubtiliſſima, ſive in organiſatione, aut peculiari diſpoſitione cerebri, ratiocinium Cl. Auctoris hactenus parum habet roboris; licet quippe in capite, in cerebro, ſollicite perluſtrato nihil reperiatur ſive viſu, ſive aliis organis ſenſoriis, quod cogitationem producere poſſet; nondum tamen exinde ſequeretur, nihil in illis corporis partibus adeſſe, cui cum cogitatione ejusque variis modificationibus cognatio intercedit, niſi alia adjiciantur rationum pondera; cum materia illa ſubtiliſſima, vel illa textura ſeu organiſatio nimium ſit tenuis, ex Atheorum hypotheſi,*

quam ut sensibus percipiatur ; uti aeris ignisque particulae adesse possunt in aliquo loco, licet non percipiantur, ita ut aliquando ex effectibus demum de earum existentia conjecturam capere liceat.

(206) *Non ignorant Athei, cogitationem quaerendam non esse in corpore quiescente, cum mens sit actuosissima; neque, eam repositam esse, statuunt in motu corporis alicujus solidi vel solitarii; mutato hocce motu mutaretur cogitatio, & cogitationis proxime praecedentis nulla remanerent vestigia, & sic memoria tolleretur; cum Ex Gr. Globus, in occidentem circa axem volutus, nulla istius motus vestigia servet, quando deinceps volvitur in orientem: imo, cum idem corpus eodem tempore tantum unico motu possit agitari, unica tantum simul idea posset esse menti praesens; adeoque nulla judicia, nulla ratiocinia possent formari. Verum cogitandi facultatem, ipsamque cogitationem quaesiverunt* vel *in congerie particularum minimarum, laevissimarum, mobilissimarum,* vel *in organisatione subtilissima cerebri: sed hoc quoque modo in plurima absurda incidunt: quippe* 1°. *illa sive materia seu congeries particularum, sive ipsa organisatio cum cerebro est divisibilis; cogitatio proinde per totam istam congeriem, per totam istam organisationem, quae ex pluribus partibus debet esse conflata, dispersa foret & proinde divisibilis; ita ut pars ejus in quibusdam particulis, pars alia in particulis vicinis, pars alia denique in partibus remotioribus sit reposita, cum tamen illud, quod in nobis cogitat, quod sentit, quod suarum sensationum sibi est conscium, sit unicum quid & simplex: non est* alius ego, *qui est conscius hujus cogitationis seu ideae,* alius ego, *qui est conscius cogitationis, seu ideae, quae, simul cum priori, ideam aliquam compositam ingreditur, vel priori illi proxime succedit; sed* idem ego *sum, qui video objecta externa, qui sonos eodem tempore audio, odores percipio, varias atque a se invicem diversissimas experior sensationes, earum possideo conscientiam earundemque retineo memoriam. An agitur in illa congerie, vel organisatione uno eodemque temporis articulo variae adsunt modificationes, quae & tanquam variae repraesentantur, & tamen in uno simplicissimo ente, simplicissima conscientia sui dotato obtinent? An non pars congeriei adficeretur ab objectis visibilibus, pars alia ab objectis, quae auditu percipiuntur; cum eaedem partes unico tantum motu eodem tempusculo non dividuo possint cieri?* 2°. *si cogitatio ex motu particularum nasceretur, vel in mechanica quadam organisatione (cujus natura nunquam fuit explicata ab Atheis, ne quidem a* la Mettrie *in turpissimis tractatibus* l'Homme Machine *&* l'Histoire naturelle de l'Ame*) esset quaerenda, quarum utraque uno tantum motu eodem tempore potest agitari, quo cessante, nihil remanet vestigii instar; nulla daretur apperceptio, nulla reflexio, nulla judicia, nulla ratiocinia;*

cessante

cessante motu, qui cogitationis de Sole erat vel comes, vel origo, aura illa subtilissima, vel tenuissima illa organisatio non alio modo sese haberet, quam si motu isto determinato nunquam fuisset agitata: eodem modo, quo supra circa unicum corpus cogitans notavi. 3o. *Si mens esset congeries particularum tenuissimarum, vel organisatio cerebri subtilissima, id commune haberet cum aliis nostri corporis partibus, quod eaedem numero particulae non permanerent, quod eadem, quoad substantiam, non persisteret organisatio; aliquid accederet, tractu temporis, aliquid decederet, uti procul dubio plurimae partes mei corporis, quae nunc adsunt, non adfuerunt ante triginta pluresque annos, dum aliae partes avolarunt, vel ejectae sunt per corporis mechanismum, causasque qualescunque externas: & tamen eadem est mens mea cum illa, quae in juventute in meo corpore habitavit; cum memoriam gerat eorum, quae in juventute peregit, & passa fuit. Plura alia argumenta praetereo, ne longior sim; quae mihi praecipua videntur, quibusque uti soleo, adduxi; conferri possunt* Reimarus *l. c. pag.* 418--460. Sinsart *Recueil des Pensées diverses sur l'Immaterialité de l'Ame pag.* 39. *suiv. pag.* 138--284. Euler *in Opusculis pag.* 277-286. Boullier *Lettres sur la nature de l'Ame pag.* 242. *suiv.* Muis *in Opusculis Posthumis pag.* 124-259. Ditton *in Append. ad demonstrationem Resurrectionis Christi.* Essay de Psychologie *Chap. XXXV. suiv.* Canzius *in Exercit. de Animae immortalitate Exerc.* 3. §. 5. *seqq.*

(207) *De libertatis indole disputare heic loci nec lubet, nec licet; satis innuit Cl. Auctor, se non penitus conspirare cum placitis* Leibnitii *ejusque sequacium, qui, voluntatem nostram se* libere, sed moraliter necessario *determinare, statuunt; ita ut illa determinatio nunquam obtineat absque ratione sufficiente, cur potius sese determinet quam non determinet, cur potius hoc modo, quam alio modo sese determinet. Ab hacce* Leibnitiana *doctrina, rationi & experientiae, si in se spectetur, sic satis conformi, Cl.* Buddeum *alienum fuisse, manifestum est ex ejus Observ. ad Philos. Instrum. pag.* 552-559. *& ex Theol. Dogm. Tom.* 1. *pag.* 597. *seqq. Verum sufficit, mentem etiam rationibus motam, & per eas moraliter necessario determinatam,* ex interno principio, *seu* sponte sua *electionem instituere, ita ut per intimam conscientiam convincatur, se* lubenter *egisse, &, quotiescunque agitur de rebus alicujus momenti, se sponte sua propter rationes determinantes, potestatemque Physicam non tollentes, quae ad alio modo agendum requirebatur, statum suum mutasse, sive ex uno modo existendi ad alium existendi modum transiisse; talis transitus, cui lubentia est comes, talis determinatio sui neque in aura subtilissima, neque in tenuissima textura, seu organisatione cerebri obtinere potest;*

 cum

cum in omni materia detur inertia *quaedam, qua in eodem manet statu, in quo semel est constituta, usque dum a causa externa exinde deturbetur; neque aliquid in materiae conceptu quomodocunque excutiatur, reperire licet, quod activitatem redolet; licet dubitaverint plurimi, iique sagacissimi Philosophi, an quidem a priori ex natura vel essentia corporis vis illa inertiae, quam experientia ubique in quavis materiae parte, quae sensibus percipitur, manifesto detegit, apodictice possit demonstrari.*

(208) *Licet secundum nonnullos dubium sit, an* Spiritus *illi* animales *existant in rerum natura, idem tamen est ratiocinium, quo utitur Cl. Auctor, eadem ejus est efficacia: sive mens immittat spiritus animales in nervos, eorumque adapertos, ut fertur, canales, sive sine interventu istius fluidi nervei influat in determinatos musculos, semper aliquid datur, quod captum nostrum longissime superat, si veritati maxime consonum censeamus* systema influxus Physici, *quod tamen difficultatibus omnium minimis videtur premi: quippe mens, agitatura determinatum aliquem nervum, ipsum illum ex pluribus & tantum non innumeris aliis debet seligere; atqui mentes in Anatomia minime exercitatae hic saepe majora praestant, quam dexterrimi Anatomici & peritissimi Physiologi; imo Anatomicorum Principes, si ad se attendant, nullo modo experiuntur, se scientia sua in movendis membris sui corporis adjuvari; non sibi sunt conscii, se in determinatos musculos agere, quorum situm & conformationem sibi satis perspectum reddiderunt: sed experiuntur, membrum aliquod determinatum, voluntariis motibus destinatum, eo momento, ea velocitate, ea in directione moveri, quae cum voluntatis determinatione conspirat, dummodo efficax illa volitio accedat, quae a nonnullis* Potentia *appellatur. Hic aliquid a mente fit, cujus distinctam plenamque conscientiam non habet; uti in revocatione idearum mediante memoria, in mente & a mente aliquid fit, cujus modum ignorat ipsa: conf. ea, quae notavi ad hanc* §. *n.* 204. *Quo magis haecce vulgatissima in vilissimis etiam mentibus observanda phaenomena perpendimus, eo magis convincimur, illa ex mechanismo corporis non enasci, sed ipsam mentem, quae miranda haecce quovis momento, tanquam in Theatro amplissimo, exhibet, coelestis esse originis, causamque agnoscere, quae ipsi benigne prospexit, etiam in illis operationibus, quarum distinctam conscientiam habere nequit.*

(209) *Quid de libertate senserit* Spinosa, *satis superque liquet ex ejus Epist.* 62. *pag.* 584. *seq.* Lapis, *inquit,* a causa externa ipsum impellente certam motus quantitatem accipit, qua postea, cessante causae externae impulsu, moveri necessario perget. —— Concipe jam,

jam, ſi placet, lapidem, dum moveri pergit, cogitare, & ſcire, ſe, quantum poteſt, conari, ut moveri pergat. Hic ſane lapis, quandoquidem ſui tantummodo conatus eſt conſcius & minime indifferens, ſe liberrimum eſſe, & nulla alia de cauſa in motu perſeverare credet, quam quia vult. Atque haec humana illa libertas eſt, quam omnes habere jactant, & quae in hoc ſolum conſiſtit, quod homines ſui appetitus ſunt conſcii, & cauſarum, a quibus determinantur, ignari. *Neque ab hoc ſimili multum abludit* Bailius *Reponſe aux Queſtions d'un Provincial Chap.* 140., *ubi libertatem humanam comparat cum Galli effigie, tempeſtatis, ſeu ventorum directionis nunciâ, quae, ſi ſui conſcia foret, & deſiderio agitaretur ſeſe verſus illam plagam derigendi, ad quam vento pellitur, ſe liberrimam putaret. Verum aliam eſſe libertatis indolem, cuilibet, qui ad ſe ipſe attendit, evidentiſſime apparet. Mens, ſcilicet, non phyſica neceſſitate a cauſis mechanicis determinatur, ſed a cauſis impellentibus moralibus ducitur, flectitur, allicitur rationali modo ad id eligendum, quod optimum, quod ſuae felicitati convenientiſſimum videtur. Sic in omnibus voluntatis noſtrae determinationibus rationes ſequimur, quae nobis ſufficientes videntur, niſi in tales incidamus caſus, ubi mens, de differentia invenienda inter plura eligibilia deſperans, negotii deciſionem relinquit impreſſionibus objectorum circumſtantium, illuſtriori libertatis uſui in iſtiusmodi caſibus ſingularibus renuntians. Et ſi quid difficultatis in doctrina de libertate remaneat, id tamen eſt certiſſimum,* Spinoſae, Bailiique *dogmata nullum relinquere locum legibus, monitis, praemiis, poenis, poenitentiae, cum mens noſtra ſit mera machina, quae ſecundum regulas motus agitatur, nec veri nominis electionem inſtituit.*

(210) *Innumera ſunt, quae limites cognitionis humanae excedunt; ſive ad ipſum Deum reſpiciamus, ſive ad indolem mentis noſtrae, ſive ad corpora mundana; ſed qualis quaeſo hic obtinet ignorantia? quae facit, ut continuum ſentiamus, ſaltem ut experiri poſſimus cognitionis noſtrae, adeoque felicitatis noſtrae incrementum: cognoſcimus ea, quae ad veram beatitudinem noſtram pertinent; modum vero, quo pleraeque res exiſtunt, quo pleraque phaenomena contingunt, ignoramus. Sufficit, ens neceſſarium, vi ſuae naturae exiſtere, & exſtitiſſe ab omni aeternitate; illud hoc univerſum condidiſſe; in eo regimen exercere, & ubique eſſe praeſens; ad noſtram felicitatem hactenus non requiritur, ut perſpectum habeamus* modum, *quo illud Ens virtute inſita exiſtit ſine initio, ſine fine, ſine ſucceſſione momentorum; quo illud ad potentiſſimae voluntatis ſuae nutum hunc mundum exiſtere fecit, eundem in ſua exiſtentia ſuſtentat, & in qualibet ejus parte, absque diffuſione, quae extenſionem redolet, eſt praeſens. Sufficit, mentem* no-

nostram ab ente illo necessario suam habere originem, facultatemque cogitandi, illam cum corpore esse conjunctam, & varias diversarum classium ideas possidere, easdemque mediante memoria reproducere; ast felices esse possumus, & felicitatis continua incrementa persentiscere, licet intimam mentis essentiam ignoremus, licet subjectum adsignare nequeamus, cui inest illa cogitandi facultas, licet determinare non possimus, an facultatem illam semper, absque ulla intermissione, ex causis externis oriunda, exerceat; quali *vinculo sit ligata suo corpori; quibus modis acquirat ideas, easdemque in sinu suo reponat, & ex illo reproducat & recognoscat, discernatque novitias a veteribus sinus sui incolis. Sufficit, quod mundum corporeum ejusque partes eo usque habeamus cognitas & exploratas, ut non tantum ex iis sapientiam, potentiam & munificentiam adorandi Conditoris undique perspicere liceat, sed etiam ut usus praebeant pretiosissimos, inserviantque vitae necessitatibus & commodis; nec ad felicitatem veram mentis nostrae requiritur, ut intimam corporum essentiam, ut gravitatis, attractionis, magnetismi, elasticitatis causas, ut motus transitum ex uno corpore in aliud, sive verum, sive apparentem, cognoscamus; ut sciamus modum, quo lucis radii ex sole, ex stellis fixis, ex igne projiciantur, &c. dummodo eorum omnium usu gaudeamus, atque eo vitam reddamus magis commodam tutamque.*

(211) *Argumentum hocce, ex intuitu mentis nostrae haustum, quod in fronte poni potuisset, ac debuisset, supra §. II. n.* 162. *alio modo proposui, quo ab eorum Atheorum, qui Scepticismum forte simularent, effugio est immune. Aliud insuper argumentum pro existentia Entis independentis haurire licet ex* conscientia, *quod heic loci inserere liceat secundum ea, quae supra dixi ad §. II. hujus Cap. n.* 160. *Per conscientiam autem hic intelligimus judicium illud, quod de actionibus nostris ferimus respectu earum bonitatis vel vitiositatis moralis secundum ideam, quam de lege habemus: Talis conscientia, (quae vel* antecedens *est vel* consequens, *prout judicium illud versatur circa actiones vel* instituendas, *vel* institutas) *apud omnes homines reperitur, qui non omnem humanitatem excusserunt. Hic autem praesertim respicimus ad conscientiam consequentem, quae etiam secretissimas actiones dijudicat. Quid quaeso metuunt scelerati,* quos diri conscia facti mens habet attonitos & surdo verbere caedit (Juven. *Sat. XIII.*) non *certe* infamiam, *cum variis de causis aliorum de se judicia flocci faciant, & angores etiam secretissima facinora sequantur:* non *metuunt* humanam vindictam, *non tantum quia occulta sunt scelera, verum etiam quia nec illi, qui supra leges poenasque humanas sunt, ab hisce morsibus sunt immunes; quod visum fuit in* Tiberio (Sueton. *in ejus Vita Cap.* 63. *&* 69. Tacitus *Ann. Lib.* 6. *Cap.* 6.) *& in* Caligula (Sueton. *in ejus*

ejus vita Cap. 51.); *non nascuntur illi angores ex* praejudiciis, *quae ex educatione & institutione fuerunt orta, cum etiam in iis habeant locum, qui illorum jugum excutere, sibique persuadere conantur, non esse Deum; ne dicam, illa praejudicia varia esse debere in variis regionibus pro varietate educationis & institutionis. Non suam trahunt originem ex* temperamento melancholico, *cum observentur in hominibus hilarioris indolis, qui genio suo fruuntur usque ad illud tempus, quo atrociori, utut occulto, crimine sese commacularunt. Quid igitur superest, nisi ut agnoscant, Legislatorem dari corporis oculis inconspicuum, qui secretissimas actiones perspectas habet, qui, ipse independens, in homines omnes habet imperium; Conf. Principia Relig. Nat. & Revel. Tom.* 1. *pag.* 44. *seqq. la Defense de la Religion. Tom.* 3. *pag.* 273. *seqq.* Werenfels *Opuscul. Tom.* 2. *pag.* 269. *seqq.*

Neque cum Cl. Lampio (*Theol. Nat.* §. 95.) *est existimandum, argumenti hujus efficaciam esse nullam, si non agnoscamus, Dei ideam esse innatam: sufficit certe, si vel leviter attendendo hanc ideam acquirere possimus, sique mens ipsa etiam in hominibus deperditis tacite agnoscat, se ab alio pendere, suarumque actionum alii debere reddere rationem. Uti igitur domestica argumenta, quae in antecedentibus fuerunt proposita pro existentia Dei, fundata sunt in mutabilitate & limitata mentis nostrae natura, atque utriusque vividissimo sensu; sic hocce argumentum desumitur ex sensu* dependentiae, *qui omnibus adest, si non penitus sint stupidi.*

(212) *Immiscuit Cl.* Buddeus *hisce Paragraphis IV-VII. ratiocinia, quae* ex finibus rerum creatarum *sunt desumta, quaeque non ab omnibus eodem modo proponuntur, neque etiam ab omnibus ejusdem habentur valoris. Si hac ratione formatur argumentum:* Ubi sunt rerum fines, etiam aliquis datur, qui propter fines illos agit; atqui rerum in universo omnium sunt certi fines. Ergo est aliquis, qui propter fines illos agit; *fatendum, petitionem principii committi, quod recte observavit* Wolff *Rat. Praelect. Metaph.* §. 4, & 46. & *post eum* Kahle *Examen de la Metaphysique de Newton pag.* 16. *suiv.* & Canzius *in Usu Philos. Leibn. & Wolff. in Theologia Part.* 1. *pag.* 115. Finis *recte dicitur* certus respectus, cujus gratia intelligens agit: *si jam substituatur haecce definitio ipsi vocabulo definito in minori propositione, sic sese illa habet:* atqui rerum in universo omnium sunt certi respectus, quorum gratia intelligens agit, *quo facto circulus vitiosus, seu petitio principii manifesta redditur. Attamen evitatur haecce difficultas, si dicamus:* Ubicunque datur plurium neque casui, neque ulli necessitati tribuendus consensus ad unum aliquod obtinendum, quod, si finis instar assumatur, sapiente Auctore dignum est, ibi datur Auctor intelligens. Atqui in

in Mundo ejusque partibus datur talis consensus. *Si excipiatur*, consensum *huncce esse fictitium, & casui deberi, vel necessitati, respondeo, idem dici posse, si in aedificio secundum regulas artis constructo inveniamus omnia, quae ad commodum inhabitantium requiruntur: ita ut nihil superfluum sit & nihil deficiat. An casui hic partium consensus tribui posset, an necessitati, ita ut existere, & in sua existentia perseverare non posset aedificium, si minora habitantibus adferret commoda? Vid.* Melchior *in Dissertatione Stolpiana de argumentis pro existentia Dei pag.* 29. Turretin *Dissert. Vol.* 1. *pag.* 102. *seqq.* Formey *l'Hist. de l'Acad. de Berlin Tom.* 3. *pag.* 365. *seqq. qui bene demonstrat, ordinem, qui in hoc universo deprehenditur, ubique esse non naturalem, seu partibus materiae essentialem, sed contingentem, ita ut causam istius externam agnoscere teneamur. Coecus igitur sit oportet, qui cum* Robinet *(de la Nature Part. V. Chap.* 70. *seu Tom.* 2. *pag.* 270. *suiv.) negando respondet ad Quaestionem:* an pulcritudo & varietas, ordo & symmetria, quae ex hoc universo elucescunt, & praesertim miranda proportio, in qua unaquaeque res ad suum finem tendit, annuntient propositum & sapientiam infinitam? *Non certe procedit ratiocinium* Robineti: *homines saepe Deo tribuunt fines, quos ipsi intenderent, si talia opera fabricarent, atqui hoc temerarium est, atque absurdum; ergo nullibi Deus intendit fines: temerarium certe aliquando est hominum judicium circa fines Divinos; sed an inde concludam, sapientissimos fines Deum non intendisse, eosve penitus esse inconspicuos, si vel adessent? contrarium certe evidentissime patescit ex innumeris speciminibus sapientiam bonitatemque Creatoris demonstrantibus, quae a supra memoratis Scriptoribus posita fuerunt ante oculos. Verum locus hicce non sinit, ut omnes* Robineti *conclusiones, cum hoc placito connexas, revocemus ad examen, utque multiplices monstremus paralogismos a Viro caeteroquin haud quaquam stupido commissos.*

§. VIII.

Nec praetermittenda hominum origo, tum intuitu totius humani generis, tum singulorum individuorum spectata. Quo minus enim, qui in utraque Conditoris rerum omnium vim ac potentiam agnoscere nolunt, aliquid, quod non ineptum planeque absonum sit, adferre possunt, eo certius evidentiusque pro Numinis comprobanda existentia inde petere licet argumentum. *

* Nulla

* Nulla res temere Veterum Gentilium magis torſit ingenia, quam origo humani generis. De hac enim cum nihil aliud vel cum ſpecie quadam probabilitatis dici queat, quam quod litteris conſignatum reliquit Divinus ſcriptor, Moſes; hujus vero libros Ethnici ignorarent, aut non admitterent, fieri aliter non potuit, quam ut meras ineptias proferrent, quoties ea de re verba facere aggreſſi ſunt. Atheorum itaque, qui illorum veſtigia premunt, ſumma inde ſtultitia & imprudentia patet, qui data opera cum coecis hominibus ineptire, quam ſcripturae, nihil profecto, quod ratio rejicere queat, hac in re tradentis, admittere auctoritatem malunt. Nihil de poëtis dicam, aut ex Promethei molli luto formatos eſſe homines, aut ex Deucalionis Pyrrhaeque duris lapidibus natos, fingentibus. Fuerunt ex ipſis ſapientiae profeſſoribus, qui ſi non magis monſtroſas, certe non minus incredibiles de hominum origine protulerunt ſententias. Anaximander Mileſius, ex aqua terraque calefactis exortos eſſe, ſive piſces, ajebat, ſive piſcibus ſimillima animalia; in his homines concreviſſe, foetusque ad pubertatem intus retentos, tum demum, ruptis illis, viros mulieresque, qui ſe jam alere poſſent, proceſſiſſe. Empedocles primo membra ſingula ex terra quaſi praegnante paſſim edita, deinde coiiſſe, dicebat, & effeciſſe ſolidi hominis materiam, igni ſimul & humori permixtam. Democrito viſum, ex aqua limoque primum homines procreatos; a quo non multum diſceſſit Epicurus, quippe qui limo calefacto uteros neſcio quos, radicibus cohaerentes, primum increviſſe exiſtimabat, & infantibus ex ſe editis ingenitum lactis humorem natura miniſtrante praebuiſſe, eosque ita educatos & adultos, genus hominum propagaſſe. Haſce aliasque Philoſophorum de hominum origine ſententias ſummatim recenſet, & unico velut faſce complectitur CENSORINUS, *de die natali, cap. VI. pag.* 26. quem ejus locum jam exhibui, in *hiſtoria Eccleſ. veter. teſtament. period. I. ſect. I. §. VIII. pag.* 77. 78. ubi plura hac de re dixi, & genuinam Philoſophorum de ea ſententiam ex inſtituto expoſui. Quaecunque autem aut Philoſophi veteres de prima hominum origine dixerunt, aut Athei dicere poſſunt, ad quatuor praecipue revocari capita, ſententiasque principes poſſunt. *Prima* eſt, homines aeque ac orbem huncce noſtrum ſemper fuiſſe, nec ullum unquam habuiſſe initium. Peripateticos, praeeunte magiſtro ſuo, ita exiſtimaſſe conſtat; quibus nonnulli Pythagoraeos atque Platonicos addunt; quo autem jure ad fiat, in *hiſtor. Eccleſ. veter. teſtam. loc. cit. pag.* 75. expoſui. *Altera* ſententia eorum eſt, qui generis humani originem aſtris, eorumque influxui, & peculiari conjunctioni adſpectuive tribuunt. *Tertia* eorum eſt, qui mechanica quadam ratione, per Solis in materiam rite praeparatam operationem, homines productos aſſerunt. *Quarta* denique illorum, qui poſt infinitas materiae concuſſiones vagas & abortus, mero tandem caſu contigiſſe putant, ut corpora noſtra

in hanc, qua gaudent, figuram, temere & fortuito conflarentur. Quamcunque autem ex hisce eligas sententiam, eam absonam plane ineptamque esse, statim, si modo mentem advertere velis, deprehendes. Ad *primam* enim quod attinet, exploratissima veritate compertum est, humanum genus per certos gradus auctum esse, atque incrementum cepisse. (213) Gentium variarum origines, historicorum fide dignissimorum testimoniis comprobatae, hac de re nos dubitare non sinunt. Ea vero ratione necessario, si non ad duos, certe ad paucos admodum homines deveniendum erit, a quibus reliqui originem ducant. Contra, si semper homines exstiterunt, nullum tempus erit, quo non idem circiter hominum numerus fuerit, qui hodie est, immo multo major. Cum enim mille annorum spatio pauci homines in gentes validas excrescere possint, quid quaeso non futurum fuisse, si ab omni aeternitate homines eodem, quo hodie sunt, numero exstitissent? (214) Quod obverti potest, per diluvia universalia, vel alia ratione, homines ad numerum pauciorem redigi potuisse, ejusmodi est, ut probari nequeat; ne dicam, quod hac ratione plura, immo innumera Diluvia universalia, & ea quidem semper lege admittenda forent, ut quidam homines servati sint; quod prorsus absonum est. (215) Quae Scriptura sacra de unico Diluvio universali commemorat, nobis a secus sentientibus opponi nequeunt. Si enim hac in re Scripturae auctoritate uti vellent, quaestio merito institueretur, cur ergo & in aliis eam non admitterent? Immo hoc ipsum Diluvium longe plura & solidiora contra Atheos argumenta suppeditat, ut alibi ostenditur. Ex imperiorum praeterea omnium atque regnorum origine, artium item ac scientiarum inventione, recens mundi exordium constat; qua de re in sequentibus plura dicemus. (216) Non minoribus difficultatibus & *altera* sententia premitur. Esto, dari quendam astrorum in corpora sublunaria influxum, num ideo ad homines producendos sufficit? Si viri sunt Athei, explicent, quis ille influxus sit, & qua ratione debeat esse comparatus, ut per eum homines, hoc est, non tantum animalia, sed animalia, mente & ratione praedita, produci queant. Sin nequeant, agnoscant, quam stolidum sit, ne admittere cogantur, quod illis parum credibile videtur, ejusmodi quid asserere, quod longe est incredibilius, & quod ipsi nulla explicare ratione possunt. Quod si ad conjunctionem peculiarem stellarum adspectumve se recipiant, dicant, quaeso, qualis illa constellatio, qualisve adspectus esse debeat, rationemque rursus explicent, cur talis & non alia conjunctio, aliusve adspectus eundem progignere effectum queat? (217) Ab iis, qui *tertiam* sententiam defendunt, sciscere vellem, qualis illa materia esse debeat, aut quo pacto debeat esse praeparata, ut homo mente & ratione praeditus inde prodire queat? Utcunque materia consideretur, quicunque accedat calor, nihil in ea deprehendo, quod homi-

hominem constituere queat. Id quod simul contra *quartam* sententiam observandum. Esto vero, posse materiam inveniri, quae corpori hominis formando sit idonea, quis nervos, venas, arterias, ossa, cutem, & membra omnia tam apte dispofuit, ut nihil in homine sit, quod non usui, cui destinatum, aptissime respondeat? Ceterum, si unquam terra, non dicam homines, sed animantia bruta progenuit, cur, quaeso, hodie ea non producit? Major forte terrae olim fuit foecunditas? Id quidem dicunt Athei, sed non probant. Tantam enim in terra, quae ratione solis eundem semper situm obtinuit, contigisse mutationem, ut, quae olim tot animalia, ipsosque homines protulit, hodie ne minimum quidem animalculum progignere valeat, nullo exemplo, nullave ratione probari potest. Sunt hinc inde regiones tanta coeli solique clementia & fertilitate beatae, ut ad summam foecunditatem iis nihil desit; nec tamen unquam vel fando auditum fuit, ullum animal ex terra progenitum fuisse. Quae de Aegypto nonnulli commemorant, cum Nili aquae, postquam inundatione sua terrae fertilitatem conciliarunt, iterum in alveum fluminis recedunt, in limo animalcula varia & quaedam etiam imperfecta & semiviva reperiri, jam pridem Viri docti exploserunt. Sane reptilia, quae in aquis degere solent, aqua recedente, in limo reperiri, nemo miratus fuerit. Partes etiam seu membra quaedam, postquam reliquum corpus putruit, ut ibi repeeriantur, facile fieri potest. Sed quis inde colligat, animalia ex terra gigni? Quis vero unquam vidit, oves, bovesque & similia animalia ex terra ibi prodiisse? aut si olim prodierunt, cur hodie non amplius prodeunt? Immo tantum abest, ut ullum animal hac ratione ex terra gigni queat, ut potius evidentissimis experimentis hodie comprobatum sit, nullum, ne minimum quidem, insectorum esse genus, quod non ex semine quodam generetur. Meritoque adeo Viri docti generationem, quam vocant, aequivocam, ex orbe proscripserunt. (218) Cum ergo quicquid Athei de prima hominum origine dicunt, absonum sit, atque prorsus ineptum, nihil aliud superest, quam ut concludamus, Deum humani generis esse conditorem, verissimaque esse, quae Moses, divinus scriptor, hac de re litteris consignavit. Jungenda, quae accurate hac de re disserit RICHARDUS BENTLEJUS, in *stultitia & irrationabilit. Atheismi pag.* 130. *seqq.* & ante eum SAMUEL PARKERUS, de *Deo & provident. disput. V. sect. I. pag.* 429. *seqq.* Postquam autem Deus homines primos creavit, facultatem illis simul, aeque ac reliquis animalibus, per generationem genus suum propagandi indidit. Atque hinc singulorum hominum origo constat, in qua sive conceptionem primam, sive animae productionem ejusque cum corpore conjunctionem, sive corporis singulorumque membrorum in utero materno formationem, sive foetus nutritionem, sive nativitatem, sive varium naturae ad foetum conservandum, ejusque incrementum & nati-

in hanc, qua gaudent, figuram, temere & fo... curae miracula
Quamcunque autem ex hisce eligas sententiam ... ntia, deprehendi-
ineptamque esse, statim, si modo mentem ... xplicare voluerunt,
hendes. Ad *primam* enim quod attinet, ... egisse. Hinc alii vim
pertum est, humanum genus per certos ... runt, etsi ipsi, quid vis
crementum cepisse. (213) Gentium ... e vero demum vis ista pla-
fide dignissimorum testimoniis com... ateria derivari nequit. (219)
non sinunt. Ea vero ratione nec... quam ut fateamur, Deum ipsum
cos admodum homines deveni... ut ex ipsa ista origine nostra, quem
ducant. Contra, si semper ... m, quae in nos collata sunt, auctorem
quo non idem circiter ho... rari, condisceremus. Sed plura hac de
multo major. Cum e...
gentes validas excre...
ab omni aeternitat...
tissent? (214) ...
ratione, hom...
est, ut pr...
innumera...
forent ...
(21...
ra...

...observationum satis diu continuatarum definiri accurate ... & qua in proportione crescat hominum numerus, cum ... ubi minui videtur. Si numerus nascentium sit ad mo-... numerum, uti 1,12 ad 1, quemadmodum assumitur ab acu-... Brakenridge Phil. Trans. Vol. 49. pag. 282. sique cum eodem ... supponatur, numerum quotannis morientium esse ad numerum omnium hominum, uti 1 ad 40, intra 232 fere annos duplicaretur hominum numerus, uti calculo Logarithmico ex formula Algebraica non admodum complicatâ potest inveniri. Verum in Hollandia, ubi accuratissimae institutae fuerunt observationes, hi numeri adsumi nullo modo possunt. Conf. ea, quae notavi supra ad Cap. V. §. 5. n. 183. & Hume Wysgeerige en Staatkundige Proeven pag. 259—385.

(214) *Si humanum genus semper fuit, nunquam, quousque etiam retrocedamus, ad stirpis originem, seu ad Generis istius Auctorem & Caput adscendere licebit. Videamus jam, quaenam exinde sequantur absurda: Numero infiniti igitur homines praeterierunt; sed omne, quod* praeteriit, *antea fuit* praesens; *haec sunt* relata & correlata, (*uti veteres Dialectici mentem suam exprimere solebant*); *adeoque in serie infinita hominum nullus est, qui non aliquando* praesens *fuit; &, cum* successive *exstiterint, non vero simul,* unus ex iis fuit aliquando praesens, cum omnes reliqui essent futuri; *& sic totius seriei aliquis est primus, qui ideo seriei initium constituit; eodem fere modo, quo contra progressum causarum infinitum supra ad §. III. hujus Cap. disputavi. Neque excipere licet, lineam concipi posse, Mathematicorum more, in infinitum excurrentem, licet ab una parte determinatam; huic imponi posse homines in continua serie, cujus igitur seriei nullus reperiri posset primus terminus. Uti proinde linea illa nunquam extendi potest eousque, ut ulterius extendi, ulteriusque nequeat, sic etiam hominum series nunquam adeo magna potest concipi, quin ulterius*

rius possit, &, in hac Atheorum hypothesi, debeat exporrigi. Verum observandum 1o. *sic dari* praeterita, *quae* nunquam *fuerunt* praesentia; *quod a ratione alienissimum: praesens dici potest, quod non est aut nunquam erit praeteritum* (*uti hoc in duratione divina, eaque sola, locum invenit*) *sed* nihil est praeteritum, quin praesens aliquando fuerit; 2o. *fingamus, lineam* A———B——C AB *in* B *terminari, sed versus* A *excurrere in infinitum, ita ut, a* B *versus* A *progrediendo, nunquam pervenire liceat, non ad* A, *sed potius ad lineae initium: fingamus, lineam illam a* B *augeri usque ad* C; *vel potius aliam lineam dari, quae in sua extremitate* C *longitudine* BC *prominet ultra extremitatem* B: *ponamus, lineam* CA *ita imponi lineae* BA, (*quarum utraque versus* A *ex hypothesi est infinita*) *ut punctum* C *cadat super* B; *& sequetur, lineam* CA *versus* A *prominere ultra lineam* BA *longitudine* CB, *quod absurdissimum dictu. Ponamus jam cum Cl.* Reimaro (*l. c.* 1*ste Verhand.* §. 8. *qui hisce ratiociniis ansam praebuit*), *lineae* AB *homines imponi, qui hactenus in una aliqua familia vel stirpe in continua serie extiterunt, absque eo, quod ad istius stemmatis principium pervenire liceat; ponamus, lineae* BC *imponendos esse homines, qui ab hoc tempore per aliquot secula sunt extituri in eadem stirpe continuata; ponamus, lineae alicui, quae lineae* AB *est aequalis, alterius cujuscunque familiae homines in continua serie sibi mutuo succedentes esse impositos, eamque familiam hoc ipso tempore extingui; ponamus denique, lineam posteriorem cum hominibus insistentibus imponi lineae priori* CA, *ita ut ultimo genitus in stirpe extincta e regione consistat illius, qui ultimo genitus est in familia adhuc florente & ulterius continuanda, quae insistit lineae* CA; *hisce positis, membra familiae extinctae consistent omnia e regione totidem membrorum in altera Familia, sed in hac supersunt omnia membra, insistentia lineae, quae aequalis est lineae* BC; *atqui sic familia extincta habuit initium in* A, *ultra quod altera illa familia exporrigitur.*

(215) *Si inde ab innumeris seculis* unicam *contigisset universale Diluvium, sine singulari providentia quidam conservari ab interitu non potuerunt, qui generis humani nunc existentis sunt Auctores; si autem eo modo propagatum fuerit illud genus, quo hisce temporibus, & a pluribus seculis, sensim augeri debuit hominum numerus; ita ut post* infinitorum *seculorum decursum nimium repleta esse debuisset Telluris superficies; aliud proinde & iterum aliud fingi debet Diluvium vel universale, vel saltem tale, quod superfluos omnes absorberet; & sic innumeris figmentis servare debent Athei fabulam petulanter & absque ullo fundamento confictam: cur enim per istiusmodi clades non omnes*

 perie-

vitatem promovendam adparatum ſpectes, totidem naturae miracula ſtupenda prorſus, & vim captumque hominis ſuperantia, deprehendimus. Qui haec omnia ex mechanicis principiis explicare voluerunt, experiundo didicerunt, magno ſe molimine nihil egiſſe. Hinc alii vim plaſticam, aut ſimile quid in ſubſidium vocarunt, etſi ipſi, quid vis illa plaſtica ſit, dicere non potuerint. Unde vero demum vis iſta plaſtica originem trahit? Ex ſola ſane materia derivari nequit. (219) Nihil ergo aliud profecto ſupereſt, quam ut fateamur, Deum ipſum haec ita ſapientiſſime conſtituiſſe, ut ex ipſa iſta origine noſtra, quem vitae noſtrae omniumque bonorum, quae in nos collata ſunt, auctorem agnoſcere deberemus ac venerari, condiſceremus. Sed plura hac de re addere non licet.

(213) *Ob defectum obſervationum ſatis diu continuatarum definiri accurate non poteſt, an & qua in proportione creſcat hominum numerus, cum dentur loca, ubi minui videtur. Si numerus naſcentium ſit ad morientium numerum, uti* 1,12 *ad* 1, *quemadmodum aſſumitur ab acutiſſimo* Brakenridge *Phil. Tranſ. Vol.* 49. *pag.* 282. *ſique cum eodem ſupponatur, numerum quotannis morientium eſſe ad numerum omnium hominum, uti* 1 *ad* 40, *intra* 232 *fere annos duplicaretur hominum numerus, uti calculo Logarithmico ex formula Algebraica non admodum complicatâ poteſt inveniri. Verum in Hollandia, ubi accuratiſſimae inſtitutae fuerunt obſervationes, hi numeri adſumi nullo modo poſſunt. Conf. ea, quae notavi ſupra ad Cap. V.* §. 5. *n.* 183. *&* Hume *Wysgeerige en Staatkundige Proeven pag.* 259—385.

(214) *Si humanum genus ſemper fuit, nunquam, quousque etiam retrocedamus, ad ſtirpis originem, ſeu ad Generis iſtius Auctorem & Caput adſcendere licebit. Videamus jam, quaenam exinde ſequantur abſurda: Numero infiniti igitur homines praeterierunt; ſed omne, quod* praeteriit, *antea fuit* praeſens; *haec ſunt* relata *&* correlata, (*uti veteres Dialectici mentem ſuam exprimere ſolebant*); *adeoque in ſerie infinita hominum nullus eſt, qui non aliquando* praeſens *fuit; &, cum* ſucceſſive *exſtiterint, non vero ſimul,* unus ex iis fuit aliquando praeſens, cum omnes reliqui eſſent futuri; *& ſic totius ſeriei aliquis eſt primus, qui ideo ſeriei initium conſtituit; eodem fere modo, quo contra progreſſum cauſarum infinitum ſupra ad* §. *III. hujus Cap. diſputavi. Neque excipere licet, lineam concipi poſſe, Mathematicorum more, in infinitum excurrentem, licet ab una parte determinatam; huic imponi poſſe homines in continua ſerie, cujus igitur ſeriei nullus reperiri poſſet primus terminus. Uti proinde linea illa nunquam extendi poteſt eousque, ut ulterius extendi, ulteriusque nequeat, ſic etiam hominum ſeries nunquam adeo magna poteſt concipi, quin ulterius*

rius possit, &, in hac Atheorum hypothesi, debeat exporrigi. Verum observandum 1o. *sic dari* praeterita, *quae* nunquam *fuerunt* praesentia; *quod a ratione alienissimum: praesens dici potest, quod non est aut nunquam erit praeteritum (uti hoc in duratione divina, eâque sola, locum invenit) sed* nihil est praeteritum, quin praesens aliquando fuerit; 2o. *fingamus, lineam* A——B——C AB *in* B *terminari, sed versus* A *excurrere in infinitum, ita ut, a* B *versus* A *progrediendo, nunquam pervenire liceat, non ad* A, *sed potius ad lineae initium: fingamus, lineam illam a* B *augeri usque ad* C; *vel potius aliam lineam dari, quae in sua extremitate* C *longitudine* BC *prominet ultra extremitatem* B: *ponamus, lineam* CA *ita imponi lineae* BA, (*quarum utraque versus* A *ex hypothesi est infinita*) *ut punctum* C *cadat super* B; *& sequetur, lineam* CA *versus* A *prominere ultra lineam* BA *longitudine* CB, *quod absurdissimum dictu. Ponamus jam cum Cl.* Reimaro (*l. c.* 1*ste Verhand.* §. 8. *qui hisce ratiociniis ansam praebuit*), *lineae* AB *homines imponi, qui hactenus in una aliqua familia vel stirpe in continua serie extiterunt, absque eo, quod ad istius stemmatis principium pervenire liceat; ponamus, lineae* BC *imponendos esse homines, qui ab hoc tempore per aliquot secula sunt extituri in eadem stirpe continuata; ponamus, lineae alicui, quae lineae* AB *est aequalis, alterius cujuscunque familiae homines in continua serie sibi mutuo succedentes esse impositos, eamque familiam hoc ipso tempore extingui; ponamus denique, lineam posteriorem cum hominibus insistentibus imponi lineae priori* CA, *ita ut ultimo genitus in stirpe extincta e regione consistat illius, qui ultimo genitus est in familia adhuc florente & ulterius continuandâ, quae insistit lineae* CA; *hisce positis, membra familiae extinctae consistent omnia e regione totidem membrorum in altera Familia, sed in hac supersunt omnia membra, insistentia lineae, quae aequalis est lineae* BC; *atqui sic familia extincta habuit initium in* A, *ultra quod altera illa familia exporrigitur.*

(215) *Si inde ab innumeris seculis* unicam *contigisset universale Diluvium, sine singulari providentiâ quidam conservari ab interitu non potuerunt, qui generis humani nunc existentis sunt Auctores; si autem eo modo propagatum fuerit illud genus, quo hisce temporibus, & a pluribus seculis, sensim augeri debuit hominum numerus; ita ut post* infinitorum *seculorum decursum nimium repleta esse debuisset Telluris superficies; aliud proinde & iterum aliud fingi debet Diluvium vel universale, vel saltem tale, quod superfluos omnes absorberet; & sic innumeris figmentis servare debent Athei fabulam petulanter & absque ullo fundamento confictam: cur enim per istiusmodi clades non omnes*

perierunt? cur non plures fuerunt servati, ita ut intra pauca secula tota Telluris superficies nimio incolarum numero esset onerata? cur tunc demum nova acciderunt diluvia, pestes, exustiones, cum hominum numerus nimium excrescere comperiebatur?

(216) *Conf. infra Cap. VI.* §. 3.

(217) *Efficacius nervosiusque retundi non potest insulsum hocce figmentum, quam verbis* Bentleyi *latine versis a Cl.* Jablonski *de stult. Atheismi pag.* 144. Pace horum Astrologorum liceat mihi requirere, semel rem tantam, quae originem dedit humano generi, Astra gesserint; an frequentius idem praestiterint & praestare porro etiam queant? si frequentius, eccur regulam isthanc non tradidit *Ptolemaeus & Albumasar?* si semel tantum, idque initio, quî quaeso factum est, ut ea res nobis innotesceret? quis tum in orbe spectator aderat, observaturus horum Protoplastorum nativitatem, & thema coeli ad illud temporis momentum consignaturus, cum ipsi primum e paludibus prorepcrent? Profecto isti Terrae filii ultra aetatem sapiebant, si ipsismet perspectum fuit, se Astris Genitoribus factos esse, *&c.*

(218) *Fabula haecce de* aequivoca *generatione hominum, animalium, insectorum toties explosa est a veris Philosophis, non tantum recentioribus, verum etiam vetustis, ut hisce diu immorari sit supervacuum. Solus* Lactantius *de Orig. Erroris Lib.* 2. *Cap. XI. rem conficere potest:* Videamus, *ait*, an id ipsum quod dictitant, fieri potuerit, ut homines nascerentur e terra. Si consideret aliquis, quamdiu & quibus modis educetur infans; intelliget profecto, non potuisse terrigenas illos pueros sine ullo educatore nutriri. Fuit enim necesse, quam pluribus mensibus jacere projectos, donec confirmatis nervis movere se, locumque mutare possent; quod vix intra unius anni spatium fieri potest. Jam, vide, utrumne infans eodem modo, & eodem loco, quo est effusus, jacere per multos menses valuerit; annon humore illo terrae, quod alimenti gratia ministrabat, & sui corporis purgamentis in unum mistis obrutus, corruptusque moreretur? *Neque explicare potuerunt Athei ridiculum hocce commentum, quin undique monstrarent stupidam suam ignorantiam: unde quaeso nata fuit illa* vis plastica *vel* generans? *an materiae, an limo terrestri, an partibus Telluris solidis fuit essentialis? an partes corpus humanum constituentes non sunt diversae gravitatis specificae? an non partes graviores inferiorem locum occupare debuerunt, si eaedem olim, quae nunc vigent, obtinuerint leges naturae? an variae virtutes formatrices conspirarunt ad varias corporis partes*

eodem

eodem tempore fabricandas? Verum otia fecerunt nobis Reimarus *l. c. II^de Verhand.* Bentley *de stult. Ath. pag.* 156. *seqq. in versione Cl.* Jablonski *vel pag.* 99. *seqq. in mea versione Belgica.* Stillingfleet *Orig. Sacr. Contin. pag.* 40. *seqq. &, qui ab Auctore merito laudatur.* Parkerus *l. c. non tantum Sect. I, verum quinque sectionibus prioribus.* Cudworth. *Syst. Intell. pag.* 832. *seqq.* Werenfels *Opusc. Tom.* 2. *pag.* 279. *seqq.*

(219) *Dantur, qui* virtutem *seu* vim Plasticam *admittunt, existentiam Dei plenissime agnoscentes, eandemque acerrime propugnantes, proinde cum insulsis hisce apud seculum prius Atheis non confundendi; inter quos principem locum occupat* Cudworth *Syst. Intell. Tom. I. pag.* 148-196. *ubi eruditissima occurrit Dissertatio de* Natura Genitrice, *quae scil. est* ens, immateriale, vivens, facultate instructa, qua agit in corpora, format plantas, foetus animalium & hominum, motum in hoc universo producit: *neque ab hac sententia alienus fuit* Henr. Morus *passim in suis operibus, praesertim in Antidoto contra Ath. Lib.* 2. *ut alios taceam. Existimat praesertim* Cudworth *l. c.* §. 4. *seqq. divina majestate non esse dignum, Deum ipsum omnia fabricare, nihil interveniente, ita ut natura nihil faciat; ideoque in hoc universo genitrix esse debet natura, qua, tanquam instrumento utatur, sed tamen ei superior quaedam providentia semper debet adjungi, quae perperam ab ea admissa saepe numero corrigat:* neque *ex* Cudworthi *sententia,* haec natura eligendi, rectumque a pravo secernendi facultatem habet, *& tandem adjungit:* ita humana melius comprehendit ratio, quemadmodum fieri possit, ut a Deo regantur, & efficiantur omnia, nec tamen is ulla cura tangatur, aut ulla sollicitudine, aut molestia destineatur. *Accuratius hujus opinionis examen locus hicce non sinit; in genere tantum notabo* 1°. *divina majestate non esse dignam sententiam, quae, aliquam sollicitudinem aut molestiam Deo creari, statuit ex cura hujus universi, ex directione omnium motuum & mutationum, in eo contingentium; infinita Dei sapientia & nullis limitibus circumscripta potentia omnem molestiam, sollicitudinem, defatigationem exulare faciunt; omnia ad efficacissimum divinae voluntatis nutum peraguntur.* 2°. *Deum scopum suum non attingere, si Naturam illam genitricem seu* plasticam *creaverit, ut a molestia & sollicitudine foret immunis; cum enim natura illa continuo perperam quaedam admittat, a providentia superiori corrigenda; cum eligendi, rectumque a pravo secernendi facultatem non habeat, magis sollicitus esse deberet Deus, quam si omnia solus perageret. Rectissime* Moshemius *ad* Cudw. *pag.* 156. habet certe, quod semper agat dominus ille, cui providendum est continuo, ne servi, quibus utitur, imperiti & ratione vacui peccent, qui omnibus ministrorum actionibus

nibus interesse, perpetuis eorum delictis perpetuam opponere medicinam debet. 3°. *Sagacissimum* Cudworthum *sibi non satis constare in describenda Natura hacce genitrice: quippe* §. 10. *adfirmat, quod* nunquam capiat consilium aut deliberet; quod nihil suscipiat, cujus deinceps poenitere possit, nunquam ex posteriori meditatione superiores labores emendet & corrigat, *&c. quae an conciliari possint cum iis, quae modo ipsissimis verbis viri egregii proposui, vehementer dubito. Attamen non nego propterea, dari in homine, imo in quocunque animali* principium *aliquod* vitale, *quod a mechanismo corporis est diversum, quod jam ipsis staminibus corporis inest, quod forte in formatione membrorum suas habet partes, quod ab anima rationali est diversum, quod tantum per conjecturam quandam cognoscimus, quod proinde caute satis memorari non potest a sincero Philosopho, qui non nisi comperta loqui didicit; Conf. ea, quae dicemus ad Cap. VI. §. 5. n. 256.*

§. IX.

Ultima denique classis historica argumenta continet, quibus itidem Numinis existentia comprobari potest. Ex monumentis enim historicorum certissimis, nullumque dubium admittentibus, & regnorum rerumque publicarum, ipsarum itidem gentium atque populorum, artium praeterea & scientiarum, & eorum omnium, quae ad vitae hujus usum aut commoda inventa sunt & excogitata, origines atque incrementa constant; ita quidem, ut, quae Ethnici scriptores de hisce omnibus litteris consignata reliquerunt, si summam rei spectes, prorsus consentiant iis, quae memoriae prodidit divinus scriptor Moses. Hinc vero colligitur, non tantum initium habuisse huncce mundum, nec ullo modo aeternum dici posse, sed ea quoque ratione habuisse initium, qua Moses nos hoc condocuit, hoc est, a Deo esse creatum. *

* Regna omnia, ut ab iis incipiamus, atque imperia, resque publicas, tum, quae hodie sunt, tum, quae olim floruerunt, initium aliquod habere, omnes uno ore fatentur. Nec quenquam Atheorum eo usque impudentiae progressum existimo, ut hoc negare ausit. Conveniunt

&

& in eo ſcriptores veteres, fuiſſe tempus aliquod, quod nulla adhuc regna, nullaeque fuerint respublicae; in eo ſaltem in diverſa abeuntes, quod nonnulli ſtatum iſtum humani generis, cum nondum imperia eſſent, ut longe feliciſſimum nobis ſiſtant, ut OVIDIUS, *metamorph. libr. I.* alii, ut longe miſerrimum corruptiſſimumque, ut SALLUSTIUS, de *bello Catilin. cap. VI.* Quod unde ortum ſit, facile conjicere licet, cum haud dubio iſtis ſcriptoribus aliquid ex antiqua traditione, de ſtatu integritatis, & lapſu humani generis, innotuerit. Quare & alii utrumque conjungunt, & ſtatum hominum initio beatum, mox corruptum fuiſſe perhibent; unde neceſſitas iis impoſita fuerit, condendi res publicas. Ita C. CORNELIUS TACITUS: *Vetuſtiſſimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine poena & coërcitionibus agebant: neque praemiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquam exui aequalitas & pro modeſtia ac pudore ambitio & vis incedebat, provenere dominationes, multosque apud populos aeternum manſere; annal. libr. III. cap. XXVI.* (220) Ex hiſce itaque veterum monumentis, hac in re conſentientibus, facile colligas, homines primum per familias diſperſos vixiſſe; tum in ſocietates minores coaluiſſe, ex quibus inter ſe junctis regna majora atque imperia extiterint. Quod ut documento evidentiſſimo eſt, genus humanum ſenſim incrementa ſumſiſſe, ita accurate cum iis, quae Scriptura ſacra hac de re commemorat, convenit. (221) Inter majora iſta amplioraque imperia nonnulli, Aſſyriacum primum fuiſſe, autumant. Qua de re JUSTINUM audire juvat: *Fines imperii tueri magis, quam proferre, mos erat; intra ſuam cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus rex Aſſyriorum veterem & quaſi avitum gentium morem nova imperii cupiditate mutavit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc reſiſtendum populos, terminos usque Libyae, perdomuit; hiſtor. lib. I. cap. I.* Exploſa equidem hodie ſatis eſt iſta CTESIAE de antiquitate & amplitudine regni Aſſyriaci fabula, cui JUSTINI narratio innititur, nec ſine ratione, ut a me demonſtratum, in *hiſtor. Eccleſ. vet. teſtam.* ad *period. II. ſect. II. X.* §. *XVIII.* Interim ſi vel maxime admitteretur, ſatis tamen vel inde conſtaret, imperia orbis majora ſenſim exorta, nec ullum, quod Diluvii tempus excedat, adduci poſſe; quod nobis quidem ſufficit. (222) Ut vero regnorum & rerumpublicarum non major eſt antiquitas, quam hiſtoria Moſaica nos credere jubet, ita nec *legum*, quibus ſalus & conſervatio civitatum innititur. Fuiſſe tempus, quo homines ſine legibus vixerunt, ipſi Scriptores ethnici fatentur. *Populus nullis legibus tenebatur*, inquit JUSTINUS, *l. c. arbitria principum pro legibus erant.* Hinc nonnullis obſervatum, HOMERUM nuſpiam uti legum nomine, quod nullis tum legibus Graeciae populi uterentur. Simplices admodum praeterea atque rudes erant an-

 tiquo-

tiquorum populorum leges, successu temporis perficiendae magis & expoliendae. Unde & recentioris jurisprudentiae longe alia facies, quam priscae istius, cum leges in pueritia velut aut adolescentia constitutae essent. Testem hujus rei iterum laudare licet TACITUM: *Quidam statim, aut postquam regum pertaesum, leges maluerunt. Hae primo rudibus hominum animis simplices erant, maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos; Spartanorum, quas Lycurgus: ac mox Atheniensibus quaesitiores jam & plures Solon perscripsit. Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat; dein Numa religionibus & divino jure populum devinxit, repertaque quaedam a Tullo & Anco: sed praecipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam reges obtemperarent; annal. libr.* III. *cap.* XXVI. Postquam distincta etiam rerum dominia introducta sunt, homines commerciis carere non potuerunt. Ea vero antiquissimis temporibus sola permutatione peracta constat. Quanta vero deinceps ad nostram usque aetatem incrementa sumserint, neminem fugit. Ponderum atque mensurarum equidem jam in scriptis Mosaicis mentio injicitur. Ante tempora, de quibus Moses loquitur, ea non fuisse, vel inde constat, quod deinceps apud alias demum gentes sint introducta, unde de illorum inventore veteres fuere solliciti, aliis quidem Phidoni Archivo, aliis Palamedi hanc laudem tribuentibus, ut apud PLINIUM, *histor. natur. lib. VII. cap. LVI. pag. m.* 478. videre licet. De pecuniae origine, seu primo inventore, nihil certi constare, vel ex POLYDORO VIRGILIO condiscimus, de *inventorib. rerum libr. II. cap. XX.* In eo tamen omnes consentiunt, fuisse tempus, quo ejus usu nondum introductus fuit. (223) De medicae artis necessitate tot morborum genera nos dubitare non sinunt. Fuisse autem tempus, quo nondum inventa esset, neminem fugit, quemadmodum &, quae ejus origo & incrementa fuerint, satis notum est. Certe, cum Babylonii, quod HERODOTUS refert, *lib. I. cap. CXCVII.* aegrotos in forum producerent, ut a praetereuntibus discerent, num simili morbo laborassent, & quonam ad eum pellendum usi essent remedio, exiguam admodum medicae artis notitiam fuisse, nemo negaverit. Cumque de Aegyptiis idem referat STRABO, *libr.* III. & XVI. gentes antiquissimas artis maxime necessariae usu destitutas videmus; quod nulla ratione fieri potuisset, si homines semper extitissent. (224) Jam quid de Philosophia dicam? Cum eadem semper fuerint Graecorum ingenia, idem etiam regionis, quam incoluerunt, situs, ut cum aliis gentibus commercia iis intercedere potuerint, ante septem tamen, quos vocant, sapientum aetatem, Philosophiae nulla apud eos inveniuntur vestigia. Ab Olympiade autem XXXV, qua natus est Thales Milesius, usque ad Olympiadem CXXVII, qua obiit Epicurus, adeoque CCCLXX annorum spatio, Philosophiae studium tanta incrementa sumsit, ut a fastigio prope abesset. Hoc vero cur citius factum non sit, si Graecia semper in-

incolas habuit, dici profecto nequit. Et idem quoque de aliis gentibus, apud quas Philoſophiae ſtudium quodammodo floruit, dicendum. Origo ejus & incrementum aperte repugnat, quo minus ſemper id ita ſe habuiſſe, credere queamus. (225) De Matheſi ſingulisque ejus partibus itidem longe eſt notiſſimum, unam poſt aliam inventam, magisque excultam eſſe, ut pluribus GERARDUS JOANNES VOSSIUS exponit de *ſcientiis Mathematicis*. (226) Sed hiſtoriarum quoque ſtudium, cui veteres deditos fuiſſe conſtat, & ad quod natura velut ducimur, idem evincit. (227) Varronem, antiquitatis inter Romanos peritiſſimum virum, omne tempus, quod a prima rerum origine ad ipſius aetatem usque effluxiſſet, in ἄδηλον, μυθικὸν & ἱστορικὸν diſtribuiſſe, novimus. Primum ſcilicet intervallum ab hominum principio ad cataclysmum priorem pertingere, docebat, idque propter ignorantiam vocari ἄδηλον; ſecundum, a cataclysmo priori ad Olympiadem primam, quod, quia in eo multa fabuloſa referantur, μυθικὸν nominetur; tertium denique, a prima Olympiade ad ipſius aetatem, quod ἱστορικὸν dicatur, quia res in eo geſtae veris hiſtoriis contineantur, ut auctor eſt CENSORINUS, de *die natali cap. XXI. pag. m.* 154. Immo cum eo tempore, quo natus eſt mundi Servator, quove Apoſtoli vixerunt, plurimi jam inter Graecos atque Latinos eſſent hiſtorici, quibus nec ingenium, nec induſtria, nec monumenta varia deeſſent, quibus in tempora a ſe remotiſſima penetrare poſſent, nemo tamen illorum quidquam memoriae prodidit, quod Moſis de rerum omnium origine, deque humani generis fatis, & artium inventione & incrementis, narrationi, opponi queat. Nec ullum eſt dubium, cum deinceps controverſiae inter gentilium Philoſophos, & Eccleſiae Chriſtianae doctores, magnis animorum motibus agitarentur, quin illi omni ſtudio monumenta veterum excuſſerint, ex quibus, quae Moſes de hominum & mundi origine, Philoſophorum ſcitis e diametro oppoſita, ſcripſerat, refellere poſſent; nec tamen quidquam eos aut inveniſſe, aut protuliſſe, novimus. Legenda, quae hanc in rem diſſerit IS. JAQUELOT, de *l'Exiſtence de Dieu. Diſſert.* I. *cap.* III. *pag.* 24. *ſeqq.* (228) Nec populorum hic praetermittendae origines. Nonnulli namque, ſe ἀυτόχθονας, hoc eſt, eodem in loco, quem incolebant, natos, ferebant, uti Athenienſes, de quibus JUSTINUS: *quippe non advenae, neque paſſim collecta populi colluvies originem urbi dedit; ſed eodem innati ſolo, quod incolunt; & quae illis ſedes eadem origo eſt; hiſtor. lib.* II. *cap.* VI. alii autem, ſe aliorum populorum colonias eſſe, profitebantur, ſuaeque adeo ſibi conſcii erant originis. Illos aliquando antiquitate his praeſtitiſſe, negandum non eſt; hoc ipſo tamen, quod ſe aborigines vel ἀυτόχθονας eſſe credebant; ſuam ſaltem prodebant ignorantiam, ſeque neſcire, indicabant, unde originem ducerent. Nec enim hoc ipſo negabant, ſe originem habere, aut gentem ſuam ſemper fuiſſe, affirmabant; multo minus tan-

tam ſibi vindicabant, aut vindicare poterant antiquitatem, quae originem humani generis, aut ejus poſt Diluvium reſtaurationem anteverteret. (229) Scio ſane, Aegyptios rerum ſuarum origines longe ſupra Diluvium, immo ipſa mundi initia, ſecundum calculum Moſaicum ſpectata, extendiſſe. Eoque Dynaſtiae illae Aegyptiorum, quae tantum negotii eruditis Viris faceſſivere, pertinent. Sed haec omnia inter putidiſſima ſtolidiſſimaque gentis vaniſſimae commenta referenda eſſe, ſolide hodie Viri docti demonſtrarunt. Certe Aegyptios rerum ſuarum paulo antiquiorum certam hiſtoriam litterarum monumentis conſignatam non habuiſſe, luculenter probat HERMANNUS CONRINGIUS, in *adverſariis Chronolog. cap.* XVI. *pag.* 188. (230) Idem de immenſis Chaldaeorum ſupputationibus cenſendum. Auctor eſt CICERO, *Babylonios jactare, ſe CCCCLXXX. millia annorum habere monumentis* (litterarum) *comprehenſa, & illa poſuiſſe in periclitandis experiundisque pueris, quicunque eſſent nati:* ſed ſimul addit, *eos mentiri, recteque condemnari aut ſtultitiae, aut vanitatis, aut impudentiae, libr.* I. *de divinat. cap.* XIX. *& libr.* II. *cap.* XLVI. Dictum etiam de hiſce omnibus, in *hiſtor. Eccleſ. vet. teſtam. ad period.* I. *ſect.* I. §. X. *pag.* 84. *ſeqq.* (231) ubi & falſo jactitatam Chinenſium antiquitatem exploſi. (232) De ipſorum autem populorum non adeo antiqua origine, artium quoque atque ſcientiarum origines atque incrementa teſtantur; de quibus antea quaedam diximus; quamvis plurima brevitatis ſtudio praetermiſerim, de quibus conſulendus PLINIUS, *hiſtor. natur. lib.* VII. *cap.* LVI. *pag.* 475. *ſeqq.* TATIANUS quoque dum in eo eſt, ut oſtendat, Graecos plurima a barbaris accepiſſe, varios rerum artiumque inventores commemorat, *orat. ad Graecos p.* 3. *ſeqq.* Athenienſium ſpeciatim inventa recenſet JUSTINUS, *hiſtor. lib.* II. *cap.* VI. & CICERO, *pro Flacco cap.* XXXVI. De reliquis legendus POLYDORUS VIRGILIUS, de *inventoribus rerum.* Haec vero omnia, quae de gentium, populorum, artium atque ſcientiarum origine & inventione diximus, validiſſimum contra mundi aeternitatem praebere argumentum, ex ipſis jam Ethnicis agnovit MACROBIUS. *Nam quis facile*, inquit, *mundum ſemper fuiſſe, conſentiat, cum & ipſa hiſtoriarum fides, multarum rerum cultum emendationemque, vel ipſam inventionem recentem eſſe, fateatur? Cumque rudes primum homines, & incuria ſylveſtri non multum a ferarum aſperitate diſſimiles meminerit, vel fabuletur antiquitas; tradatque, nec hunc eis, quo nunc utimur, victum fuiſſe, ſed glande prius & baccis alitos, ſero ſperaſſe de ſulcis alimoniam? Cumque ita exordium rerum, & ipſius humanae nationis opinemur, ut aurea primum ſecula fuiſſe credamus, & inde natura per metalla viliora degenerans, ferro ſecula poſtrema foedaverit? Ac ne totum videamur de fabulis mutuari, quis non hinc exiſtimet, mundum quandoque coepiſſe, nec longam retro ejus aetatem, cum abhinc ultra duo retro annorum millia, de excellenti rerum geſtarum memoria, nec*

Graeca

Graeca quidem extet historia? Nam supra Ninum, a quo Semiramis secundum quosdam creditur procreata, nihil praeclarum in libros relatum est. Si enim ab initio, immo ante initium fuit mundus, ut Philosophi volunt, cur per innumerabilium seriem seculorum non fuerat cultus, quo nunc utimur, inventus? non litterarum usus, quo sola memoriae fulcitur aeternitas? Cur denique multarum rerum experientia ad aliquas gentes recenti aetate pervenit? Ut ecce Galli vitem, vel cultum oleae, Roma jam adolescente, didicerunt. Aliae vero gentes adhuc multa nesciunt, quae nobis inventa placuerunt. Haec omnia videntur aeternitati rerum repugnare, dum opinari nos faciunt, certo mundi principio paulatim singula quaeque coepisse; in somnium Scip. lib. II. cap. X. pag. m. 150. (133) Respondere equidem ad hasce rationes MACROBIUS, & ipse aeternitatis mundi assertor, annititur. (234) Summa eo redit, *res humanas ex parte maxima saepe occidere, manente mundo, & rursus oriri, vel eluvione vicissim, vel exustione redeunte, loc. cit. pag.* 151. Quod rationibus quibusdam, sed oppido ridiculus, probare annititur. Respicit namque haud dubio Stoicorum, & aliorum quorundam, de magnis mundi vicissitudinibus, quas per eluviones & exustiones, statis temporibus ab omni aeternitate subiisset, & porro subiturus esset, sententiam, quam & CICERO hisce verbis exprimit: *Propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus, in somm. Scipion. pag. m.* 1409. Quamquam MACROBIUS hasce eluviones & exustiones, pro Platonis sensu, ut nonnulli observant, ita accipiat, ut per eas totum genus hominum perire neget. *Nunquam tamen*, inquit, *sive exustio, omnes terras, aut omne hominum genus vel omnino opperit, vel penitus exurit.* Legenda, quae de magnis illis mundi vicissitudinibus ex veterum, Stoicorum maxime, sententia differit JUSTUS LIPSIUS, *Physiol. Stoicor. lib.* II. *dissertat.* XXI. *pag.* 105. *seqq.* cumprimis autem B. JAC. THOMASIUS, de *exust. mundi Stoica, thes.* XI. *pag.* 12. *seqq.* Cum vero aeterna illa mundorum per istas vicissitudines successio omni prorsus fundamento destituatur, inter somnia veterum Philosophorum & impia deliramenta jure meritoque refertur. Interim eluviones quasdam particulares, similesque casus, contingere posse, non abnuo: per eos autem ut vix unquam una quaedam provincia ita devastata fuit, ut omnes ejus incolae perierint, ita multo minus hac ratione fieri potest, ut totius, quod antea extitit, humani generis, rerumque gestarum omnium, omniumque artium & scientiarum ita oblitteretur memoria, ut haec omnia post ejusmodi eluvionem aut casum similem, enata demum, primamque accepisse originem, censeri queant. Integrae cujusdam provinciae devastatio intuitu totius orbis non aliter consideranda, quam domus cujusdam aut urbis devastatio intuitu provinciae. Quis vero existimaverit, per

domus aut urbis cujusdam conflagrationem, eam toti provinciae induci vastitatem posse, ut omnium simul artium, scientiarum, rerumque antea ibi gestarum memoria deleatur? Per istud temporis intervallum, quo orbem fuisse ex Scriptura sacra novimus, urbes varias, provincias, atque regna, variis casibus funestis & calamitatibus involuta fuisse novimus. At ea simul ratione omnium eorum, quae ante calamitatem istam in istis regnis aut provinciis fuerunt, simul periisse memoriam, nullo exemplo condoceri potest. Nihil ergo hoc obtinebunt Athei, nisi Diluvium aliquod universale statuant. At quomodo hoc statuent, ut non sua ipsimet caedant vineta? Primo namque certum est, ejusmodi Diluvium universale, quo totus orbis noster submergatur, sine miraculo contingere non posse; quod res ipsa docet, & luculenter demonstrat RICHARDUS BENTLEJUS, in *stultitia & irrationabilitate Atheismi pag.* 137. (235) Deinde, si contigit, aut omnes simul homines perierunt, aut quidam servati sunt. Prius si dicat, unde ergo post Diluvium homines? Posterius, quo pacto quaeso servati sunt? Quicquid dicant, in quamcunque se vertant partem Athei, nihil dicent, quod ineptum non sit; nisi iterum ea assumant, quae Scriptura de arca Noachi commemorat. At haec ita comparata sunt, ut, nisi mirabilis & manifestissima Numinis providentia accessisset, nunquam hac ratione servatus fuisset, aut servari potuisset Noachus. Accedit, quod aeternitatis mundi assertoribus plura ejusmodi Diluvia admittenda, vel potius fingenda, essent; quod quam absonum sit, jam ad §. *praeced.* ostendimus. Si dicas, revera tamen per belli calamitates aliasque causas, artes quasdam deperditas esse; quasdam enim veteres habuisse, quae nobis notae non sint, ut vel ex GUIDONIS PANCIROLLI libro de *rebus deperditis* pateat; id quidem de artibus quibusdam superfluis, & ad vitam minus necessariis, facile concesserim; eas autem, quibus in vita carere non possumus, amitti ea ratione, aut prorsus obscurari posse, nemo nisi rerum omnium ignarus, crediderit; conf. & JACOBUS ABBADIE, de *veritate & certitude Christianae Religionis, sect. I. cap. IX. §. XII. seqq.* (236)

(220) *Vix ex istiusmodi profanorum Scriptorum locis aliquid certi concludere licet circa primaevam generis humani constitutionem; cum respexerint omnes ad Historiam Myticam, ad aureum Saturni seculum, quod Poetae veteres confinxerunt, non quidem pro mero lubitu, & ex fabularum amore ab omni fundamento destituto, sed ex traditione circa statum integrum, qui secundum Historiam Mosaicam ante lapsum obtinuit; caeteroquin quaeri posset, unde illam notitiam primaevae conditionis hauserit* Tacitus *post tot seculorum decursum, unde* Seneca *in Epistola* 90. *unde alii; non certe provocant ad vetustissimos Historicos,*

ricos, qui primordiis illis, vel potius ex Atheorum hypothesi aureis istis aevis fuerunt propinqui, aut qui ad publica fide factas annotationes habuerant aditum: Macrobius *in somnium Scipionis Lib.* 2. *Cap.* 10. supra Ninum, a quo Semiramis secundum quosdam creditur procreata, nihil praeclarum in libros relatum est. *Et* Plato *de Repl. Lib.* 3. *in initio agnoscit, Historicorum genus nuper demum in utilitatem hominum fuisse exortum.*

(221) *Longaeva Patriarcharum vita, eorundem fertilitas, amplitudo possessionum, multitudo servorum sive mercede conductorum, sive perpetuorum efficiebant, ut numerosissimae essent ipsorum Familiae, quibus non tantum praeerant ut Patres, verum etiam ut Rectores, qui, crescente numero eorum, qui ad Familiam pertinebant, crescentem exercebant potestatem in totam personam moralem, cujus erant caput & anima; hanc societatem domesticam placide dirigebant, dirimebant lites inter membra obortas, omnique virium contentione eandem tuebantur contra externam violentiam. Sic sensim & naturali rerum consecutione societates domesticae in societates civiles, quarum forma erat plerumque Monarchica, mutabantur: huic quippe formae maxime erat similis illa, quam habuerant antea, cum ex paucioribus constabant membris, & a Patribus familias regerentur. Attamen quaedam civitates, si ad Historiam sacram attendamus, vi aperta videntur constitutae, quod plenius exposuisse hujus non est loci.*

(222) *Non justum tenetur medium ab illis, qui de regno Assyriaco egerunt, quorum nonnulli nimium extulerunt ejus antiquitatem & amplitudinem, alii utramque nimis arctis incluserunt terminis, in alterum extremum incidentes; verum extra oleas divagaremur, si quaestionem hancce Historico-chronologicam vellemus attingere; satis superque de ea disseruerunt, ut alios taceam,* de Vignoles *Chronologie de l'Histoire sainte Tom.* 2. *pag.* 161-210. *& Auctores Historiae Universalis (de Algemeene Historie vertaald door* Westerbaan) *Part.* 4. *Lib.* 1. *Cap.* 8. *Sect.* 1. *seqq. praesertim Sect. V. Et certe sive Assyriacum imperium duraverit* 1300. *annos, sive* 1500; *sive inceperit Anno* 2357. *Period. Julianae, quod* Scaligero, *sive* 3392. *anno ejusdem, quod* Usserio *placuit, parum hoc facit in favorem eorum, qui recentem Regnorum & Rerumpublicarum ortum impugnant; cum regnum Assyriacum, si vel, illud antiquissimum esse, concederemus, initium habuerit, quod* recens *appellari meretur, si conferatur cum infinitâ seculorum serie: Si inceperit* 2357. *anno Periodi Julianae, sive* 2357. *annis ante nativitatem Christi (quippe quae, secundum Aeram vulgarem, accidit A°. P. Jul.* 4714.) *intium ejus conspirat cum* 1627. *anno mundi, secundum*

dum plurimorum computum, hoc est, cum 29. *anno ante Diluvium Noeticum; si vero fuerit ortum A. Per. Jul.* 3392, *seu* 1322. *ante Christum, ejus primordia tantum incidunt in annum* 1006. *post Diluvium.*

(223) *Si Mosis scripta simpliciter spectemus ut fide digna & ingenti antiquitate conspicua, quibus vetustiora non prostant, nulla reperiuntur Mercaturae vestigia ante tempora Jacobi Patriarchae, (licet emtionis venditionis fiat mentio* Genes. *XXIII:* 9. *seqq.); memorantur, scilicet,* Mercatores Ismaelitici *&* Midianitici *Gen. XXXVII:* 25. *seqq. Verum omnis emtio venditio facta videtur primum* permutatione, *quae innumeris obnoxia erat incommodis: & licet* Siclorum *jam fiat mentio Gen. XXIII:* 15. *ex vs.* 16. *tamen constat,* ponderando *processisse Abrahamum; ita ut pretium eminens quidem tunc temporis fuerit in usu, non vero certum est, lamellas illas orbiculares aeneas, argenteas, aureas, quales nunc adhibentur, & commerciis exercendis sunt aptissimae, fuisse usitatas: & sic verus Monetae seu pecuniae signatae inventor tenebris est involutus; nec profani Scriptores inter se consentiunt: praecipuas eorum sententias collegit* Arbuthnot *of Ancient Coins, Weights, and Measures Chap. I. conf.* van Loon *Penningkunde* 1ste *Deel.* Seldenus *de Jur. Nat. & Gent. Lib.* 2. *C.* 8. Hornius *de Civitate. L.* 2. *C.* 6. *ibidemque* Kuchenbeccher *in not.*

Commercia autem parcius & modo minus commodo antiquioribus istis temporibus exercebantur, non tantum propter minores hominum, frugalius viventium, indigentias, & intra arctiores cancellos comprehensa eorundem desideria, non tantum propter minus aptam, quam memoravi pretii eminentis constitutionem; verum etiam propter navigandi artis *imperitiam, quae adeo est necessaria, ut mirum existat, eam non citius fuisse inventam, & ad altius perfectionis culmen evectam. Nullum sane prostat indicium, homines navigiis fuisse usos ante Noachum, arcam Dei jussu exstruentem; quem Phoenices, Aegyptii aliique populi fuerunt secuti. Vid.* Snellii *Tiphys Batavus in Praefat.* Huet *Histoire du Commerce & de la Navigation des Anciens Chap.* 3. 7. *suiv.* Arbuthnoth *Dissertation concerning the navigation of the Antients, quae subjungitur ipsius Dissertationi laudatae de antiquis nummis, ponderibus & mensuris pag.* 214-281. *Sed lenta accepit incrementa navigandi scientia non tantum propter Matheseos applicatae, praesertim Astronomiae sphaericae, Mechanicae, Hydraulicae & Aërometriae imperitiam, verum etiam propter defectum pixidis nauticae, non multum ante tempora* Sancti Ludovici, *qui circa annum aerae Christianae* 1226. *ad regnum pervenit, inventae.*

(224) *Antiquissima Medicorum mentio occurrit apud Mosen* Gen. *L:* 2. *eaque scientia, praesertim Chirurgica ejus pars, Trojanorum aevo jam erat celebrata, secundum* Plinium *Hist. Nat. Lib.* 29. *Cap.* 1. *attamen ex* Homero *recte demonstravit* Warburton *Godd. zendinge van Moses, IV. Boek.* 3de *Afd. pag.* 71. *seqq. alias etiam artis salutaris partes ipsius tempora fuisse cognitas, inter quas* Pharmaceutica. *Ast, Chirurgiam apud Graecos saltem primum fuisse excultam, ex vocabulo* Ἰατρὸς, (*quod ab* Ἰὸς telum *derivatum habetur* Sexto Empir. *Adv. Math. Lib.* 1. *art.* 45. *pag.* 225. *in Ed.* Fabricii) *evadit probabile.*

(225) *Philosophia lenta adeo incrementa cepit, ut dici non possit, quo tempore fuerit inventa, id certe probabile admodum est, verae Philosophiae exordia Revelationi divinae deberi; saltem distinguere nullo modo licet, quid hominum antiquissimi, quorum mentio fit apud* Mosen *Scriptorum vetustissimum, rationis viribus debuerint, quid divinae Revelationi. Id tamen extra dubitationis aleam est constitutum, omnes Philosophiae partes apud veteres Chaldaeos, Persas, Indos, Phoenices, Aegyptios admodum fuisse imperfectas ac mutilas; ast horum uberior pertractatio pertinet ad Historiam Philosophiae.*

(226) *Forte inter Matheseos multiplices partes primum inventa fuit* Arithmetica, *quae a Phoenicibus exculta dicitur apud* Strabonem *Geogr. Lib.* 16. *pag.* 1098, *quam gloriam alii Aegyptiis tribuunt; sed pleraque, quae de Arithmetices & Geometriae inventione narrantur a Veteribus, lubrico nituntur fundamento; id saltem constat,* Thaletis & Pythagorae *temporibus* Geometriam *in sua infantia fuisse versatam, cum caeteroquin simplicissimas demonstrationes veritatum elementarium ipsi non fuissent mirati, tanquam Deorum singularia munera atque humanae peritiae insolitique acuminis monumenta. Conf. prae reliquis* Montucla *l'Histoire des Mathematiques. Tom. I. pag.* 45. *suiv.* (*ipse egregius Mathematicus, qui longe accuratius diligentiusque in omnium scientiarum Mathematicarum originem inquisivit, quam ejus Antecessores*) *nec non l'Histoire des Sciences exactes par* Saverien *pag.* 1-117.

(227) *Ipsa scribendi ars* recentis *est originis, si cum tot seculorum lapsu comparetur: de hac literarum origine omnino videndus est* Taciti *locus Annal. Lib. XI. Cap.* 14. & Plin. *Hist. Nat. Lib. VII. C.* 56. *Conf.* Morinus *de Linguis Part.* 2. *Cap.* 2. *sed praesertim* Warburton *Goddel. zendinge van Moses, IV. B.* 4de *Afd.* Stillingfleet. *Or. Sacr. L.* 1. *C.* 1. Morhof *Polyhist. P.* 1. *L.* 4. *C.* 1. & *ex professo de his disseruit* Hugo *de prima scribendi Origine. Vid. etiam* Grotius *de Verit. Relig. Christ. Lib.* 1. §. *XV.* Perizonius *Orig.*

Babyl. pag. 11. *seqq.* Vitringa *Obs. Sacr. Lib.* 1. *Cap. IV. p.* 37. *seqq.* Owenus *Theolog. L.* 4. *Cap.* 3. *Literas autem ante Mosis tempora in usu fuisse, admodum est verisimile; cum earum jam occurrat mentio, tamquam rei non penitus novae*, Exod. *XXIV:* 4. *Cap. XXVIII:* 21. *&* 36, *licet Patriarchae, locorum intervallis a se invicem remoti, non per literas, sed nuntiorum ore, sua cogitata cum se mutuo communicasse videantur.*

(228) *Plenius hoc argumentum ex recenti Historiae profanae origine prosecutus fuit* Stellingfleet *Orig. Sacr. Lib.* 1. *Cap* 1. *seqq. Antiquissimae sane Phoenicum, Aegyptiorum, Chaldaeorum, Graecorumque historiae fabulis sunt intermixtae, quae manifesto satis respiciunt Historiam Mosaicam; & populorum vetustissimi suos inveniunt Patres in Historia sacra. Sic reperitur* Aram, *a quo descenderunt veteres Syriae incolae;* Peleg, *ex quo nati videntur* Pelasgi, *veteris Graeciae populi;* Mitzraim *Aegyptiorum Parens; Conf. candidus Theologus* Pictet *la Theolog. Chretienne Tom.* 1. *pag.* 351. *suiv.*

(229) *Qui se* αὐτόχθονας, indigenas, terrigenas, aborigines *praedicabant, sic satis numerosi fuerunt; uti hoc de* Aegyptiis, Indis, Aethiopibus, Scythis, Athenienfibus, Arcadibus, Achivis, Cretenfibus, Germanis, Britannis *ex* Diodoro Siculo, Paufania, Ifocrate, Plutarcho, Tacito *&* Julio Caefare *demonstravit Cl.* Reimarus *l. c.* 1ste *Verh.* §. *XI. Hi autem omnes non eo dementiae procedebant, ut crederent, gentem suam nunquam habuisse initium; contrarium indicabant figmento illo, acsi* ex ipfa terra *fuissent procreati: volebant tantum, gentem, ad quam pertinebant, ab ejus primordio in illa, quam occupabant, regione habitasse, non vero ex aliis populis, coloniae instar, fuisse genitam, vel ex aliis regionibus fuisse translatam ad illam regionem, tamquam ad novam fortunarum sedem. Sic rem exprimit* Juftinus *Lib.* 2. *Cap.* 6. Paucis, *inquit,* Urbis (*Atheniensis*) origo repetenda eft; quia non, ut caeterae gentes, a fordidis initiis ad fumma crevere: foli enim, praeterquam incremento, etiam origine gloriantur. Quippe non advenae, neque paffim collecta populi colluvies originem urbi dedit; fed eodem innati folo, quod incolunt; & quae illis fedes, eadem origo eft. *Sic partim ex superbia haecce figmenta fuerunt nata, cum aliis gentibus originem suam debere dedecori ducerent; partim ex ignorantia; licet ipsi fabulae aliquid ex historia sacrâ circa originem Adami ex terra videatur admixtum. Conf.* Pfannerus *in Systém. Theol. Gent. Cap. VII. pag.* 187. *seqq.*

(230) *De ficta hac Aegyptiorum antiquitate prae reliquis consulendus est* Cl. Perizonius *in Orig. Aegypt. Cap. II. seqq. ubi demonstravit, maximam in Aegyptiorum Chronologia dari confusionem, imo hiatum in ea reperiri ab aliis non animadversum.*

(231) *Fuse de hisce Babyloniorum figmentis egit* Perizonius *in Orig. Babyl. Cap. 1. & 2. id unum notasse sufficiat, Callisthenem, qui Alexandrum M. in Asiaticis expeditionibus fuit secutus, in Chaldaeorum libris non antiquiores reperisse Syderum Observationes, quam quae 1903. annis supra Alexandri aetatem, atque adeo ad Nimrodum fere adscenderent: quod ipsum cum Historia Sacra satis conspirat, cum* Genes. X: 10. *regnum Babelis Nimrodo tribuatur. Attamen* Perizonius *l. c. pag. 7. probabilius existimat, illas observationes tantum adscendere ad Abrahami aevum, cum vix credibile sit, observationes Astronomicas septem annis ante Phalegi ortum, & ante ipsam dispersionem ab hominibus incultis fuisse institutas, atque annotatas in posterorum gratiam.*

(232) *Refert* du Halde *Description de la Chine* Tom. 1. *pag.* 260. *omnes Chinenses Historicos, qui alicujus sunt ponderis, agnoscere,* Fo hi *prima posuisse imperii Sinici fundamenta, omnesque, qui altius evehere voluerunt regni istius antiquitatem, fabulas narrasse nulla verisimilitudine conspicuas: imo Sinensium Chronologia conturbata est atque incerta penitus usque ad Imperatorem* Yao, *qui, si vera ferantur, regnare coepit 2357. annis ante nativitatem Christi; & hoc ipsum non admodum longe a veritate aberrare ex observatis Eclipsibus, quae bis mille annis & ultra ante aeram Christianam acciderunt, sic satis probabile redditur; cum secundum* Souciet *(Observations Mathematiques, & Astronomiques tirées des anciens livres Chinois Tom. III. pag. 150.) jam A. 2155. ante Christum in Sinensi imperio exstiterint Mathematici, qui, ratione muneris sui, ad calculum revocare debebant Solis Lunaeque deliquia.*

(233) *Simile argumentum contra aeternitatem mundi adhibuit* Lucretius *Lib. V. vs. 525. seqq. neque multum differt illud, quo usus fuit Cl.* Reimarus, *petitum ex lenta dispersione gentium atque aucto Terricolarum numero, quatenus ex historiarum monumentis liquidissime constat, veterem Hispaniam, Galliam, Britanniam, Germaniam olim longe minus cultas incolisque minus divites fuisse, quam hisce temporibus; cum undique amplissimae sylvae, atque paludes reperirentur, cumque paucissimae essent urbes, sed incolae longo locorum intervallo a se invicem remoti habitarent, uti hoc ex* Plinio, Strabone, Julio Caesare, Tacito *aliisque manifestum est.*

(234) *Non desunt inter recentiores Philosophos, de vera origine hujus Universi atque humani generis penitus persuasos, qui argumentum, ex recenti Regnorum, Rerumpublicarum, Scientiarum & Artium origine desumtum, minus validum existimant, inter quos numerare licet* Parkerum *de Deo Disp. IV. Sect.* 24. Morhof *Polyhist. Tom.* 2. *L.* 2. *P.* 1. *C. XI.* §. 6. *pag.* 321. *seqq.* & Hollman *Pneumatol. & Theol. Nat. Instit.* §. 110. *Parum roboris inest exceptionibus* Morhofii, & Hollmanni; *quippe quae conspirant cum illa, quam* Macrobius *protulit, mox ab Auctore nostro refutanda; verum speciem habet id, quod notat* Parkerus *circa argumentum ex defectu Veterum Historiarum depromtum.* Quamdiu literas nesciverunt homines, *inquit*, (quas tamen semper nescire possent) monumentis nihil mandare potuissent, neque rei cujusque memoriam diu conservare, cum quae ore duntaxat fiat, cito pereat rerum traditio. At, inquies, si sempiterni fuerint homines, quam ob rem literas non prius invenirent? Id autem de Arte Typographica, de Pixide nautica, de Tormentis bellicis cur non perconteris; cum, scilicet, sex mille annis extiterit hominum genus, ea non nisi ante pauca secula, inveniri contigit. *Et tandem concludit l. c. pag.* 414. Cum itaque sine literis diuturnae memoriae nihil tradatur, & cum prorsus fortuita fuerit earum inventio, fieri quoque potuit, quantacunque aetate fuerit mundus, novam & recentem esse rerum Historiam. *Haec autem exceptio, licet non ab omni ratione sit aliena, non tamen omne argumenti robur infringit, quippe* 1°. *quis credat, literarum usum, qui adeo utilis ac necessarius est, per tot annorum millia, ac millionum millia latere potuisse, nisi coaetaneos nostros, (quales quam proxime haberi possunt in Atheorum hypothesi omnes illi, qui ante sex millia annorum floruerunt, quale temporis spatium ne vix quidem est pars infinitesima aeternae durationis, quam humano generi adscribunt) longe vel sagaciores, vel feliciores habeant vetustissimis mortalibus.* 2°. *Sine ullo fundamento adfirmat* Parkerus, *literas casu fuisse inventas. Conf. n.* 227. 3°. *non mirum est, alias artes atque scientias citius, alias serius inventas fuisse, idque in periodo sex tantum mille annorum, si non absolute sint necessariae ad vitam sustentandam, atque ad promovenda praecipua ejus commoda: ast literarum usus magis est necessarius quam Ars Typographica, quam usus Tormentorum bellicorum, quam Pixis magnetica, licet ex iis egregiam humanum genus percipiat utilitatem.* 4°. *Argumentum non petitur ex solo Historiarum, ex solo literarum defectu, vel ex novitate hujus vel illius artis, sed* nullae *artes excultae fuerunt apud vetustissimos mortales, saltem paucissimae dantur, quarum recentem originem & inventionem demonstrare non licet, ita ut ante quatuor annorum millia in sua infantia constitutum fuerit humanum genus.*

(235)

(235) *Diluvium, quod totam Telluris superficiem ad illam altitudinem obtegit, ut in locis magis elevatis ingens hominum multitudo salvari ab interitu nequeat, unius Oceani, qui Tellurem circumfluit, aquis produci nullo modo potuit, quemadmodum facili calculo constat: Aqua pluvia non sufficiebat, licet tota Atmosphaera (quod inane est figmentum) ita fuisset compressa per causas naturales (miraculosas enim admittere non possunt Adversarii), ut in aquam abiret; quippe etiam tunc aquarum altitudo supra maris superficiem tantum fuisset* 32 *fere pedum. Si aquae Oceani, si aquae subterraneae (quales copiosissimae dantur in Telluris crusta exteriori, dum ignoramus penitus, quomodo sese habeat in partibus centro propioribus) concurrerint cum aqua pluvia, & sic illae aquae ex receptaculis sedibusque suis naturalibus contra nisum gravitatis fuerint expulsae, miracula sunt admittenda, & non sufficiunt causarum naturalium operationes. Si fingamus cum* Burneto *in Theor. Tell. Sacra passim, praesertim Lib.* 1. *Cap.* 6. *seqq. Lib.* 2. *Cap.* 5. *seqq. Diluvium fuisse enatum ex dissolutione crustae Telluris exterioris, quae in rerum primordio erat aequabilis, nullisque montibus obsita, ita ut nunc primaevae superficiei rudera habitemus, sub qua, tanquam sub ovi testa, aquarum omnium colluvies, antequam ista rimas ageret & corrueret, erat abscondita, nequaquam res erit confecta: quippe, (ut taceam numerosas difficultates, quas contra hanc Telluris, si Dis placet,* Sacram *Theoriam movi in* Telluris Theoria Physico-Mathematica (Natuur en Wiskundige Beschouwinge des Aardkloots) *Part.* 1. *Cap.* 18. *pag.* 381. *seqq.*) *crusta haecce semel tantum dissolvi, & corruere, adeoque unicum tantum diluvium hoc modo oriri potuit, cum in Atheorum Hypothesi repetitae inundationes requirantur, uti, post* Bentleyum, *ipse notat Cl. Auctor.*

(236) *Argumentis contra aeternitatem generis humani & totius Universi ab Auctore propositis alia adjungere licet, quae quidem in se considerata inter apodictica referri non merentur, sed simul sumta insigne robur addunt reliquis.* 1o. *Scilicet, Tellus nostra, omnesque Planetae non moventur in spatiis coelestibus penitus vacuis, adeoque aliquam, utut exiguam admodum, pati debent resistentiam; ex hac nascitur retardatio, quae eo est minor, quo minor est fluidi retardantis densitas. Hinc vis projectilis, qua agitantur corpora coelestia, sensim debet decrescere; &, licet intra pauca secula haecce decrementa vix observentur, attamen, si infinita secula sint elapsa, dudum extinctus fuisset motus Planetarum & ipsius Telluris, &, cessante vi projectili, in Solem, tanquam in commune gravitatis centrum, debuissent delabi. Conf.* Eulerus *Opusc. Tom.* 1. *pag.* 245. *seqq. qui probabile judicat, tempus periodicum Telluris quovis seculo quinque minutis secundis minui.*

nui. 2°. *Dantur rationes Phyſicae, quae ſuadent, lumen non propagari in inſtanti, illudque revera ex Sole aliisque corporibus emitti: luminis igitur particulae, quae per coeleſtia ſpatia diſperguntur, maximam quidem partem in Solem recidunt, ſed earum nonnullae ſeſe jungere videntur cum corporibus terreſtribus & forte cum aliis corporibus, quae ad ſyſtema noſtrum Planetarium pertinent; adeoque Sol poſt tot annorum milliones foret extinctus.* 3°. *Montes continuo aliquid de ſua altitudine amittunt; ſive arenulae quaedam ventorum impetu dejiciantur, ſive aqua pluviâ abripiantur; licet igitur quolibet anno vel unicus arenae manipulus deorſum laberetur, per innumera ſeculorum millia omnes montes ſolo aequati eſſe debuiſſent. Imo Fluvii continuo aliquam eamque ſatis inſignem partium terreſtrium copiam in Mare deferunt, quae non regrediuntur, adeoque dudum cavitates illae immenſae, quae aquas marinas continent, arenis debuiſſent eſſe repletae; ita ut Oceanus, ſede ſua pulſus, dudum inundaſſet terram continentem; cum terra ſubſideret & aquarum ſuperficies eveheretur. Similia argumenta petere liceret tum* ex decremento aquae, *quod in Tellure noſtra obtinere probabile eſt, quia in vegetabilibus mutari videtur in partes ſolidas; tum* ex filtratione aquae marinae, *qua pars ſalis in poris ſeu interſtitiis arenularum haerere videtur, quando quibusdam fontibus haecce aqua praebet alimentum. Si vel quotannis unica aquae guttula: mutaretur in corpus ſolidum, ſi vel unicum Salis granulum decederet quotannis Oceani aquis, poſt lapſum infinitorum ſeculorum aqua omnis evanuiſſet, vel aquae marinae omni ſuo ſale fuiſſent orbatae.*

CAP. VI.

FUNDAMENTORUM ATHEISMI EVERSIO,

UBI ET

AD PRAECIPUA ATHEORUM ARGUMENTA RESPONDETUR.

Σύνοψις.

Scepticus Atheismus evertitur, §. I.
Itemque Dogmaticus, generatim spectatus, §. II.
Speciatim Aristotelicus, §. III.
Stoicus, §. IV.
Epicuraeus & Stratonicus, §. V.
Et denique Spinozianus, §. VI.
Respondetur ad argumenta Atheorum, & primo quidem ad ea, quae ab ipso Dei conceptu desumunt, §. VII.
Tum ad ea, quae scientia, & immutabilitas Dei, perperam intellecta, iis suppeditat, §. VIII.
Sententiam de Deo, ejusque existentia, inter praejudicatas minime referri posse opiniones, demonstratur, §. IX.

§. I.

Cum non tantum plurima extra nos ipſos ſint, quorum exiſtentia & eſſentia & proprietates per certa indicia nobis innoteſcunt, interque ea ipſe Deus referendus ſit, cumque praeterea in nobis certa facultas ſit, res ſpirituales & a materia ſeparatas, interque eas ipſum Deum certo cognoſcendi, atque ipſa quemlibet de hiſce omnibus experientia evidentiſſime convincat; maximopere illos falli, ſequitur, qui, uti nec rerum aliarum, ita nec ipſius Dei certam dari cognitionem, ſibi perſuadent. Atque hinc *Atheismus Scepticus* ſua ſponte corruit. *

* De Atheismo Sceptico dictum, *cap. II.* §. *IV.* & *X.* Nunc paucis ſaltem fundamenta Scepticorum praecipua evertenda erunt. Generatim autem ex principiis, quae ipſimet concedunt, & ſua natura ſimul evidentiſſima ſunt, erroris convinci poſſunt. Dum enim de omnibus ſe dubitare profitentur, non poſſunt abnuere, quin exiſtant. Qui enim ſe dubitare dicit, hoc ipſo fatetur, quod exiſtat. Si enim non exiſteret, non poſſet dubitare. Praeterea, qui dubitat, neceſſe eſt, fateatur, aliquid animo ſuo obverſari, de quo dubitat. Qui enim animo cogitationibusque ſuis nihil agitat, ille etiam nec dubitat. At hoc ipſum, quod animo ejus, qui dubitat, obverſatur, ſive notitionem, ſive ideam, ſive ſpeciem dixeris, ſive alio nomine appellitaveris, ſupponit aliquid, cujus ſit notio, ſive actu exiſtat, ſive exiſtere poſſit. In quamcunque itaque ſe vertat partem Scepticus, confiteatur, neceſſe eſt, exiſtere aliquid, vel exiſtere poſſe, de quo dubitat, deque eo, quod exiſtat, vel exiſtere poſſit, eum non poſſe dubitare. (237) Nemo praeterea negare poteſt, quasdam notiones ita eſſe comparatas, ut a nobis ipſis non procedant, ut, cum ejusmodi quid exhibent, quod removere potius, quam arceſſere velimus. Hae vero notiones, cum non poſſint non rei alicujus notiones eſſe, nec a nobis ipſis procedant, eas rem extra nos deſignare neceſſe eſt: adeoque rurſus de rerum quarundam extra nos poſitarum exiſtentia nos nulla ratione dubitare ſinunt. Rerum extra nos poſitarum diverſitas eadem ratione demonſtrari poteſt. Qui enim dubitat, rerum quandam diverſitatem non admittere nequit. Qui dubitat, calidumne aliquid ſit, an frigidum, concedat, neceſſe eſt, quod calidum eſt, non eſſe frigidum, & vice verſa. Sic & qui ambigit, malumne aliquid ſit, an bonum, fateatur, neceſſe

necesse est, quod malum est, non esse bonum, &, quod bonum est, non esse malum. Certe, dum dubitamus, res diversas & a se distinctas inter se conferimus atque comparamus, atque hoc ipso, eas diversas esse, profitemur. Possem ulterius ex innato omnibus sciendi desiderio, vano utique atque irrito, si nulla daretur certa rerum cognitio, itemque ex mentis humanae indole atque constitutione, certis perspicuisque plene acquiescentis, incertis dubiisque per se assensum suum denegantis, aliisque rationibus demonstrare, ineptum prorsus stolidumque esse Scepticismum, nisi supervacaneum hoc existimarem, & alii jam in hisce omnibus luculenter edisserendis, studium operamque suam collocassent. (238) Id potius adhuc observo, argumenta, quibus Sceptici evincere allaborant, incerta omnia esse, ad tria revocari posse capita. Vel enim ab *objecto nostrae cognitionis*, seu rebus cognoscendis, vel a *facultatibus*, quibus homo praeditus est, *cognoscentibus*, vel a *methodo inveniendi verum*, depromta sunt; ex quibus tamen, quae ad duo priora pertinent, praecipue in censum veniunt. Ad objectum quod attinet, res cognoscendas, incertas, fallaces, abstrusas, involutas esse, nec ullo indicio nobis allucere, clamitant, ut adeo nec de proprietatibus earum certi quid sciri queat. Idque cum generatim, de rebus omnibus, quae humanae cognitionis objectum constituunt, asserunt, speciatim tamen de Deo, rebusque divinis, adfirmant. Deinde ad alterum quod attinet, mentis humanae imbecillitatem, labilitatem, defectus varios, mirum in modum exaggerant, & sensuum fallaciam atque errores urgent. Tandem & in variis, quae extant, methodis inveniendi verum, multa desiderant, nullam hactenus excogitatam, contendentes, quae ita comparata sit, ut hominem tuto & sine erroris periculo ad finem exoptatum, veritatis scilicet certam cognitionem, perducere queat. Verum, si, quam frivola & lubrica haec omnia sint, ostenderimus, Scepticismus, & qui ei innititur, Atheismus, sua sponte corruet. Falsum nimirum prorsus est, quod primo loco de objecto cognitionis dicunt, res omnes incertas, fallaces, abstrusas & ita involutas esse, ut nullo indicio nobis innotescant. Utut enim non negaverim, quaedam hinc inde in variis scientiarum generibus occurrere, quae non prorsus evidentia sint, aut obscuritate quadam laborent; de omnibus tamen generatim rebus, qui hoc adfirmat, is data opera, stolidoque conatu, contra ipsam experientiam mihi pugnare videtur. Solent a nonnullis objecta cognitionis nostrae ad tria revocari capita: cum homo, qui aliquid cognoscit, aut *se ipsum*, aut *Deum*, aut *res alias*, maxime *corpora* extra se posita cognoscat. Ut quis sui ipsius existentiam, itemque proprietates animae & corporis essentiales cognoscat, nihil aliud requiritur, quam ut saltem cogitationes ad se ipsum, & ad sensus suos externos, convertat; tumque ea facile deprehendet, de quibus nemo nisi ratione omni destitutus,

dubitare poteſt. (239) Ad Deum quod attinet, licet nemo ejus eſſentiam perfecte comprehendere queat, cum, quod infinitum eſt, finiti intellectus limites longiſſime tranſcendat; indicia tamen, ex quibus & exiſtentia, & ſumma ejus perfectio, evidenter cognoſcatur, non deeſſe, vel ex hactenus dictis nemini obſcurum eſſe poteſt. Quae enim de notitia Dei, tum inſita, tum acquiſita, diximus, evidenter demonſtrant, non una ratione mortalibus innoteſcere, quae de Deo ejusque ſumma perfectione ſcire, eorum intereſt. Idque adeo manifeſtum eſt, ut nec ipſi tandem reclamare Sceptici audeant. Πάντες μὲν ἄνθρωποι, inquit ex eorum mente SEXTUS EMPIRICUS, θεῶν ἔχουσιν ἔννοιαν, οὐκ ὡσαύτως δὲ. *Omnes homines Deorum habent notionem, ſed non eodem modo; adverſ. Mathematicos lib. VIII.* (240) Non minus & reliquarum rerum extra nos poſitarum clara ſunt indicia, de quibus ut aliquid dicamus, ſupervacaneum foret, nec inſtituti noſtri aut permittit, aut requirit ratio. Fruſtra vero etiam facultates, quae in homine ſunt, cognoſcentes, a Scepticis ſolicitantur. Quantumvis enim humani intellectus in multis non ſit neganda imbecillitas infirmitasque, ea tamen neutiquam tanta eſt, ut non ea homo cognoſcere poſſit, quae ad ipſius conſervationem ſunt neceſſaria. Varia eaque evidentiſſima hoc docent Philoſophorum, Mathematicorum cumprimis, principia, in quibus falli aliquem poſſe, ob ſummam eorum evidentiam prorſus eſt ἀδύνατον. Parique evidentia cum cognoſcamus, & Deum exiſtere, & quicquid perfectionis cogitari poteſt, ad eſſentiam ejus pertinere, fruſtra humani intellectus in hiſce accuſatur imbecillitas. De imaginatione, ſenſibusque externis, idem probari poſſet, ſi id hujus loci eſſet. (241) De methodis denique inveſtigandi & inveniendi verum quod dicunt, lubentes fatemur, non omnes uno eodemque habendas loco. Nec tamen ideo omnes rejiciendae, aut ex incommodis, quibus haec aut illa methodus laborat, inferendum, nullam prorſus dari, qua verum inveniri queat. Eos enim, qui ita rationes ſubducerent, ipſa iterum refelleret experientia. Hoc ſane conſtat, eos, qui praejudicatis opinionibus procul faceſſere juſſis, adfectibusque in ordinem redactis, ingenioſam rei cujusque cognoſcendae inſtituunt analyſin, eamque deinceps conſtanter promovent, usque dum diſtinctam rei, quam cognoſcere cupiunt, notitiam conſequantur, veritatem certiſſime cognoſcere poſſe. Nec ignotum eſt, quo pacto veritas in rebus naturalibus cognita atque perſpecta, ad revelationem agnoſcendam nos manuducere queat; qua de re alibi ex inſtituto. Plura contra Scepticos dabunt PETRUS GASSENDUS, *tom. I. opp. de Logicae fine cap. III.* SAMUEL PARKERUS, de *Deo & providentia diſput. VI. pag.* 494. *ſeqq.* PETRUS DE VILLEMANDY, in *Scepticiſmo debellato*, cumprimis *cap. VII. ſeqq.* Jungenda, quae dixi in *diſſertat. de Scepticiſmo morali*, quae extat in *analectis hiſtoriae Philoſophicae*, §. *XVIII.*

(237)

(237) *Ratiocinia Cl. Auctoris hactenus niti videntur axiomate:* agere (*& sic etiam* dubitare) supponit esse: *verum, quid si Scepticus etiam hoc axioma in dubium vocaverit? quid si nihil determinare velit, ne hanc quidem propositionem:* ego nihil determino, *vel* ego dubito, *uti, quosdam inter Scepticos eo insaniae processisse, innuit* Diog. Laert. *Lib. IX. Sect.* 74. *conf.* Seneca *Epist.* 88. *&* Merian *dans l'Hist. de l'Acad. Roy: de Berlin. Tom. V. pag.* 416. *suiv. Sic nihil proficimus in convicendo Sceptico, si sui ipsius apperceptionem velit abnegare. Verum an non sic pugnamus contra Gigantes, qui nullibi, nisi in cerebro nostro, existunt? & si forte reperirentur, an non inter eos forent censendi, qui rationis mentisque non sunt compotes. Omnes vero Sceptici, qui aliquid negotii hic facessere possunt, sunt illi, qui, nullum dari criterium veritatis, perhibent, unde nobis constare potest, illam intelligendi facultatem, quam in nobis deprehendimus, nos non fallere, & nihil, nisi quod vere existit, tanquam vere existens nobis repraesentare. Si eo deveniant, ut intelligendi facultatem in se dari agnoscant, & sic conscientiae vocem suffocare non studeant; haud difficulter per argumentum illud Metaphysicum & fundamentale convincuntur de existentia Entis necessarii aeterni, immutabilis, infiniti, quod supra ad Cap. V.* §. 2. *n.* 162. *proposui. Si enim sui ipsius sensum habeant, etiam claram distinctamque perceptionem, seu* evidentiam *agnoscere tenentur criterium veritatis in omnibus illis rebus, quae* immediate *percipiuntur; ubi non agitur de convenientia inter nostras ideas, sensibus, testimonio aliorum hominum & ratiocinio analogico acquisitas & inter objecta externa, pro quorum repraesentaminibus a nobis habentur. Non magis diffiteri possunt, se aliquid clare & distincte per intimam conscientiam percipere, quam, se dolorem ex punctura acus non sentire, quando membrum, cui vulnus infligitur & totum corpus bene est dispositum. Conf.* s'Gravesande *in Oratione de Evidentia passim,* Villemandy *in Scepticismo debellato Cap.* 6. *seqq.* Nieuwentydt *Gronden van Zekerheid.* 1ste *Deel* 6de *Hoofdstuk.* Gassendus *de fine Logicae. Part.* 2. *Cap.* 2. *Operum Tom.* 1. *pag.* 69. *seqq. Dissertationes Berolinenses* de Evidentia *A*o. 1764. *in lucem emissae.*

(238) *Cl.* Buddei *ratiocinia, Scepticos impugnatura, paulo distinctius sunt evolvenda. Certum quidem est, dari in nobis notiones res externas repraesentantes, quae a nobis non pendent, imo quae saepe nobis invitis adsunt; verum nullo modo, exinde sequi, contendet Scepticus,* eas rem extra nos designare, adeoque de rerum quarundam extra nos positarum existentia nulla ratione dubitare sinere; *cum in eo versetur controversiae status,* an existant illae res extra nos, quae

 per

per ideas noſtras repraeſentantur, & an revera ita ſeſe habeant, uti per ideas illas pinguntur? *cum provocent Sceptici ad ſomnia, & ad fallaciam ſenſuum; ita ut videre, audire, tangere putemus, quod revera non videmus, vel alio modo videmus, audimus, tangimus. Adeoque, ut effugia Scepticorum & Idealiſtarum evitemus, potius hoc modo eſt ratiocinandum. Quo diutius accuratiusque contemplamur illa rerum repraeſentamina, quae aliquid extra nos pingere videntur, quaeque a nobis non pendent, atque aliquando nobis invitis adſunt, eo majorem in illis detegimus pulcritudinem, eo arctiorem & concinniorem inter illas deprehendimus nexum & ordinem, cujus cauſa non ſumus, in quo nihil poſſumus mutare; nec hodie nobis praevidere licet, quid cras per experientiam detegemus. Ordo igitur ille originem ſuam debet cauſae externae, ſumma ſapientia conſpicuae, quae continuo exhiberet ludibria, ſi res illis repraeſentaminibus reſpondentes extra mentem noſtram non exiſterent; atque adeo cauſa ſapientiſſima ſimul delectaretur iſtis luſibus atque ludibriis, quibus entibus felicitatis capacibus, ex veritatis cognitione voluntatem veram capientibus, perpetuo fucum facit. De hiſce fuſius agere vetat inſtituti ratio. Conferendi ſunt* Locke *de Intell. Hum. L.* 4. C. XI. Villemandy *l. c. Cap.* 8. *pag.* 43. *ſeqq. Cap.* 18. *pag.* 101. *ſeqq.* Buffier *Cours des Sciences col.* 57. *ſuiv.* Bulffinger *Diluc. Philoſ.* §. 388. *ſeq. in primis* Boullier *Traité de la Certitude Morale. Ch.* 7. §. 9. *ſuiv.* Crouſaz *Examen du Pyrrhoniſme pag.* 70. *ſuiv. pag.* 96-105. *pag.* 181. *ſuiv. Eſſay de Pſychologie pag.* 96-106. Hollman *Log.* §. 129-143.

Qui vero dubitant, an calidum quid ſit, an frigidum, bonum quid ſit, an malum, revera differentiam idealem *agnoſcunt inter calidum & frigidum, inter bonum & malum; ſed, niſi ea ratione inflectamus ratiocinia, qua modo ſui uſus, non multum proficere poterimus; ideoque monſtrandum, differentiam illam extra mentem revera ita ſe habere, uti in idea nobis obvertitur: cum alio modo ſit pugnandum contra Scepticos, qui* omnia *incerta eſſe putant; alio iterum modo contra illos, qui in Idealiſtarum caſtris verſantur, quos Cl.* Buddeus *hic praeſertim reſpicit. Si vero omnia incerta pronuntiant, etiam ſe omnia incerta pronuntiare, totum ratiocinium Viri Cl. non multum haberet roboris, quia neſcire ſe perhibebunt, an detur differentia inter calidum & frigidum, cum omnes noſtrae ideae maleſidae ſint duces.*

(239) *Poteſt quis dubitare, an vigilet, an ſomniat, an corpus habeat nec ne, (licet & hic inſignis ſatis ſit veſaniae gradus) aſt non video, quomodo de propria exiſtentia dubitare queat, cum per intimam conſcien-*

scientiam de eâ convincatur; conf. ea, quae breviter notavi n. 237. *Non quaeritur, an perfectam nostri ipsius, praesertim mentis nostrae, (quam solam per* conscientiam *cognoscere licet) possideamus notitiam; licet ignoremus, in quo consistat mentis essentia, an semper cogitet, quomodo acquirat, quomodo in sinu suo reponat & ex eo reproducat ideas, licet in sexcentis aliis inscitiam nostram confiteri debeamus, vel arctos ingenii humani limites,* sentimus *tamen, seu* appercipimus (*stylo* Leibnitiano) *nos cogitare, nos dubitare, nos existere; sentimus, nos limitatam & mutabilem habere naturam; atque hoc omnino sufficit, cum sic ansa praebeatur disquirendi, quaenam sit mentis nostrae origo, quaenam sint ejus facultates, in quo reposita sit ejus felicitas, &c. conf. n.* 162.

(240) *Nihil magis strenue urgent Sceptici ad Atheismum proclives, quam, omnes divinae existentiae Defensores agnoscere, Deum esse, ut vulgo loquimur,* incomprehensibilem; *quam difficultatem breviter Atheorum nomine sic proponit* Cudworth. *Syst. Intell. pag.* 74. Fugit rationem nostram perfecta supremi Numinis notio: nemo unus est, cui liceat accurate animo comprehendere omnia, quae ad naturam referri solent divinam. Igitur, quod Deum vocant mortales, id incomprehensum nescio quid & nihil est. *Fatendum certe id, quod ex finitis mentis humanae facultatibus necessario sequitur, nos admodum imperfectam Deitatis habere notitiam, sive respiciamus ad modum, quo existit Deus, vi suae naturae, sine initio, sine successione momentorum, sine fine, quo omnia simul intelligit, quo omnia simul vult; sive attendamus ad Dei operationes, & ad Ejus omnipraesentiam sine diffusione per mundana spatia, quae omnia brevi in tabella exhibui in* Primis lineis Theol. Nat. Theor. §. 144. *Verum plurima dantur in mente nostra, ejusque cum corpore conjunctione, quae ignoramus, quorumque modum non habemus perspectum; an inde concludam, mentem non existere, vel eam cum corpore non esse unitam? Ubique in rebus naturalibus extra nos positis reperimus indubia phaenomena, quae a nobis explicari nequeunt; sed an ab ignorantia modi concludere licebit ad negationem ipsius rei? Sincerus Philosophus igitur dicere potest,* id, quod mentem appellamus, id, quod corpus vocant mortales, incomprehensum quid est; *sed an adjiciet, si sana in pectore mens vigere pergat,* est mens, est corpus nihil? *Verum de hisce aliquid addendum ad §. VII. hujus Capitis, ubi Cl. Auctor directe ad hanc Objectionem respondebit.*

(241) *Conf. ea, quae notavi ad Cap. V. §. 7. n.* 210.

§. II.

Materiam porro quocunque modo consideres, nihil in ea deprehendes, quod existentiam ejus necessariam evincat. Immo nihil obstare, facile perspicies, quo minus & non existat. Idque eo magis, quod materia minime pro ente perfectissimo haberi queat, cui tantum necessaria existentia convenit. Et ita generale *Atheismi Dogmatici* fundamentum prosternitur. *

* Etsi varia dentur Atheismi Dogmatici genera, in eo tamen omnes Atheos, certum systema sequentes, convenire necesse est, materiam semper fuisse, & ad ejus essentiam pertinere existentiam necessariam. Si enim materia non necessario existit, tempus esse potuit, quo omnino non extitit. Si ergo aliquando non extitit, quae ergo ejus origo? & unde hicce mundus? Obmutescendum ergo hic est Atheis, quicunque fuerint, sive Aristotelis, sive Epicuri, sive Spinozae systema sequantur, aut asserendum, materiam semper extitisse, immo necessario existere. Hinc supra jam ad *cap. II. §. X.* hoc generale omnis Atheismi Dogmatici fundamentum esse, observavimus; quod si evertatur, omnia illorum corruere systemata necesse est. Praecipue itaque nobis demonstrandum est, ad essentiam materiae non pertinere existentiam necessariam; tum enim facile, eam semper non extitisse, comprobari potest. Necessario autem materiam non existere, primo inde liquet, quod in ejus conceptu nihil deprehendam, quod existentiam necessariam inferat. Sane quicquid existit, dum existit, non potest non existere. Inde vero non sequitur, quod id, quod nunc existit, etiam semper extiterit, & quod nunquam periturum sit. Et ita etiam cum materia se res habet. Nulla prorsus ratio afferri potest, cur ea, quae nunc existit, semper existere debuerit, aut cur non existere nequeat. Existentia ergo ejus non est necessaria. Praeterea si omnes materiae proprietates, extensionem, divisibilitatem, facultatem recipiendi motum consideres, nihil, quod existentiam necessariam in iis inferat, deprehendes. Cur enim, quaeso, ens ejusmodi, in quo extensionem, divisibilitatem, & alia ejusmodi observo, necessario existeret? Quid obstat, quo minus concipiam, ejusmodi ens non esse, vel non fuisse, vel in posterum non fore? Sane ad conceptum entis perfectissimi, omnibusque numeris absoluti, pertinet existentia necessaria. Sed tantum abest, ut materiam pro ente omnium perfectissimo consummatissimoque habere debeam, ut maximas contra gravissimasque in ea depre-

prehen-

prehendam imperfectiones. Est enim materia in se spectata, ens mortuum, mere passivum, vita & motu destitutum, nisi motum ab alio accipiat. Quod licet per se manifestum sit, in sequentibus tamen ex instituto demonstrabitur. Cumque nobis vel ex mentis nostrae inspectione constet, dari substantias, intellectu, voluntate, facultateque movendi corpora praeditas, ejusmodi quid autem in materia non deprehendam, sequitur, materiam ejusmodi substantiis longe esse ignobiliorem imperfectioremque. Immo & ad sensationes quod attinet, eas formaliter ipsi materiae non inesse, sed ex varia saltem materiae dispositione, figura, motu, in mente nostra excitari, pridem Philosophis quibusdam est observatum. Quis ergo materiam pro ente omnium perfectissimo venditare auderet? Quare & existentia necessaria frustra ei tribuitur. Si dicas, si vel maxime materia non existat necessario, sufficit tamen, quod semper extiterit; hoc quidem gratis asseritur. Quod si enim hoc negem, unde probabis? Immo non extitisse, inde evinco, quod mundus hicce non semper fuerit, ut *cap. praeced.* §. *XI.* luculenter evicimus. Quod si materia ab omni aeternitate atque per infinita jam secula fuit, aut, & mundum ab omni aeternitate fuisse, concedendum, aut ratio danda, cur in certo temporis spatio demum extiterit. (242) Posterius cum Atheus facere nequeat, nisi ad veterum Philosophorum de exustionibus & diluviis ineptias iterum delabi velit, prius ei est asserendum, quod aeque absurdum est. Ad rationem praecipuam, qua gentilium Philosophi inducti, materiae aeternitatem & existentiam necessariam asseruerunt, quod *ex nihilo nihil fiat*, supra jam ad *cap. II.* §. *X.* responsum, atque ostensum, de causa materiali hoc equidem procedere, minime autem de causa efficienti infinitae virtutis. (243) Haec enim quo minus ex nihilo aliquid facere queat, nihil profecto obstat, etsi modum ratio capere nequeat. Jungenda his, quae contra necessariam materiae existentiam disputat JAC. ABBADIE, de *veritat. & certitud. Christian. relig. sect. I. cap. VI.* §. *IV. seqq. pag.* 49. *seqq.*

(242) *Si materia concipi possit tanquam non existens, sive si ratio sufficiens, ob quam existit, non sponte sua & necessario ex ipsius essentia sequatur, ita ut ejus non-existentia nullam involvat contradictionem, atque adeo ejus existentia sit contingens, in alio ente a se diverso rationem sufficientem suae existentiae debet habere repositam; sic non a se, sed ab alio habet originem, ac proinde initium suae existentiae agnoscat necesse est. Praeterea nulla datur materiae pars, quin &* limitata *sit &* mutationibus subjecta; *cum tamen omne ens necessarium sua natura sit infinitum, seu nullis limitibus circumscriptum, nullisque vicissitudinibus obnoxium. Vid. meae primae Lineae Theol. Nat.* §. 14, 18, 33 & 34. *Si igitur materia a causa externa originem & sic-*

sic suae existentiae initium habeat, aeterna esse non potest; etsi vel concederem eam ab aeterno creari potuisse, (*quod minime concedendum puto, cum non ab omni absurditate liberari possint argumenta quae in contrarium proponuntur a* Bulffingero *Diluc.* §. 192, 460, 465.) *nihil lucrarentur adversarii; quia sic Ens aeternum a materia diversum, potentia creandi, seu vi infinita conspicuum, hoc est, ipsum* Deum *agnoscerent. Non igitur simpliciter dicendum cum Cl. Auctore*, gratis adsumi, materiam semper extitisse, *sed eo ipso, quod non existit necessario, sua sponte sequitur*, eam non semper extitisse; *cum hoc involveret, eam sibi ad existendum sufficere, & a nulla causa externa suam originem accepisse: si vero contingenter existeret, & sic suam originem ab alio haberet, etiam ab alio* initium existentiae *fuisset nacta, atque adeo non* semper *extitisset.*

(243) *Canon hicce vulgatissimus variis modis potest intelligi; concidit cum regula:* nihil fit sine causa; *quia omne, quod* fit, *est* effectus *aliquis, qui causam requirit; quia haec sunt* relata & correlata (*uti Veteres loquebantur Logici*): *concidit quoque cum regula:* nulla nova res existentiam acquirere potest absque causa externa; *quia initium existentiae a se habere nequit, quatenus sese ipsa produxisset, & sic operata fuisset, antequam esset; cum nequidem de Deo dici possit, Eum esse causam efficientem suae existentiae: concidit denique cum hac regula:* nihil ex nihilo, tanquam ex causa, gigni potest; *quia non entis nullae sunt adfectiones, nullae vires; proinde, sive* nihil *spectetur tanquam causa efficiens, sive ut causa materialis,* (*quae* causae *nomen vix meretur, licet contrarium visum fuerit Veteribus Dialecticis*) ex nihilo nihil fit; *si unquam fuisset temporis momentum, quo existebat* nihil, *etiam nunc* nihil *existeret. Verum an inde concludent, nullam naturam, utut infinitis viribus conspicuam, efficere posse, ut ens aliquod possibile (cujus existentia nullam involvit contradictionem) acquirat existentiam, tanquam nudae possibilitatis complementum? an inde exsculpent, istiusmodi Ens materia indigere, uti architectus indiget lapidibus, ut aedificium exstruat? an non materia ex innumeris constat partibus, quarum quaelibet seorsim existere posset, absque concursu reliquarum, & an non sic innumera existerent entia non creata, adeoque necessaria & independentia? Nimium manifesta est horum omnium absurditas, quam ut verbose demonstraretur. Neque aliqua inest efficacia argumento, de quo agit* Canzius *in Meditat. Philos.* §. 552. *nimirum* Fieri *est non plane existere;* factum esse *significat plane existere: aut materia fiebat & facta erat simul; aut primo momento fiebat, altero facta erat: si* prius, *& plene & non plene existebat simul; si vero* posterius, *supponitur, materiam primo imperfecte extitisse, postea eam fuisse dispositam. Non unum certe datur* vi-

vitium in hoc ratiocinio ; cum creatio , per quam materia est exorta , facta fuerit in instanti , *quatenus nullum datur , aut dari potest medium inter* non existere *& inter* existere : *plene existebat , vel non existebat materia ; plene existebat eo ipso momento , quo Deus efficacissime volebat, ut existeret. Et sic nulla successio* in actu creationis primo *concipi potest, quin tota pereat Creationis idea.*

§. III.

Materia ergo cum neutiquam necessario existat, nec semper extiterit, multo minus mundum, prouti nunc est, semper fuisse, dici potest. Eos sane, qui id sibi persuaserunt, in gravissimo versari errore, facile demonstrari potest. Pessime etiam iidem causae suae consulunt, dum per formas & qualitates, naturae phaenomena explicare annituntur. Praeterquam enim, quod haec philosophandi ratio, in se spectata, absona sit, & unanimi fere consensu hodie rejiciatur, cum sententia, quae mundi aeternitatem statuit, ejusque Creatorem rejicit, nullo modo conciliari potest. Et ita *Aristotelici Atheismi* fundamenta collabascunt. *

* Cum mundi aeternitas ad *cap. praeced.* §. *IX.* rationibus evidentissimis jam destructa sit, eas ut hic repetamus, necesse non est. Quare id saltem observamus, gentilium istos Philosophos, quibus mundi ex fortuito atomorum concursu ortus, nimis absurdus videbatur, & principium illud, ex nihilo nihil fit, perperam intelligebant, simulque vim potentiamque infinitam Creatoris aut ignorabant, aut non admittebant; in hanc de aeternitate mundi ingressos sententiam, quam minoribus incommodis premi putabant, quam illorum, qui mundum ex atomorum concursu fortuito ortum asserebant, etsi & ipsi rationibus in contrarium, non aliter, quam per inanes absurdissimasque de eluvionibus hujus universi, hypotheses, obviam ire poterant. Atque hinc facile rationes, quibus pugnabant, & quid ad eas respondendum sit, intelligere licet. Haud infima haec est; si naturae auctor conditorque statuatur, non posse dici, quis ille sit, unde venerit, quando, aut qua ratione mundum exstruxerit ? & quae alia sunt ejusdem generis. Audire hac de re LUCIANUM juvabit. Cum enim dixisset, *variam esse de mundo sententiam, siquidem aliis non genitus, nec interiturus*

esse videatur; alii autem *& opificem ejus & fabricandi modum ausi sunt dicere*, quibus verbis Christianos eum perstringere, nonnulli putant, sed Platonicos potius ea ferire, ex sequentibus liquet; tum de hisce subjicit: οὓς καὶ μάλιστα ἐθαύμαζον, θεὸν μέν τινα τεχνίτην τῶν ὅλων ἐφιστάντας, οὐ προστιθέντας δὲ οὔτε ὅθεν ἥκων, οὔτε ὅπου ἑστὼς, ἕκαστα ἐπεκταίνετο. Καίτοι πρόγε τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως, ἀδύνατον καὶ χρόνον καὶ τόπον ἐπινοεῖν. *Quos quidem cumprimis admirabar: quod, cum Deum quendam rerum omnium opificem constituissent, non etiam illud adderent, vel unde is esset profectus, neque, ubi consisteret, cum singula fabricaretur. Nam ante universi ortum non possis vel tempus vel locum imaginari; in Icaro-menippo tom. II. opp. pag. m.* 191. Eundem fere in modum VELLEJUS contra Platonicam mundi creationem apud CICERONEM disserit: *Quibus enim oculis animi intueri potuit vester Plato, fabricam illam tanti operis, qua construi a Deo atque aedificari mundum facit? quae molitio? quae ferramenta? qui vectes? quae machinae? qui ministri tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem obedire & parere voluntati architecti aër, ignis, aqua, terra, potuerunt? Unde vero ortae illae quinque formae, ex quibus reliqua formantur, apte cadentes ad animum efficiendum pariendosque sensus? de natura deor. lib. I. cap. VIII.* Pari ratione & ARISTOTELES Anaxagoram irridet, quod mente non aliter ac machina ad mundum formandum utatur, *metaphys. libr. I. cap. IV.* PLUTARCHUS Platonicam mundi formationem impugnaturus, quaerit, num Deus jam extiterit, cum corpora se movere inciperent? Cumque negari nequeat, eum ab omni aeternitate extitisse, num dormierit, an vigilaverit, an neutrum fecerit? porro quaerit. Neutrum fecisse, cum dici nequeat, uti nec, quod dormierit, cum ab omni aeternitate dormire, idem sit, ac mortuum esse, ulterius progreditur, &, num ad summam beatitudinem aliquid ei defuerit, aut non defuerit, interrogat. Si defuit, cur mundum creavit? *de placitis Philosophor. lib. I. c. VII.* Proxime huc accedit illorum objectio, qui, quid Deus, antequam mundum conderet, egerit? & cur non pridem antea, vel ab omni aeternitate eundem condiderit? quaerunt; & quae reliqua sunt ejusdem generis. (244) Haec vero omnia, quam frivola, ludicra & plane puerilia sint, nemo non intelligit. Unico vero ictu cuncta prosterni possunt, si ens aliquod summe perfectum, infinitae potentiae, omnis materiae expers, & liberrime cuncta agens, supponatur. Neque tantum nihil obstat, quo minus ejusmodi ens perfectissimum, & a materia omni secretum, supponi queat, sed rationes quamplurimae, revera ens ejusmodi esse, evidentissime demonstrant atque evincunt. Cumque non alia suppetat ratio, ex dubiis omnibus, quae circa rerum naturam se offerunt, eluctandi, id admittendum esse, nemo, nisi coecus prorsus atque rationis expers fuerit, abnuerit. Et ita facile ad rationes antea propositas respondere licet. Si namque quaeras, quis auctor conditorque hujus universi sit? Deus est, seu

ens

ens illud perfectiſſimum, potentiſſimum, liberrimumque, quod antea deſcripſimus. Unde venit? Semper fuit. Quo in loco fuit? Ubique adeſt. (245) Qua ratione mundum fecit? quibus inſtrumentis, quibus miniſtris uſus eſt? Nullis. Ens enim, quod infinitae perfectionis & potentiae eſt, unico nutu omnia ex nihilo producere poteſt, nec inſtrumentis aut miniſtris indiget. Cur autem non pridem antea, aut ab omni aeternitate mundum condidit? (246) Quia ſic placuit. Eſt enim, ut antea diximus, ens liberrimum. Beatusne fuit, antequam mundum conderet? Fuit. Cur ergo mundum condidit? Ut gloriam & ſapientiam ſuam manifeſtaret. Quid ante mundum conditum egit? Hoc ſcire noſtra non refert; unde nihil aliud agunt, quam ut ſtultitiam ſuam prodant, qui hac de re quaerant. Qui vero ad mundi aeternitatem probandam, Deum neceſſitate quadam ad eum condendum inductum, putant, hoc ipſo, ſe neſcire, quid Deus ſit, ſignificant. Non minus enim ens liberrimum eſt, quam perfectiſſimum. Falſumque eſt, quod Deus omnia neceſſario agat. Ita enim libertate deſtitueretur. Immutabilitas vero voluntatis divinae ita capienda, ne per eam ſumma ejus libertas evertatur. (247) Jam quod ad *qualitates* & *formas ſubſtantiales* attinet, per quas Ariſtotelici ſyſtematis defenſores rerum naturalium phaenomena explicare annituntur, primo ex ipſa materiae accuratiori conſideratione patet, qualitates illas formasque ſubſtantiales vanas eſſe atque inanes. Praeter extenſionem enim ac diviſibilitatem, potentiamque motum & figuras varias recipiendi, in materia nihil deprehendimus. Nullae itaque partes materiae in ſe ſpectatae, aut calidae, aut frigidae, aut ſiccae, aut humidae, erunt, ſed ſi quid ejusmodi ſentimus, id pro mentis noſtrae quadam paſſione aut affectione, ex diverſa particularum, ex quibus materia conſtat, figura, ſitu, motu, orta, eſt habendum. Obſtat praeterea huic ſententiae decantatum illud Philoſophorum veterum, & in Ariſtotelica quoque Philoſophia receptum, principium: *ex nihilo nihil fit.* Cum enim in materia nihil prorſus, quod formis illis ſubſtantialibus, qualitatibusve ſimile ſit, deprehendatur, fateatur neceſſe eſt, qui eas defendere annititur, formas illas ſubſtantiales ex nihilo oriri. Qualemcunque enim entitatem habeant, cauſa tamen quaedam eis aſſignanda erit. Si dicant, qui ſententiae iſtius patrocinium ſuſcipiunt, non eſſe formas iſtas in ſubjecto ſuo, ſed ex eo tamen educi, actione, quae non *creatio*, ſed *eductio* vocanda ſit, omnium ſe exponent ludibrio, cum nemo mortalium, quid ſibi velint, intelligere queat. Nihil itaque aliud ſupereſt, quam ut aut fateantur, ſe neſcire, quid dicant, aut creationem admittant. Quo ipſo ſimul patet, ad rerum naturalium phaenomena explicanda hocce ſyſtema longe eſſe ineptiſſimum, niſi creatio admittatur. Quemadmodum vero nec reliquae formae aut qualitates, ceu entitates reales, ex materia educi poſſunt, ita multo

 minus,

minus, quo pacto anima hominis hac ratione originem suam accipiat, concipi potest. Cum enim in materia nec sensus, nec cogitatio, nec libertas sit, num fieri possit, ut sine creatione ex materia substantia a materia prorsus distincta, sentiendi, cogitandi, adpetendi facultate, libertateque praedita existat? Coecus sit, rationeque omni destitutus, qui hoc sibi persuadeat. Immo nec motus rationem per hanc hypothesin reddi posse, nonnullis observatum. Licet enim vel maxime dicant, ex materia generali formas & qualitates, & in eam corrumpi, semper tamen remanet quaestio, cum generatio & corruptio sine motu fieri nequeat, unde iste motus? quaeve ejus causa sit efficiens? cum materia se ipsam nec movere, nec mutare queat. Sed plura non addo, cum jam pridem formae istae substantiales & qualitates ex orbe Philosophico proscriptae sint. (248) Rationes in compendio exhibet JOANNES BAPTISTA DU HAMEL de *consensu vet. & novae Philosophiae, libr. I. cap. VII. §. VII. pag. 157. seqq.*

(244) *Paucissimi inter Gentiles* Creationem ex nihilo, *qualem nos admittimus, hoc est, Creationem veri nominis, concoquere potuerunt; & forte Christiani Philosophi minus fuissent in hocce momentosissimo dogmate tuendo strenui, nisi Revelationis lumine, nebulas praejudiciorum & difficultatum nubes pellente, fuissent collustrati: vix amplius nobis repraesentare possumus tenebras, in quibus versati fuerunt illi, qui fidissima illa Cynosura caruerunt, licet nunc, postquam de mundi origine aliunde certi sumus redditi, errores Gentilium luce meridiana clarius perspiciamus, & per argumenta indubia ex sanae rationis sinu hausta illos quaeamus refutare. Nec defuerunt, inter primitivae Ecclesiae Christianos, qui de hocce dogmate non fuerunt persuasi, praejudiciis, ex Gentilium Philosophia natis, nimium occoecati, uti demonstravit* Moshemius *in Diss. de Creatione ex nihilo, quae inserta est* Cudworthi *Syst. Intell. pag.* 957. *seqq. Vid. quoque* Burnet *Archaeolog. Lib.* 1. *Cap.* 7. *praesertim Lib.* 2. *Cap.* 9. *pag.* 440. *seqq. Edit. Lond.* 1733. *Eruditissime autem, more suo, docuit* Moshemius *l. c., nullum hactenus oblatum vel Philosophum, vel Populum, a lumine Revelationis destitutum, quem constet, eandem, quam Christiani de rerum Originibus & Creatione fovisse opinionem, dum sese fucatis ambiguisque Platonicorum quorundam dictis decipi non fuit passus Vir perspicacissimus.*

(245) *An quidem ad quaestionem* Quo in loco fuit? (*scilicet ante Mundi creationem*) *responderi potest:* Ubique adest? *Omnipraesentia Dei, quam nunc, posita hac spirituali & corporea rerum universitate, agnoscimus, non respicitur; sed quaestio unice versatur circa Dei praesentiam, antequam, secundum sententiam illam, quam hic contra*

Atheos

Atheos Aristotelicos defendimus, hocce Universum, atque materiam, ex qua hoc Universum corporeum constat, crearet. Si spatium *appellare velimus quidquid corporum existentiae non resistit, per foecundae imaginationis lusum concipere liceret* spatium antemundanum, non creatum, infinitum, *in quo Deus ante creationem fuit praesens; sed spatium hocce fuisset* imaginarium, *& sic praesentia Dei in illo spatio* imaginaria *penitus fuisset atque* conficta; *uti conficta est praesentia Divina in spatiis imaginariis, quae extra Mundi fines concipiuntur. Ad quaestionem igitur:* quo in loco fuit Deus ante creationem, *nihil aliud respondere licet, quam quod sit absurdissima; cum* locum *sine spatio, & spatium sine corpore concipere non liceat, quatenus spatium est relatio, cujus ideam formamus, quando attendimus ad distantiam inter duo vel plura corpora, vel ad distantiam inter terminos idem corpus circumscribentes. Sic Deus ante hujus mundi creationem sibi intime erat praesens; cujus praesentiae modum ignoramus; nec mirum; cum etiam nunc modum, quo Deus rebus creatis est praesens, non habeamus exploratum, eumque magnam partem per ideam negativam nobis sistamus.*

(246) *Vocabulum* antea, *& sic* pridem antea *suam habent relationem ad* tempus, *quod est mensura durationis successivae; ita ut tempus non existeret, antequam existerent entia successive durantia, seu magis magisque ab initio suae existentiae recedentia. In hac vero quaestione (quae semper potuisset repeti, licet Mundus ante sexcenta annorum, imo seculorum millia fuisset creatus) supponitur, tempus fuisse, ante quam existeret Mundus, & Deum per aliquot secula, vel seculorum millia in capto decreto acquievisse, antequam sese accingeret creationis operi. Si forte videatur, huncce mundum eo sensu citius creari potuisse, ut a mundi initio ad nostra usque tempora non tantum sex fere annorum millia effluxissent, sed ut nos longe pluribus seculis ab initio illo essemus remoti; ab altera parte observandum, hoc ipsum statui non posse de* hoc *mundo, sive de* hac *rerum creatarum serie, nisi fingamus* vel *prolongatam quasi fuisse seriem a parte anteriori, ita ut aliae res additae fuissent huic seriei, quo facto non* eadem *mansisset series,* idem *systema rerum possibilium;* vel *singulas res hanc seriem constituentes longius durasse, quod cum concatenatione causarum & effectuum, quam Deus pro sua sapientia in hoc mundo constituit, consistere non posset; alia potius fuisset concatenatio; Conf.* Cudworth *l. c. pag.* 1187. *seqq. ibidemque* Moshemius *& Dissertations sur les Monades de l'Academie de Berlin pag.* 345. *suiv. ut &* Canzius *Medit. Philos.* §. 560. *seqq.*

Quod attinet ad alteram quaestionem Atheorum, cur Deus non ab omni aeternitate Mundum condiderit? *responderi non potest cum*

Auctore: quia ſic placuit; *quoniam* creatio ab aeterno, *quemadmodum ſupra* n. 242. *jam notavi ad* §. 2. *hujus Cap. eſt abſurda penitus, ſi per* Aeternitatem *intelligamus exiſtentiam ſine initio, ſine fine, ſine ſucceſſione momentorum; Creatio ſuppeditat* initium *exiſtentiae, adeoque Creatio, quae ab aeterno fit, hoc ſenſu contradictionem involvit. Attamen inter illos, qui de Mundi Origine per creationem erant perſuaſi, reperti fuerunt, qui eum* ab aeterno *creari potuiſſe putarunt, de quibus videri poſſunt* Parkerus *de Deo Diſp. IV. Sect. I.* (*qui ipſe non ſatis recte in hac parte ſentit*) Moshemius *ad* Cudworth *pag.* 290. *ſeqq.* Schubert *Metaph.* §. 891. *pag.* 516-522. *de Algemeene Hiſtorie vertaald door Weſterbaan.* 1ste *Deel, pag.* 13. Poiret *Cogit. Rat. Lib.* 13. *Cap.* 16. §. 9. *Si autem quaeratur*, an fieri potuerit, ut Deus ejusque creaturae ſemper ſimul extiterint? *intricata ſatis eſt quaeſtio. Fatendum, Deum ab omni aeternitate potentia infinitâ, adeoque potentiâ creandi fuiſſe gaviſum, ſemperque Eum hancce potentiam potuiſſe exercere; fatendum quoque, a nobis, qui aeternitatis ſucceſſionis expertis ideam tantum* negativam *habemus, concipi non poſſe*, quomodo *Deus tranſierit a potentia ad actum, vel quo modo a non creante fieri potuerit creans; fatendum denique creaturam, quae ſemper cum Deo exſtitit ſimul, non ejusdem propterea aeternitatis cum Deo eſſe participem, quia ſucceſſive durat: attamen Deus, tanquam cauſa, exſtitit ante effectum ſuum, qui extra Eum exiſtit; & omnis effectus a cauſa ſua realiter diverſus initium exiſtentiae ſuae habere debet.* Creare *certe eſt* initium exiſtentiae concedere, quae antea non aderat. *Quin imo! ponamus, creaturam exiſtere, quae ſemper extitit ſimul cum Deo, ſeries momentorum, quae ipſius durationem conſtituunt, continuo augetur; quod de ſerie dierum, annorum, ſeculorum verum quoque eſſe debet. Momenta igitur, dies, anni, ſecula, quae nunc* praeterierunt, *quaeque ab hoc momento ſunt remotiſſima, aliquando fuerunt* praeſentia, *& ſic tandem adſcendendo pervenire debemus ad aliquod primum; eodem modo, quo ſupra* n. 165. *ratiocinati fuimus circa progreſſum cauſarum effectuumque infinitum.*

Licet autem Deus ſemper ſuam potentiam creatricem exercere potuerit, non tamen haec ipſa ſeſe extendit ad contradictoria; jam vero creatura aeterna, *vel* ab omni aeternitate producta, *hoc eſt*, creatura ſine initio *eſt manifeſtiſſima contradictio, cum ſimul ipſi initium adſignetur; ſummopere igitur fallitur* Carteſius *in Reſp. ad Obſ. VI.* §. 6. *quando dicit.* Non ideo voluit mundum creare in tempore, quia vidit, ſic melius fore, quam ſi creaſſet ab aeterno, *&c. Neque ingenioſus* Robinet (*de la Nature Tom. I. pag.* 27. *ſuiv.*) *recte ſatis dixit:* ſi Deus potuit creare ab omni aeternitate, res aliqua potuit exiſtere ab ipſa aeternitate Dei (*ſi Diêu a pu creer de toute eternité, quelque choſe a pu exiſter des l'eternité meme de Dieu*)

Dieu) *Res quippe ab omni aeternitate possibiles fuerunt, sed Deus eas ab omni aeternitate non potuit creare, quia vel nullum habuissent initium* (*quod contradictionem involvit, si* creatae *dicantur*), *vel ab omni aeternitate initium acceperunt, quod iterum absurdum est. Mundum non aeternum esse, aut esse posse, concedere videtur* Robinet; *sed* ab omni aeternitate creatum esse *idem est, acsi dicamus* ab omni aeternitate initium existentiae acquisivisse; *ad quod proinde adscendendo pervenire licet; & sic haberemus aeternitatem exhauriendam determinato, utut incognito, seculorum, vel momentorum numero; ideoque eatenus dicendum potius*, in aeternitate *Deum creasse hunc mundum, quatenus* eo ipso momento demum, quo res qualiscunque contingens existentiam, seu nudae possibilitatis complementum acquirebat, incipiebat tempus. *Sic Deus neque* ab omni aeternitate, *neque proprio sensu* in aeternitate, *neque denique* in tempore *creavit, sed* dum *creabat* (*licet actio ut* momentanea *sit concipienda*) *incipiebat tempus ab ipso illo puncto, tanquam termino. Sic* existere ab aeterno & aeternum esse *hoc sensu revera idem significant; nisi dicere velimus, mundum, qui ante sex annorum millia est creatus, non esse aeternum, sed* ab aeterno creatum; *cum* tempus *demum inceperit, dum condebatur.*

(247) *Quid sibi velit Cl. Auctor hisce verbis, patebit ad* §. *VIII. hujus Capitis: respicit non tantum immutabilitatem decreti divini, quam non, nisi cum limitatione, agnoscit, verum etiam sententiam eorum, qui existimant, Deum necessario* (moraliter, *scilicet*, necessario) *hunc mundum creare debuisse, ita ut Deus non fecisset id, quod optimum suisve perfectionibus convenientissimum est, si vel solus mansisset in fruitione suarum perfectionum beatissimus, vel alium creasset Mundum, ab hocce, qui nunc existit, diversum. Verum qui sic statuunt, nullo jure huc trahuntur, acsi cum Deitatis osoribus paria facerent, de quibus nunc uberius disputare non licet.*

(248) *Vix ex Aristotelicorum scriptis dijudicare datur, quid per* formas substantiales & qualitates *intellexerit; neque* Aristoteles *unquam tales agnovit* formas substantiales, *quales confictae sunt ab ejus Assеclis, qui Praeceptoris sui mentem male fuerunt interpretati, ob ambiguitatem vocis* εἶδος, *quae aliquando substantiam, aliquando vero essentiam apud eum denotat; quod pluribus docuit* Sturmius *Phys. Elect. Tom.* 1. *pag.* 78. *seqq. Neque veram eorum sententiam satis explicat, ad quem Cl. Auctor provocat,* Hamelius. *Si sint substantiae materiales, & tamen a materia distinctae, incompletae, quae sine materia subsistere nequeunt, sed, cum materia junctae, corpora naturalia componunt, omniumque, quae in corporibus observantur, operationum*

prima

prima sunt principia, certis nihilominus qualitatibus utentes, tanquam instrumentis, ad effectus producendos (*Conf.* de Volder *de Rerum Natur. Principiis* §. 72. *seqq.*) *quaeritur, an dici possint* substantiales formae & substantiae materiales; *cum materiae inhaerere debeant, cumque neque sint mentes, neque corpora; praeterea activitas quaedam iis inesset, quae in materia frustra quaeritur, si haec prima operationum, quae a corporibus eduntur, foret origo. Et quid, si, tales formas substantiales in rerum natura dari, concederemus? an aliquid inde lucrarentur Athei Aristotelici? an non de harum formarum origine quaerere liceret? an vero sunt entia necessaria, aeterna, independentia, quae tamen materiae contingenti inhaerere debent? Istiusmodi nugis atque absurditatibus immorari non lubet.*

§. IV.

Qui Deum pro *forma mundi* aut *assistente*, aut omnino *informante*, habent, adeoque necessario nexu cum materia conjunctum contendunt, & fati ineluctabilis legibus subjiciunt, ut omni eum libertate privant, ita pugnantia secum asserunt, Deum statuentes, qui non sit Deus, seu ens perfectissimum, quod summa imperfectione laboret. Quod cum longe absurdissimum sit, *Stoicus Atheismus* hinc sua sponte corruit. *

* De Stoico Atheismo supra *cap. I.* §. *VIII.* & *cap. II.* §. *IX.* & *X.* diximus. Prouti cum Spinozismo convenit, in quem eum tandem abire, ibidem observavimus, iisdem rejici & impugnari rationibus potest, quibus deinceps contra Spinozam pugnabimus. Prout autem a Spinozismo utcunque discernitur, rationes, quibus nititur, ad duo revocari capita possunt; alterum, Deum nexu insolubili cum materia conjunctum esse, immo ipsam animam mundi constituere; alterum, totum hoc universum, ipsumque adeo Deum, inevitabilis fati legibus durissimis esse obnoxium. Utrumque tam absurdum est, ut absurdius nihil cogitari queat. Etenim si Deus cum materia necessario nexu conjunctus est, ita quidem, ut ipsam mundi animam constituat, sequetur, ejus essentiam per omnia corpora diffusam esse, ut non tantum in singulis hominibus, sed & brutis animantibus, pars quaedam essentiae divinae reperiatur. Haud nescio, id omnino admisisse atque asseruisse Stoicos; sed hoc ipso ostenderunt, se ad ineptissima quaevis absurdissima-

simaque admittenda & afferenda paratos esse. Deum nimirum se agnoscere, & colere videri volebant, sed talem Deum, cujus pars in canibus, felibus, avibus, aliisque animantibus deprehenderetur. Quam vero absonum sit, essentiam Divinam ita in particulas discerpere, jam ipse vidit CICERO, in Pythagora (cui eandem sententiam tribuit) idem reprehendens: *Nam Pythagoras*, inquit, *qui censuit*, (Deum) *animum esse per naturam rerum omnium intentum & commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit distractione humanorum animorum, discerpi & lacerari Deum; & cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem esse miseram;* de *natur. deor. libr. I. cap. XI.* At non adeo ista mirabitur, qui secum cogitaverit, Stoicos non alium quam materialem Deum agnovisse. Diversimode equidem de Deo loquuntur. Interdum totum compositum, quod ex materia & spiritu, seu anima mundi, constat, *Deum* vocant. Subinde namque ipsum mundum, aut naturam, hocce nomine insigniunt. Interdum vero animam mundi separatim spectantes, eam *Deum*, item *spiritum*, *animum*, *mentem*, *rationem* adpellitant. At spiritus nomine eos neutiquam substantiam materiae expertem, sed corpus aliquod subtilissimum intelligere, supra jam ostendimus. Nec Deum eos materiae expertem credidisse, vel inde patet, quod eum mox pro igne, mox pro aethere, habuerint. CICERO de Zenone, Stoicorum principe, verba faciens, *atque hic eadem*, inquit, *alio loco aethera Deum dicit esse, si intelligi potest nihil sentiens Deus, qui nunquam nobis occurrit, neque in precibus, neque in optatis, neque in votis; de nat. deor. lib. I. cap. XIV.* Quo sensu & capiendum, quod DIOGENES LAERTIUS docet, ab Antipatro Tyrio, τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ κόσμου, seu *partem principalem mundi* esse τὸν αἰθέρα, *aetherem*, in *Zenone*, seu *libro VII. sect. CXXXIX.* Rursus idem, de quo ante diximus, Zeno, auctore iterum CICERONE, *naturam* (hoc est Deum) ita definit, ut eam dicat *ignem esse artificiosum ad gignendum progredientem via;* de *natur. deor. libr. II. cap. XXII.* Idque ipse JUSTUS LIPSIUS, magnus Stoicorum defensor & admirator, negare nequit, quippe qui, dum eadem CICERONIS & similia DIOGENIS LAERTII verba recitasset, addit: *Quare ignem? quia Stoici vim & vitam omnem mundi atque ipsum adeo Deum in igne ponebant, immo Deum esse. Sed ignem non quemcunque, non huncce nostrum corruptorem & corruptibilem, sed artificiosum, id est, artificem atque opificem, condentem ratione & velut arte, vegetantem ac servantem; physiolog. Stoicor. libr. I. dissertat. VI. pag.* 12. *seqq.* Quo pacto tum haec, quod Deum mox aetherem, mox ignem vocant, tum reliqua, quae de eo enuntiant, ἀσύστατα prorsus atque ἀσύμφωνα, inter se, conciliari queant, videant, qui Stoicorum in se patrocinium suscipiunt. Nobis sufficit, quod inde pateat, non aliud, quam materiale rerum omnium principium eos admisisse. Idque & inde manifestum est, quod animam hominis, quam Dei particulam esse existimant,

materialem eſſe credant, uti ſupra obſervatum. Haec vero omnia quam inepta, quamve indigna iis ſint, qui Philoſophi videri volunt, nemo non intelligit. Rerum omnium, quas in hocce univerſo videmus, natura atque indoles neceſſario cauſam quandam, ſumma ſapientia, potentia & libertate praeditam, requirit. Hanc qui non admittit, & nihiloſecius effectuum, qui in natura occurrunt, rationem reddere annititur, nihil aliud agit, quam ut mentis imbecillitatem prodat. Quis vero de iſto Stoicorum principio, neceſſario non tantum vinculo cum materia conjuncto, ſed & ipſo materiali, ſibi iſtud perſuadeat? Materiam cogitationis, adeoque nec cognitionis, multo minus ſapientiae ac libertatis, capacem non eſſe, ſaepius jam monuimus. Quae itaque effectuum, qui oculis noſtris quotidie obverſantur, cauſa? Nec eſt, quod quemquam moveat, Stoicos docere, mundum initium habuiſſe, habiturumque finem, itemque ſubinde de δημιουργοῦ ſeu conditore quodam mundi, loqui. Initium enim finemque mundi ita capiebant, ut infinitam mundorum ſucceſſionem admitterent, mundoque per exuſtionem deſtructo, σπερματικοὺς λόγους, quos vocabant, remanere, ex quibus novus naſceretur. Et de iſta mundi ex rationibus ſeminalibus generatione, etiam creatio mundi ex iſtorum mente eſt accipienda. Luculenter hoc exprimit DIOGENES LAERTIUS, de Deo ex Stoicorum mente ita loquens: ὃς δὴ ἄφθαρτός ἐςι καὶ ἀγέννητος, δημιουργὸς ὢν τῆς διακοσμήσεως, κατὰ χρόνων ποιὰς περιόδους, ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν οὐσίαν, καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτοῦ γεννῶν, *qui & incorruptibilis & ingenitus ſit, opiſex tanti operis & ornamenti, per temporum certos circuitus in ſe ipſum omnem ſubſtantiam conſumens, & eam rurſus ex ſe ipſo gignens; in Zenone ſive lib. VII. ſect. CXXXVII.* Haec vero omnia ita comparata ſunt, ut & gratis a Stoicis aſſumantur, & ſua futilitate corruant. Per λόγον enim σπερματικὸν aut Deum, aut aliud quid, intelligunt. Si Deum ipſum, (quae omnino illorum eſt ſententia) neſciunt, quid dicant, cum hoc ipſo ens, quod perfectiſſimum ſimulque imperfectiſſimum ſit, admittere, hoc eſt, pugnantia ſecum loqui cogantur. Sin aliud quid? quaeſtio rurſus, quidnam illud ſit, & qua ratione vitam, motum & reliqua, quae in rebus creatis conſpicimus, in hominibus vero etiam cogitationem, cognitionem, ſapientiam, libertatem efficere queat, exurgit, cum haec omnia ſummam, infinitam, liberrimamque potentiam ſupponant. Cuncta vero tandem apud Stoicos ad fatum aliquod redeunt, cujus inevitabili neceſſitati omnia, ipſe etiam Deus, obnoxia ſint. Eos omnia omnino, ipſumque adeo etiam Deum, fati legibus ſubjeciſſe, variis teſtimoniis comprobare poſſem, ſed ſufficiat unicum illud M. AURELII ANTONINI: Πάντα ἀλλήλοις, ἐπιπλέκεται καὶ ἡ σύνδεσις ἱερὰ, καὶ σχεδόν τι οὐδὲν ἀλλότριον ἄλλο ἄλλῳ. συγκατατέτακται γὰρ καὶ συγκοσμεῖ τὸν αὐτὸν κόσμον. Κόσμος τε γὰρ εἷς διὰ ἁπάντων, καὶ θεὸς εἷς διὰ πάντων, καὶ οὐσία μία καὶ νόμος εἷς. Λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοερῶν ζώων καὶ ἀλήθεια μία· *Omnia ſunt inter ſe com-*

complexa ſacro nodo, neque quidquam ab altero eſt alterum: ordine enim omnia certo diſpoſita, unum eundemque mundum exornant, Mundus ex omnibus conſtat unus, unusque per omnia diffuſus eſt Deus, una natura, una lex, una ratio communis omnibus ratione praeditis animantibus, una veritas; de ſe ipſo ad ſe ipſum libr. VII. §. VII. Hic fati immutabilem & indeclinabilem neceſſitatem *ſacri nodi* nomine, referendo ſe ad nodum Herculis, vel Jovis catenam, Homero memoratam, deſignat. Rex vero indicaturus, quae ſacro hoc nodo colligatae inter ſe atque connexae ſint, adeoque ineluctabili Fati neceſſitati obnoxiae, Deum, ceterasque mundi partes, nominat. Obſervatum id mihi jam in *diſſertat. III. de errorib. Stoicor. in Philoſophia morali* §. *VII.* in *analect. hiſt. Philoſ. p.* 178. ubi & plura hac de re dixi. Jam vero, ſi quaeras, quidnam itaque iſtud fatum ſit? nihil aliud reſponderi poteſt, quam ipſosmet hoc non poſſe explicare Stoicos, adeoque, dum ſemper fatum crepant, eos tamen revera, quid dicant, quidve ea voce ſibi velint, neſcire. Si enim vel maxime reſpondeas, eſt ineluctabilis neceſſitas, eſt inevitabilis ordo, niſi cauſam ſimul adferas, unde neceſſitas illa, unde evitabilis ordo proveniat, nihil capio, nihil intelligo; vocemque ſaltem audio, cujus ſonus aurem verberat, ſed, quae in mente, quod capere queam, nihil producit. Ipſi etiam hac in re adeo ſibi non conſtabant Stoici, ut quidam fatum a Deo diſtinguerent; alii autem, fatum & Deum, unum idemque eſſe, traderent. DIOGENES LAERTIUS inter illorum dogmata hoc quoque refert: *ἕν τε εἶναι θεὸν, καὶ νοῦν, καὶ εἱμαρμένην καὶ Δία, πολλαῖς τε ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι· Unum quoque Deum eſſe, & mentem & fatum & Jovem, multisque aliis appellari nominibus; libr. VII. ſect. CXXXVI.* Quod & CICERO confirmat, de Chryſippo verba faciens: *Idemque etiam legis perpetuae & aeternae vim, quae quaſi lux vitae & magiſtra officiorum ſit, Jovem dicit eſſe; eandemque fatalem neceſſitatem appellat, ſempiternam rerum futurarum veritatem;* de *nat. deor. lib. I. cap. XV.* Plura non addo, cum haec, quae diximus, ad profligandas Stoici Atheismi ineptias ſufficiant. (249)

(249) *Diffiteri non licet,* Stoicos *aliquando de* Fato *ita locutos fuiſſe, ut ſano ſenſu ipſorum verba magnam partem intelligi poſſint de Decreto Dei immutabili. Sic* Seneca *de Providentia Cap.* 5. eadem neceſſitas & Deos alligat, ac irrevocabilis divina pariter atque humana curſus vehit. Ille ipſe omnium Conditor ac Rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur; ſemper paret, ſemel juſſit. *Haec* pleraque *vera ſunt in ſyſtemate Orthodoxorum apud Reformatos; poſito, quod Deus ſemel condiderit ob ſapientiſſimas ſanctiſſimasque rationes decretum ſuum, verum eſt, quod ſic* ſemel juſſerit, *ipſe* ſemper paret, *hoc eſt, conſtantiſſime in illo decreto perſeverat; ſic neceſſitas Deum alligat,* neceſſitas, *ſcilicet,* moralis, *cum Dei voluntas ſeſe extendit tantum*

 ad

ad id, quod Ipſius perfectionibus, adeoque Ejus ſapientiae & conſtantiae eſt conveniens; neque vel minima poenitentiae aut mutationis umbra in Deo habere poteſt locum. Aſt dudum obſervarunt Viri docti, Stoicorum *verbis nullo modo eſſe fidendum; uti etiam* Seneca *variis in locis ludit ambiguitate vocabuli* Deus. *Praeterea nullo modo admitti poteſt, quod* eadem *neceſſitas Deum alliget, idemque* curſus irrevocabilis divina pariter vehat atque humana: *ſic enim neceſſitas quaedam* communis *admittitur, quae, extra Deum quaerenda, Ipſum inevitabili ratione determinat, nec ullum ei relinquit reſiſtendi locum; ſic Deus vult, quod fatum jubet. Quid vero voluerit* Seneca *per verba:* ſemel juſſit, *vix intelligitur, uti etiam* de fati origine *altum eſt apud Stoicos ſilentium; & tamen, ubi neceſſitas imponitur, cauſa imponens eſſe debet; & ubicunque datur ordo, etiam aliquid adſit neceſſe eſt, quod iſtum ordinem conſtituit. Conf.* Bruckerus *in Hiſt. Crit. Philoſ. Tom. I. pag.* 930. *ſeq. nec non ea, quae ſupra notavit Cl. Auctor Cap.* 1. §. 18.

§. V.

Non minus vero illi mentis ſummam imbecillitatem produnt, qui mundum huncce ex fortuito atomorum concurſu coaluiſſe, ſibi perſuadent. Praeterquam enim, quod fruſtra atomorum ſeu materiae aeternitatem ſupponant, motus quoque, quem atomis tribuunt, cauſam rationemque expedire nequeant, ſumma illa, quae & in toto hocce univerſo, & in ſingulis rebus creatis, artificis, infinita potentia praediti, conſpicitur ſapientia, non permittit, ut aliquis, niſi mente omni & ratione deſtitutus, fortuito atomorum concurſui iſta tribuere queat. * Materiam vero vita quadam naturali & vi plaſtica inſtructam fingere, nihil aliud eſt, quam commenta commentis cumulare, & talia aſſerere, quae neutiquam ſecum conſiſtere poſſunt. ** Quae omnia qui paulo accuratius ſecum expenderit, facile, quam lubrica & *Epicuraei* & *Stratonici Atheismi* fundamenta ſint, intelliget.

* Primum Epicuraei Atheismi fundamentum eſt, atomos ſemper extitiſſe. Hoc vero cum ex fundamento generali Atheismi dogmatici, de aeternitate

nitate & existentia necessaria materiae fluat, quod jam ad §. *II.* hujus capitis ex instituto destruximus, ut hic aliquid addamus, necesse non est. Alterum est, quod materiae motum tribuunt. Sed unde hicce motus? Si Deum materiae pariter & motus auctorem, conditoremque, admittere nolis, nihil aliud superest, quam ut dicas, motum materiae esse essentialem. At hoc quam absurdum sit, itidem supra jam demonstratum ad *cap. V.* §. *III.* Rationibus saltem ibi jam allatis & hanc addo: si motus materiae essentialis esset, a libere agentibus varie produci & destrui non posset. Quod qui per hypothesin de eadem motus quantitate, quae perpetuo in hocce mundo conservetur, elidere cupiunt, commenta saltem atque fabulas nobis narrant. (250) Epicurus equidem viam hinc se expediendi sibi invenisse visus est, dum pondus atomis tribuit, cujus vi deorsum in infinito inani ferantur. At hoc perinde est, ac si nullam motus causam reddidisset. Cum enim pondus, quod atomis tribuit, quacunque demum ratione consideretur, gravitatem, adeoque qualitatem quandam, qua deorsum corpora tendunt, denotet, quaestio rursus, unde eam habeant, recurrit. Ad quam si respondere velit, aut causam quandam indicet, aut ignorantiam fateatur, necesse est. (251) Ne quid de eo dicam, quod absurdum prorsus sit, in spatio infinito plagam sibi superiorem concipere, quod jam ipse TULLIUS monuit *libr. I. de finibus cap. VI.* Et haec quidem ad destruendum, penitusque evertendum, Epicuri systema sufficere possent. Ut tamen eo magis adhuc, quam infirmis lubricisque fundamentis innitatur, pateat, reliqua etiam prosequi, & paucis perstringere juvabit. Cum ipsemet Epicurus videret, per motum atomorum perpendicularem eas in corpuscula & moleculas majores coalescere non posse, alium insuper motum, quem *declinationis* vocat, excogitavit; uti supra ad *cap. III.* §. *IX.* nobis observatum. Sed unde motus hicce declinationis proveniat, quaeve ejus causa sit, non explicuit. Si quidlibet fingere liceat, haud difficile fuerit, ex quolibet facere quidlibet. Quod ut in Poëtis forte toleraveris, Philosopho tamen indignum esse, nemo non intelligit. Agnovit hoc itidem CICERO, *loc. cit.* contra confictum illum motum declinationis disputans. Quodsi & hoc Epicuro concedatur, dari ejusmodi motum declinationis (quamvis nullo modo concedendum sit) nec sic tamen, quod cupit, obtinebit. Etenim si proportio vacui infiniti ad atomorum quantitatem consideretur, evidenter demonstrari potest, particulas seu atomos tantis a se invicem remotas esse intervallis, ut nunquam se mutuo contingere & in corpuscula majora coalescere potuerint; quod luculenter ostendit RICHARDUS BENTLEJUS, in *stultitia & irrationabil. Atheismi, pag.* 341. *seqq.* Sunt equidem, qui existimant, dilui difficultates omnes, quibus Epicuri systema premitur, posse, si cum recentioribus quibusdam, *motus attractionis* statuatur. (252) Verum, si vel maxime *motus*

 ejus-

ejusmodi *attractionis* admittatur, ille tamen non erit proprius aut essentialis materiae, sed ab arbitrio ejus dependebit, qui naturae leges sancivit. Materia enim in se spectata mere passiva est, &, uti nec alium quemcunque, ita nec motum attractionis efficere potest. Multo minus motus regularis, fixus, uniformis, certis, iisque constantissimis legibus circumscriptus, qualis motus attractionis ex mente illorum est, qui eum supponunt, a sola materia, absque omni alia causa efficienti proficisci potest. Mitto reliqua, quae contra motum attractionis a Viris doctis disputata sunt, speciatim a RICHARDO BENTLEJO *loc. cit. pag.* 253. & 359. Cuncta vero tandem in Epicuraeorum schola eo redeunt, posito motu qualicunque, casu fortuito, per atomorum concursum, combinationem, nexus varios, totum hocce universum, & omnia in eo corpora, magna pariter ac parva, exorta esse. Hoc vero uti ex solo atomorum motu, si vel maxime is concedatur, nulla ratione fieri potuit, ita ordo concinnus, qui in hocce universo conspicitur, & admirabilis, pulcherrimaque, & ad certum finem sapientissime accommodata, corporum singulorum structura, quam *capite praecedenti* pluribus explicavimus, casui fortuito nullo modo tribui potest. Enimvero, si quis Iliada Homeri, & Virgilii libros Aeneidos, ex litterarum fortuita quadam combinatione originem accepisse, sibi aliisque persuadere vellet, hunc insanum esse, atque ratione destitutum, omnes una voce pronuntiaturi essent. Quis enim crederet, tot voces, tot versus, sensum aptissimum fundentes, & justo ordine atque nexu concinno integrum poëmatis corpus exhibentes, ita casu fortuito coire potuisse? *Hic ego non mirer*, recte inquit CICERO, *esse quenquam, qui sibi persuadeat, corpora quaedam solida atque individua, vi & gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum & pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita: Hoc qui existimat, fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius & viginti formae litterarum, vel aureae, vel qualeslibet aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis, annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici; quod nescio, anne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna; de natura deorum libr. II. cap.* XXXVII. Pari ratione, si quis concentum suavissimum instrumentorum musicorum audiret, aut statuam vel picturam, summo artificio confectam, conspiceret, sibique aut aliis persuadere vellet, fortuito contigisse casu, ut tam apte, tamque concinne diversi isti sonus ad harmoniam suavissimam efficiendam inter se consentirent, aut statuam istam vel picturam longe pulcherrimam sua sponte sine ulla artificis manu extitisse, nonne is omnium, ratione vel modice utentium, ludibrio se exponeret? Legenda, quae plenius hac de re differit FRANCISCUS DE SALIGNAC DE LA MOTHE FENELON, de *l'existence de Dieu* §. *V. seqq. p.* 9. *seqq.* Cumprimis vero observandum, quod semper una eademque ratione, ordineque perpetuo & constanti fit, id

non

non posse dici, quod fiat casu fortuito. (253) Nihil enim magis casui fortuito, quam constans certusque ordo, repugnat. Jam vero quis vel leviter coelestium siderum motum, generationesque plantarum, arborum, animalium, hominum, & reliqua naturae phaenomena considerans, non agnoscat, ordinem in hisce omnibus constantissimum, legesque fixas & immotas deprehendi? quae uti summam & infinitam sapientiam arguunt, ita cum casu fortuito consistere prorsus nequeunt. (254) Ceterum, etsi Epicuraei subinde de casu fortuito loquantur, eique rerum hujus mundi ortum tribuant, simul tamen innuunt, per atomorum conjunctionem, combinationemque variam, mechanica quadam ratione, mundum huncce & omnia in eo corpora extitisse. Qua in re consentientem quodammodo secum habent RENATUM CARTESIUM, eosque, qui ejus Philosophandi rationem sequuntur. Hi namque licet materiam in particulas minutissimas a Deo divisam, certumque motum ei impressum fateantur, reliqua omnia tamen mechanica quadam ratione extitisse, contendunt, ut Deo nihil aliud, quam creatio materiae, ejusque in partes divisio, motus productio, & ad certas leges ordinatio, relinquatur. Quae res, quin Atheis longe sit gratissima, dubitari nequit. Cum enim materiam in partes divisam, motumque, (etsi perperam, ut supra demonstratum) supponant, si mechanica quadam ratione, absque supremo Directore cuncta, quae in orbe hocce videmus, existere potuerunt, jam habent, quod volunt. Immo recentiores isti mechanismi defensores ulterius progressi sunt, quam ipsi Epicuraei veteres. Hi enim nunquam asseruerunt, ex motu & conjunctione varia particularum non potuisse non eum, quem videmus, mundum cum singulis corporibus oriri, sed post varios eosque saepissime irritos materiae conatus, & combinationes atomorum ineptas, & frustraneas, tandem in infinito temporis spatio eam plurimorum corpusculorum conjunctionem casu fortuito contigisse, ex qua mundus hicce ortus sit. Recentiores contra mechanismi assertores eam sibi rationem invenisse visi sunt, qua posito materiae motu, non potuerit non mundus hicce cum omnibus, quae in eo conspicimus, corporibus, oriri. Qua in re tamen quantopere fallantur, res ipsa docet, cum per solas leges mechanicas phaenomenorum naturalium nullo modo reddere rationes queant; quod in compendio ostendit JOANNES RAYUS, in *existentia & sapientia Dei manifestata in operibus creationis part. I. pag.* 33. *seqq.* Jungenda &, quae contra Cartesium disputat SAM. PARKERUS, de *Deo & providentia, disputat. III. sect. XXI. pag.* 307. *seqq.* (255) Sed ad Epicurum ut redeamus, quam lubrico atque infirmo fundamento Atheismi ejus systema nitatur, vel inde patet, quod ad naturae phaenomena explicanda talia subinde assumere cogatur, quibus suamet ipse principia evertit. Sic dum fortuito atomorum concursui animalium ortum tribuere ausus non est, eo potissimum inductus argumento, quod alias

alias ex quolibet fieri poſſit quidlibet, ea ex ſeminibus in uteris terrenis antea formatis, enata fuiſſe, ſtatuit; vide T. LUCRETIUS CARUS, *libr. II. verſ.* 699. Sed unde ſemina iſta? Aut diſcrimen aliquod inter ſemina & reliqua corpora intercedit, aut non intercedit. Si non intercedit, cur ſemina ſtatuit? aut cur non ex quolibet corpore quidlibet aliud oriri poteſt? Si intercedit, in quonam iſtud conſiſtit, & unde oritur? Pari ratione, cum cognitionem per εἰδώλων ἔμπτωσιν fieri ſtatuat, neceſſe eſt, fateatur, omnem animae cogitationem mera paſſione, adeoque ſenſatione quadam, abſolvi. Haec vero cum erroris & falſi judicii expers ſit, Epicurus, ut hinc ſe expediat, errorem ex animi opinatu oriri poſſe, dixit, qui aliquid ei, quod a ſimulacris repraeſentatum erat, addat. Qua in re rurſus aperte ſibi contradicit, aſſerendo, cogitationem ſimulacrorum ἐμπτώσει contingere, adeoque animam mere paſſive ſe habere, & nihiloſecius gaudere facultate, opinatu ſuo ſimulacrorum repraeſentationi aliquid addendi, hoc eſt, ſimul aliquid agere. Explicaturus praeterea, qua ratione fiat, ut, quod volumus, cogitemus? a converſione mentis id pendere putat, quae pro arbitrio huc & illuc ſe flectat. Quo ipſo revera voluntati facultatem ſe ipſam movendi tribuit, quod cum ejus materialitate nullo modo conſiſtere poteſt. Mitto reliqua, in quibus Epicurus, & qui ex ejus ſchola prodierunt, non poſſunt non pugnantia ſecum aſſerere. Id ſaltem addo, cum πρῶτον ψεῦδος Atheiſmi Epicuraei ſit, praeter inane & atomos nihil eſſe, adeoque nullos dari ſpiritus, ipſam mentis noſtrae conſiderationem, ad huncce Atheiſmum penitus conficiendum, efficaciſſimum argumentum ſuppeditare. Qua de re cum jam *cap. praeced.* §. *VII.* ex inſtituto dictum ſit, ea ut hic repetamus, neceſſe non eſt.

(250) *Dudum obſervatum fuit a* Leibnitio *in Act. Erud. Lipſ. A.* 1686. *pag.* 161. *ſeqq. A.* 1690. *pag.* 234. *ſeqq. A.* 1691. *pag.* 6. *ſeqq. erraſſe* Carteſium *Princ. Part.* 2. §. 36. *ſtatuentem, eandem ſemper* motus quantitatem *manere in hocce univerſo; quod ex aliis principiis demonſtravit* Newtonus *Optic. Lib.* 3. *quaeſt. ult. pag. m.* 405. *ſeqq. Verum cenſuit* Leibnitius, *eandem conſervari* quantitatem virium motricium, *quae computantur ex multiplicatione maſſae motae in quadratum velocitatis; dum quantitas motus eſt proportionalis producto ex maſſa mota in velocitatem ipſam. Exceptio igitur, quam ſibi format Cl. Auctor nomine Atheorum, huc redit; nullum argumentum peti poteſt, quo evincatur, motum materiae non eſſe eſſentialem, ex eo,* quod a libere agentibus varie produci & deſtrui queat; *quale quid non haberet locum, ſi ad eſſentiam materiae pertineret: quippe non novus, inquient, excitatur motus, nec jam exiſtens deſtruitur; ſed, cum eadem maneat motus quantitas, tantum ex uno corpore in aliud transfunditur, vel, jam exiſtens, novas accipit determinationes.*

Verum

Verumtamen, si vel concedere vellemus, eandem manere motus quantitatem (quod minime concedendum puto) nullius pretii tamen foret haec exceptio; quia essentiales *corporum qualitates ex uno in alterum transire nequeunt; & licet aliunde sit certissimum, motum materiae essentialem non esse, (uti supra* n. 163. *constitit) sed esse* accidentale quid, *non tamen clare concipimus, an & quomodo ex uno corpore in aliud transeat, cum comparatio institui non possit inter* motum *& inter* calorem, *qui, tanquam modus accidentalis, ex uno corpore in aliud quasi* transfunditur.

(251) *Gravitas inter corporum* proprietates universales *ad summum numeranda, non vero inter eorundem* attributa essentialia, *aeque ac motus causam habere debet externam; quippe per gravitatem proprie dictam (quatenus a qualicunque* Attractione *potest distingui) corpora descendunt, vel, si impediantur, descendere nituntur versus determinatum aliquod centrum; corpora terrestria versus centrum Telluris, corpora Lunaria versus centrum Lunae, corpora totius systematis nostri Planetarii versus centrum Solis, Planetae secundarii & versus centra Planetarum suorum primariorum, &, una cum iis, versus solem, tanquam commune centrum. Nisus hicce nequaquam profluit ex natura ipsorum corporum; sed debet esse causa dirigens ad illa potius determinata centra, quam ad alia loca in hocce universo; quae per ultimam analysin nulla alia esse potest, praeter causam primam, necessario & naturae suae efficaciâ existentem. Nihil certe lucrarentur fingendo, nisum huncce oriri per materiae alicujus subtilissimae impulsum; nam, licet existentiam talis materiae aethereae penitus negare non audeam, quaestio tamen rediret, quaenam causa efficiat, ut illa materia potius versus determinata illa centra pellat corpora cum terrestria, tum coelestia, quam aliorsum; ut taceam alias difficultates, quae, contra gravitatis ortum ex impulsu externo, dudum ab aliis fuerunt motae; inter quas praecipua est, quod sic gravitas proportionalis foret superficiebus, in quas materia impellens agit, non vero quantitatibus materiae.*

Nulla igitur fuit ratio, ob quam versus unum aliquod centrum pellerentur Atomi per spatium inane & infinitum volitantes; & si vel per motum quarundam obliquum coälescerent, nulla erat ratio, ob quam coalescerent in globos; &, si vel coaluerint in globos, nulla est ratio, ob quam E. Gr. Sol subsederit constitueritque in determinato spatii infiniti loco, sed non potius in eadem directione, in qua antea movebantur coalescentes Atomi, perrexerit. Quin imo! cur etiam nunc per nisum illum non coalescunt Atomi, formantque novos globos; cum nulla sit ratio, ob quam non pergerent, rectâ atque obliquâ via progrediendo, in se invicem incurrendo, uncinulisque suis sese implicando;

do; cumque minime exhaustum haberi possit infinitum illud Atomorum aerarium, & perpetuo tenore invariato debeant properare versus eandem plagam, quam ante infinita seculorum millia petierunt.

(252) *Licet Attractio Newtoniana, (quae hic unice in censum venit, qua corpuscula minima, quando sibi mutuo prope admoventur, ad se invicem accedunt, & in ipso contactu sibi adhaerescunt) differre videatur a gravitate, nisi illam generalius definiamus tanquam vim qualemcunque, qua duo corpora ad se invicem tendunt, est tamen proprietas, quae ex corporum essentia non fluit, sive ex impulsu externo oriatur, sive corporibus sit superaddita, vel insita. Possumus duo corpuscula concipere in exigua admodum distantia a se invicem constituta, quae tamen ad se mutuo non accedunt, neque etiam recedunt per repulsionem. Per experientiam detegimus, in ipso particularum contactu hanc vim esse admodum magnam, & subito decrescere, ita ut ad distantiam quam minimam, quae sub sensus cadit, non agat; imo etiam ad majorem distantiam mutetur in vim repellentem, qua particulae sese mutuo quasi fugiunt (vid.* s'Gravesande *in Elem. Phys. Mathem.* §. 73. *seqq.) Verum de hisce nihil a priori ex consideratione ipsius essentiae corporis innotescit: quis igitur hancce vim corpusculis minimis indidit? quis efficit, ut in variis corporibus varium ederet effectum, utque in ipso contactu esset omnium maxima, dein subito decresceret, non in inversa ratione quadratorum distantiae a centro, veluti gravitas, sed in longe altiori ratione, usque dum illico mutetur in vim repellentem? phaenomena haecce sunt indubia & generalia, de quorum causis proximis nunc non disputamus: sed ponamus, vires hasce materiae particulis esse essentiales, & jure summo quaerere licebit, cur non atomi, etiam adhucdum volitantes, & talibus virtutibus conspicuae, coalescant in novos globos, sive majores, sive minores, cum nulla sit ratio, cur in moles Telluri, Jovi, vel Soli Siriove aequales concrescerent? cur non globos jam existentes continuo augeant, graviores reddant, & tandem decidere faciant in Solem? cur globi, qui sic fortuito casu concreverunt, in orbitis ellipticis fuerunt agitati ordinatissimo illo modo, quo quadrata temporum periodicorum cubis distantiarum mediarum a centris suis sunt proportionalia, dum alii in ipsis illis centris substiterunt immoti? Cur accumulatae illae massae sibique invicem agglutinatae circa axes suos volvuntur motu aequabilissimo?*

(253) *In ratiociniis illis & comparationibus, quas Cl. Auctor ex* Cicerone *protulit, quaeque plenius exposuit* Parkerus *de Deo Disp. III. Sect.* 3—14. Reimarus *l. c.* 2de *Verh.* §. 8. *seqq.* Boscovich *Theor. Philos. Nat.* §. 530. *seqq. acquiescere noluit Auctor* Cogitationum Philosophicarum (Pensées Philosophiques) §. 21, *qui tamen fortassis inter*

inter Atheos numerari nollet; responderi, scilicet, ex illius opinione, posset, secundum leges, quae in sorte obtinent, mirum non esse, rem contingere, quae possibilis est, cum exigua probabilitas eventus compensetur per numerum maximum jactuum. Numero finito formarum Alphabeticarum, utut magno, tot jactus fieri possunt, ut unus ex omnibus, qui dabiles sunt, conspiciendum praebeat opus Homeri, Ennii, *vel* Virgilii. *Inter casus* dabiles *procul dubio est unus ille, quo E. Gr. opus* Ennii *prodit; si dabilis non esset, etiam ita disponi formae non potuissent studio ipsius Poetae. Sic centies mille tesserae ita* possunt *in tabulam projici, ut centies mille puncta & non plura acquirantur, quia hic casus est aeque dabilis ac omnes reliqui; probabilitas est exigua, sed numerus jactuum adeo ingens esse potest, ut eo probabilitatis tenuitas compensetur. Si igitur Atomi ab omni aeternitate fuissent motae, post numero infinitos jactus oriri potuit hicce Mundus, cum illa dispositio, quae in mundo obtinet, sit casus dabilis, uti per actualem ejus existentiam manifestum est. Ingeniosa videtur haec responsio, quam evidentiorem reddidi & efficaciorem, ne de injuria sibi allata quaeri posset acutissimus Auctor; attamen observandum* 1°. *ad mundi constitutionem non simplicem & superficialem requiri dispositionem partium, sed ordinationem in longum, latum & profundum; rectae lineae in uno plano sunt infinitae, plana infinita sunt in spatio infinito; adeoque numerus dispositionum possibilium pro quolibet puncto materiae seu pro qualibet atomo, caeteris manentibus, est infinitus.* 2°. *Non simplicem esse Machinam mundanam, sed eandem ex innumeris aliis Machinulis artificiosissimis esse compositam, quae omnes eodem modo ex fortuito casu debuissent esse enatae; hinc valde minuitur numerus jactuum in relatione ad omnes eventus, per quos quasi innumeri mundi fuerunt exorti, qui ordine & pulcritudine inter se certant; cum quodlibet insectum, quaelibet herbula spectari debeat tanquam eventus, qui simili modo prodiit, quo recentiores Epicuraei somniant, mundum fuisse enatum.* 3°. *Ponamus primo jactu, qui, post innumeros inutiles eventuque carentes, feliciter cessit, Solem, Ex Gr. fuisse exortum, & forte fortunâ substitisse in illa parte spatii infiniti, in qua nunc conspicitur (licet nulla sit ratio, ob quam in eo loco commoratus fuerit; cum nulla in systemate Epicuraeo supponi possint gravitatis centra, adeoque corpus hocce ingens post suam nativitatem moveri pergeret versus illam plagam, ad quam tendunt omnes Atomi) ponamus, motum reliquarum non cessare, postquam Sol ex quibusdam concrevit, (quod certe statui debet, cum numero infinitae Atomi per infinita spatia ab omni aeternitate fuerint vagatae) & fieri non potuit, quin aliae Atomi in solem incurrerent, eumque loco suo turbarent, vel continuo augerent ejus molem. Si centies mille tesseris, post innumera tentamina fructu carentia, acquisiverim centies mille puncta, illius eventus*

nulla supererit memoria, si tesserae illae continuo novos & iterum novos patiantur impulsus ab aliis tesseris insequentibus, & eadem velocitate projectis. Conf. les Pensées raisonnables opposées aux Pensées Philosophiques *pag.* 88—93. Pensées Chretiennes *pag.* 65. *suiv.* & Reflexions sur les Pensées Philosophiques. *pag.* 234. *suiv. quae tamen omnia scripta nequaquam ejusdem sunt ponderis. Vid. quoque ea, quae supra ad hanc §. notavi.* n. 252.

(254) *In genere circa* casum fortuitum, Fortunam, *similesque denominationes observandum, illas nihil esse, praeter asyla ignorantiae; si homines hac non laborarent circa corporum motus, motuum leges & qualescunque eventuum circumstantias & causas, nullus obtineret* casus, *nullus* eventus fortuitus. *Quando quis effectum aliquem* Fortunae *tribuit, non negat, eundem pendere a causa, quae rationem istius effectus sufficientem in se continet; id unum declarat, se vel causam ignorare, vel se ejus effectum & modum operandi non praevidisse. Si quis* casum *invocet in operationibus rerum inanimatarum, fatetur eo ipso, leges mechanicas sibi non satis esse exploratas, vel talem fuisse rerum causarumque naturalium concursum, quem non praeviderat; quoniam nimium complicatae sunt leges, & circumstantiae, per quas talia phaenomena fuerunt nata. Sic* casu *primo jactu tribus tesseris acquirimus* octodecim *puncta, licet nihil reperiatur in isto eventu, quod legibus motus non est conveniens, sive respiciamus ad situm tesserarum in manu projicientis, sive ad impetum, quo projiciuntur, sive ad resistentiam tabulae, in quam projiciuntur, sive denique ad conformationem ipsarum tesserarum: neque aliquis, cui sana in pectore mens habitat, serio putabit, se alicujus eventus originem exposuisse, provocando* ad fortuitum casum.

(255) *Paulo iniquius agit Cl. Auctor cum* Cartesio *ejusque Asseclis,* Parkerum, *eruditum, sed acerbissimum Viri vere magni adversarium, presso nimium pede secutus; non video, quo colore dici possit,* recentiores illos mechanismi defensores (Cartesium *innuit, ejusque in hac parte sequaces*) ulterius progressos fuisse, quam ipsi Epicuraei Veteres: *licet enim minime probem Fabulam Romanensem, a* Cartesio, *ut hujus mundi genesin explicaret, excogitatam, & pro sua Sagacitate exornatam; ingentem tamen reperio inter* Cartesium *& inter* Epicurum *differentiam, quemadmodum cuilibet in oculos incurrit, qui, sepositis praejudiciis,* Cartesii *scripta legit. Ex Gr. Princ. Part.* 3. §. 45. *agnoscit,* Mundum a Deo creatum fuisse cum omni sua perfectione; *agnoscit Part.* 4. §. 204. non dubium esse, quin summus rerum Opifex omnia illa, quae videmus, pluribus diversis modis potuerit efficere: &, *ne quis suas hypotheses, seu ingenii*

lusus

tusus impugnaret, tanquam Historiae Mosaicae creationis non satis congruos, dicit expresse in initio istius §. 204. At quamvis forte hoc pacto intelligatur, quomodo res omnes naturales fieri potuerint, non tamen ideo concludi debet, ipsas revera sic factas esse. *Ubique agnoscit* Cartesius *existentiam Dei, ubique Eum considerat tanquam Creatorem hujus Universi, tanquam Divisorem materiae in particulas varii ordinis, &c. Vid. Princ. Part.* 3. §. 46. *seq.* §. 85. *& alia loca; nec opus est, ut plura congeram, cum ipse Cl.* Buddeus *id non diffiteatur.*

** Ex iis, quae supra ad *cap. I.* §. *XVI. & cap. II.* §. *IX.* diximus, constat, systema Stratonis in quibusdam ab eo differre. Quod itaque ad ea attinet, in quibus uterque consentit, materiam in particulas infinitas discerptam semper extitisse, & ex illarum particularum concursu fortuito totum hocce universum ortum esse, quo loco habenda sint, jam ex dictis constat; cum, quae contra Epicurum disputavimus, etiam contra Stratonem valeant. Supersunt itaque, quae Stratoni propria sunt, quorum praecipuum fundamentum in eo consistit, vitam quandam plasticam materiae esse essentialem. Hac enim ratione, qui Stratonicam hancce Philosophandi rationem sequuntur, se difficultates, quibus Epicuraei premuntur, superare, & non tantum vitae sensusque in animalibus, sed & motus qualemcunque rationem reddere posse existimant. Verum si omnia paulo accuratius consideremus, vulgatum illud: incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdin, & hic obtinere videbimus. Primo enim gratis hoc sibi sumunt, materiae vitam plasticam essentialem esse. Hoc probandum prius, & rationibus luculentis evincendum erat, quam totius Philosophiae aedificium eidem superstrueretur. Deinde, supra jam monuimus, utcunque materia consideretur, nihil aliud, quam extensionem, divisibilitatem, facultatemque recipiendi motum & figuras varias, in ea deprehendi. Vitam vero plasticam in materia, in se spectata, nemo inveniet. (256) Immo cum ne motus quidem materiae essentialis sit, uti supra luculenter demonstravimus, quis sibi persuadeat, eam vita quadam & virtute plastica instructam esse? Quodsi vel maxime concedamus (quod tamen sine summa absurditate concedi nequit) materiam ejusmodi vita plastica gaudere, hanc tamen a sensu animali & cogitatione reflexa diversam esse, nec ipsi, ut puto, Stratonicae hypotheseos fautores abnuent. Unde rursus quaestio oritur, unde itaque in animantibus sensus? & in hominibus cogitatio reflexa? Si dicant, vitam illam, vimque plasticam diversimode pro organorum diversitate sese exercere, ignorantiam suam stultitiamque prodent, cum per modificationem per organa factam nihil, quod cum materia nullum plane nexum habet, produci queat. Praeterea, qui vitam plasticam materiae tribuunt, eam facultate admira-

mirabili naturae motus dirigendi, & talia efficiendi, quae summam sapientiam arguunt, instructam fateantur, necesse est; quae facultas quo pacto sine cognitione reflexa esse queat, nisi ejusmodi quid a sapientissimo rerum omnium Conditore constitutum dicatur, nemo mortalium cogitatione assequi poterit. (257) Accedit & illud, quod nemo aut explicare, aut mente comprehendere queat, quo pacto ex innumeris atomis, quae vita sua propria & sibi peculiari singulae sint instructae, tales possint existere substantiae, quales sunt homines & animantia reliqua. In quolibet enim homine, & in quolibet animante, immo in quolibet hominis membro & corporis parte, concipiendae essent particulae, quarum quaelibet per se vita propria, sensuque & cognitione, praedita esset. Hoc vero perinde esset, ac si quis integrum exercitum animo concipere vellet, cujus, etsi ex plurimis hominibus constantis, una tamen vita, unus sensus, una cognitio esset. Non sum nescius, morali quadam ratione per pacta, perque consensum, homines inter se uniri posse; qualis voluntatum unio in exercitu, republica, ecclesia, aliisque societatibus conspicitur; sed moralis ista unio diversitatem sensus, intellectus, cognitionis, non tollit, quae in una quadam substantia Physica, unico intellectu, sensu unico, unicave voluntate praedita, locum habere nequit. Mitto reliqua, quae contra hanc sententiam adferri possent, & ab aliis jam allata sunt, speciatim a TITO LUCRETIO CARO, ex instituto contra Stratonicam hancce hypothesin disputante, de *rerum natura lib. II. pag.* 63. *seqq.*

(256) *De* virtute plastica *seu* genitrice, *qualis a* Cudwortho *aliisque recentioribus admittitur, supra ad Cap. V.* §. 8. n. 219. *aliquid notavi; verum vis illa, quae a* Stratone *conficta dicitur, longe alterius est indolis; cum dubium sit, an quidem Deum ab hoc mundo diversum agnoverit, uti supra vidimus Cap.* 1. §. 16. n. 19. *Vix ex Veterum monumentis dijudicare licet, quid de origine hujus mundi senserit, licet satis manifestum sit, eum penitus exclusisse Deum ab hujus Universi fabricâ, & per conjecturam adsequatur* Bruckerus *Hist. Crit. Philos. Tom.* 1. *pag.* 848. *illum existimasse*, cuilibet materiae particulae inesse vim suam propriam, quae pro conditione qualitatum, eam propria virtute movere, formare, moderari, sicque substantias, certosque effectus producere potens sit; hanc vero non se excitare ipsam, sed antecedere fortunam, id est, fortuito casu accedere aliquid, quod latentem brutamque hanc virtutem excitet; qua excitata cuncta proprio & interno naturae latentis motu & vi secundum certas proportiones, qualitatibus rerum proprias formari & perfici. *Si haec fuerit vera* Stratonis *sententia, quam ipsi quoque proxime tribuit* Fabricius *Bibl. Graec. Vol. II.*

pag.

pag. 311. *vix operae pretium eſt, ut refutetur: unde enim demonſtrabitur, talem virtutem materiae ineſſe? an non contrarium ex inertia, quae omnibus materiae partibus, ſub ſenſus cadentibus, ineſt, conſtare poteſt? an non externam requireret cauſam, ſi vel materiae adeſſet; cum ex ejus eſſentia non ſequatur? an non inanes ſunt ſine mente ſoni, quando dcitur,* hanc virtutem excitari per fortunam? *quaenam ſunt illae proportiones, & quaenam earundem origo? an ex qualitatibus rerum naſcuntur, & an hae qualitates cum rerum eſſentiis ſunt connexae? ſi ad haſce quaeſtiones, quarum numerus augeri poſſet, reſpondere vellent* Stratonici, *in plurima abſurda inciderent, & figmentis adderent figmenta alia aliis ſtolidiora.*

(257) *Si ſingulis moleculis, ſeu materiae particulis talis vis plaſtica ineſſet, conſpirare & inter ſe conſentire debuiſſent ad hancce artificioſiſſimam Mundi machinam condendam, conſtituendamve; ideoque non tantum vim genitricem, ſed etiam cogitandi facultatem haberent ſingulae, cujus contrarium vidimus ſupra* n. 206. *& demonſtraturus eſt Cl. Auctor Capitis hujus* §. *ſequenti. Quod de tota mundi machina verum eſt, etiam applicari poteſt corporibus vegetabilibus, animalibus, ipſis quoque corporibus humanis, quae ex conſenſu inter haſce moleculas, (quae ſcilicet ſingulae ſuum locum cognoverunt) eâ ratione debuerunt enaſci, ut undique conſpiciantur ſummae ſapientiae, potentiae & beneficentiae documenta. An iſtiusmodi hominum delirantium ſomnia refutari merentur? an talia dogmata unquam ſerio propoſita fuerunt ab iis, qui aliqua juris ſpecie Philoſophorum adfectabant nomen?*

§. VI.

Subſtantiam materialem, quae ſimul cogitet, ſtatuere, deque Deo, ceu ente omnium perfectiſſimo talia aſſerere, quae ſummam imperfectionem involvunt, uti contradictorium, prorſusque ineptum eſt, ita non minus abſonum, unicam tantum ſtatuere ſubſtantiam, cum & ratio & ſenſus, & experientia, plures a ſe invicem diſtinctas, ſeparatasque dari ſubſtantias, quemvis, niſi rerum omnium prorſus ignarus ſit, condoceant. Idque ad deſtruendum, evertendumque penitus *Spinozismum*, ſufficit. *

* Spinozismum, cujus summam *cap. I. §. XXVI.* exhibuimus, non tantum fundamento omni destitui, sed ἄλογον prorsus atque absonum esse, vel inde liquet, quod contradictionibus perpetuis & ineptissimis laboret. Deum enim se admittere, cum Spinoza videri velit, & unicam tamen simul statuat substantiam, necesse est, ut Deum extensum quid, hoc est, ens simplicissimum, simul compositum, & ex partibus innumeris atque infinitis conflatum esse, fateatur. Id vero ejusmodi est, ut nemo mortalium mente comprehendere valeat. Quodsi negent, extensum seu materiam ex partibus innumeris, quarum quaelibet substantiam peculiarem constituat, compositam esse, tum ausu impudentissimo, quae longe sunt evidentissima, impugnabunt. Cum enim, secundum tritum illum Philosophorum canonem, distincta inter se sint, quae diversa praedicata admittunt, ita, ut de altero dici nequeat, quod de altero asseritur, manifestum est, distinctas a se invicem atque plane diversas dari substantias, cum, quod de lapide asseritur, de cane aut bove dici nequeat. (258) Nec est, quod modificationes suas hic nobis opponant. Ratio enim evidentissime docet, modificationes seu modalitates, ut alii vocant, quae secum consistere nequeant, diversa etiam requirere subjecta. Sed hac de re deinceps. Praeterea, cum omnes, qui ideam quandam Dei habent, fateantur, ad eam requiri, ut sit immutabilis, nec ipsi Spinozistae negare queant, si Deus admittendus sit, eum immutabilem fore, absonum iterum est, materiam ipsam pro Deo habere, quae infinitis mutationibus est obnoxia. Cumque per varias materiae mutationes, generationes omnes atque corruptiones fiant, sequetur, Deum ipsum mox bovem, mox canem, mox ranam, mox aliud quid fieri; & quoties animalia ejusmodi occiduntur, moriuntur, destruuntur, Deum ipsi occidi, mori, destrui; immo omnia mortis & suppliciorum genera, quibus homines perimuntur, in Deum ipsum cadere. Quod ejusmodi est, ut non tantum ipsi Gentilium Poëtae unquam absurdius aliquid de Deo non dixerint, sed nec homini febricitanti ineptius quid in mentem venire queat. Sed nondum absurdorum finis est. Cum enim juxta Spinozistas mens hominum sit modificatio essentiae Divinae, dicendum fuerit, non hominem, sed Deum cogitare; adeoque cum homines saepius contraria secumque pugnantia cogitent, sequetur, Deum ipsum nunquam non secum pugnare, & mox hoc, mox aliud, quod priori repugnet, cogitare. Nec est, quod dicant, de ipsa modificatione, non autem de subjecto, vel essentia, hoc esse intelligendum. Hoc enim perinde esset, ac si quis diceret, non hominem, sed cogitationem cogitare, non hominem, sed sermonem ejus loqui; quod puerile prorsus est, atque absurdum. Execrabile vero insuper atque blasphemum est, si quis ad cogitationes, dicta & facta improba, & lege Divina prohibita, ea transferat. Nullum enim erit tam execrabile facinus, nullus tam ne-

nefandus sermo, nulla tam blasphema cogitatio, cujus non ipse Deus auctor censendus sit. Nec enim homo, sed Deus ipse juxta istam Spinozae philosophiam illa perpetrabit, loquetur, cogitabit. Sunt haec ejusmodi, ut non tantum horrenda sint, sed ut ipsis Atheis non possint non longe videri absurdissima. Quantumvis enim hi Deum esse negent, nemo tamen temere ex illis erit, qui non fateatur, si Deus sit, eum longe esse perfectissimum, adeoque contradictorium esse, Deum asserere, qui tot tantisque imbecillitatibus & imperfectionibus sit obnoxius. Legenda, quae hanc in rem disserit PETRUS BAELIUS, *dictionar. histor. crit. voc. Spinoza, pag.* 2777. Sed missis hisce & reliquis ejusdem generis, id cumprimis observandum putamus, perperam omnino dici, cogitationem pariter ac extensionem modificationes esse unius ejusdemque substantiae. Hinc enim sequitur substantiam materialem, qua talem, etiam cogitare posse, quod tamen prorsus est ἀδύνατον. Cum enim in materia nihil aliud, quam extensionem, divisibilitatem, facultatemque, motum, & varias figuras recipiendi, concipere queamus, in hisce omnibus nihil profecto deprehenditur, quod cum cogitatione convenientiam quandam habeat. Cogitare vero est, non tantum res varias percipere, earumque ideas sibi formare, sed ideas quoque hasce inter se comparare, componere, dividere, ratiocinari; neque tantum res fere innumeras, interque eas materia omni ac corpore destitutas, cognoscimus, sed eas nos cognoscere novimus, quod actum mentis reflexum vocare solent. Quocunque itaque nunc modo materiam consideres, in quamcunque eam vertas partem, quacunque etiam ratione particulas ejus disponas, quamcunque eis tribuas figuram, nihil ejusmodi, quod cogitationem exprimat, inde resultabit. Quo pacto hac ratione varia corporum genera oriri queant, facile concipio; at quaenam particularum aut figura aut dispositio esse debeat, ut incredibili celeritate, mox justitiae, mox temperantiae, mox sapientiae ideam exhibeant, utque efficiant, ut non tantum haec cognoscam, sed sciam quoque, me ea cognoscere, ut de hisce similibusve judicare, ratiocinari queam, id nullo modo, nullave ratione comprehendere valeo. Ergo id, quod ea ratione cogitat, diversum quid, prorsusque distinctum a materia esse oportet. (259) Nec est, quod objicias, ipsam & spiritus & corporis essentiam nobis incognitam esse, cum, quicquid de spiritu aut corpore novimus, attributa saltem seu proprietates utriusque sint; e. gr. cogitatio & extensio; unde sequatur, non posse certo dici, cogitationem repugnare materiae. Sciendum namque, etsi corporis aeque ac spiritus essentia nobis per se cognita non sit, ex ipsis tamen attributis utriusque, seu proprietatibus, evidenter cognosci posse, quid naturae & materiae & spiritus conveniat, quidve ei repugnet. Cum ergo constet, attributum seu proprietatem praecipuam spiritus esse, cogitare, si cogitationem

cum extenſione ceu praecipuo materiae attributo conferam, evidentiſſime cognoſco, ſpiritum ſeu ſubſtantiam cogitantem, qua talem, non poſſe eſſe ſubſtantiam extenſam, & vice verſa, rem extenſam ſeu corpus, qua tale, non poſſe eſſe ſubſtantiam cogitantem, vel, quod eodem redit, materiam non poſſe cogitare. Intelligenda hinc atque recte explicanda, quae hac de re in *elem. Philoſoph. theoret.* ſeu *Philoſ. elect. tom. II. part. VI. cap. I.* §. *VIII.* ſcripſi: *Eſſentia & ſpirituum & corporum nobis eſt incognita. De utrisque nihil niſi proprietates quasdam & operationes cognoſcimus. Ergo temerarium eſt, ſi quis dicat, naturae materiali repugnare, ſi cogitet. De re enim nobis incognita quid ei repugnet, aut non repugnet, nullo modo aſſerere poſſumus. Multo itaque minus inferre licet, ſpiritus cogitant, ergo ſunt immateriales.* Ex iis, quae praecedunt, patet, me ibi in eo eſſe, ut ſententiam Carteſii, ejusque Sectatorum, qui eſſentiam ſpiritus in cogitatione conſtituunt, refellam. Id verba haecce: *multi contra ex recentioribus, intimam ſpirituum naturam ſe penitius perſpexiſſe, fidenter ſatis arbitrati ſunt, cum dixerunt, ipſam ſpiritus eſſentiam conſiſtere in cogitatione*, ſatis teſtantur. (260) Hanc vero ideo admitti ſententiam poſſe nego, quod cogitatio ſit proprietas ſpiritus, extenſio autem proprietas corporis; ipſa autem & ſpiritus & corporis eſſentia nobis ſit incognita. Et ex hocce fundamento porro aſſero, *temerarium eſſe, ſi quis dicat, naturae materiali repugnare, ſi cogitet*, ſcilicet, ſi quis ex ipſa materiae eſſentia, quae non ſatis nobis cognita eſt, hoc demonſtrare velit. De attributis vero, ſeu proprietatibus materiae, hic ſermo non eſt. Ex iis enim firmiter & evidentiſſime colligi poſſe, cogitationem materiae repugnare, neutiquam nego, & antea demonſtratum eſt. Hanc vero ibi mentem meam eſſe, ſubjuncta ratio aperte docet: *De re enim nobis incognita* (hoc eſt, cujus eſſentia nobis incognita eſt) *quid ei* (intuitu eſſentiae) *repugnet aut non repugnet, nullo modo aſſerere poſſumus. Multo itaque minus inferre licet* (ex hypotheſi ſcilicet illa Carteſii, qua eſſentiam ſpiritus in cogitatione conſtituit) *ſpiritus cogitant; ergo ſunt.* Hinc vero etiam patet, quo pacto ex cogitatione, & immaterialitas & immortalitas animae humanae probari queat. Nimirum, ſi ipſa animae eſſentia in cogitatione ponatur, argumentum non rite procedet, cum eſſentiae rerum nobis ſint incognitae; & ita rurſus intelligendum, quod in *elem. Philoſ. theoret. part. I. cap. V.* §. *XXVIII. & XXIX.* docui, ex cogitatione, (ſi ſcilicet animae eſſentia in cogitatione ponatur,) hoc eſt, a priori, adeoque ſtricte loquendo, animae immaterialitatem demonſtrari non poſſe; quo ipſo tamen non negatur, ſi cogitatio tanquam attributum animae humanae ſpectetur, evidenter inde, & immaterialitatem & immortalitatem evinci poſſe. (261) Dubium equidem ex anima brutorum moveri poteſt; quam niſi immaterialem dicere velis, (quod tamen a pauciſſimis forte concedetur,) admittendum

dum videtur, materiae cogitationem quandam non prorsus repugnare. Verum quemadmodum inter cognitionem istam sensualem brutorum, eorundemque adpetitum, & cogitationes, quae hominibus propriae sunt, & rationem absolvunt, maximum intercedit discrimen, (quod probe observari velim, ut recte iterum intelligantur, quae in *elem. Philosoph. theoret. part. II. cap. I.* §. *X.* extant) ita satius tandem est, ut libere profiteamur, ignorare nos naturam animae brutorum, quam admittere aliquid, quod prorsus ἀδύνατον est, materiam scilicet cogitare. (262) Jam ut ad fulcra, quibus Spinozismus innititur, subruenda accedamus, priusquam ea, quae illi quodammodo propria sunt, attingamus, sine animadversione praetermittendum non est, quod *cap. I.* §. *XXV.* observavimus, PETRUM BAELIUM asserere, principia quaedam Spinozae cum Atheis reliquis communia ita comparata esse, ut solius rationis ductu refutari nequeant. Hoc quam falsum sit, vel tribus ostendendum est verbis. Primum ex hisce principiis est, *materiam esse aeternam, & a Deo differre.* Enimvero hic perperam & sine omni ratione supponitur, materiam aeternam esse. Aeternitatem enim atque existentiam necessariam in conceptu materiae non includi, nemo non intelligit, & luculenter jam antea §. *II.* hujus capitis, demonstratum est. Falsum praeterea est, si vel maxime supponatur, non posse probari, eam differre a Deo. In conceptu enim materiae, ceu entis longe imperfectissimi, nihil continetur, quod cum Deo, ente omnium perfectissimo, convenientiam quandam habeat. Alterum principium est: *materiam non productam ex nihilo.* At nec hocce rationi inexpugnabile esse, patet ex iis, quae itidem supra disputavimus, dum §. *II.* hujus capitis ostendimus, materiam neutiquam necessario semper extitisse, & §. *III.* mundum hunc non fuisse aeternum, sed habuisse initium. Inde vero & sequitur, materiam habuisse initium; cum sola ratio causam solidam adferre nequeat, cur mundus semper non extiterit, si materia semper & ab omni aeternitate extitit. (263) Quod vero ad decantatum illud principium attinet, *ex nihilo nihil fit*, cui assertum suum PETRUS BAELIUS superstruit, id de causa equidem materiali, neutiquam autem efficiente infinita potentia praedita procedere, itidem jam docuimus. Sane si spiritus infinita potentia praeditus supponatur, ratio ipsa luculenter agnoscit, nihil obstare, quo minus ex nihilo aliquid producere queat. (264) De tertio denique principio, *spiritum infinitum & summe liberum non producere potuisse tale opus, quale hic mundus est, in quo bona mixta sunt malis*, in sequentibus dicemus, cum providentiam divinam ab impiorum hominum objectionibus vindicabimus. (265) Ad propria itaque Spinozismi fundamenta quod attinet, ea, si paulo accuratius considerentur, in mera & prorsus quidem puerilia sophismata abeunt. Omnia eo redeunt, *unicam tantum dari substantiam;* adeoque Deum ab hocce universo di-

versum non esse. Hoc autem ut evinceret, hanc posuit propositionem: *Ad naturam substantiae pertinet existere.* Quod tamen, si universaliter capiatur, longe est falsissimum. Omnis enim substantia vel spiritus est, vel materia. Materiam neutiquam necessario existere, quilibet facile intelligit, cum in ejus conceptu nihil, quod existentiam necessariam arguat, deprehendatur; quod pluribus etiam supra est evictum. Sed & si spiritum, hoc est, substantiam materiae expertem, intellectu & voluntate praeditam, generatim considerem, in hocce conceptu existentiam necessariam deprehendere nequeo. Sin particulariter propositio capiatur, de certa quadam substantia, seu spiritu infinitis perfectionibus praedito, quem Deum vocamus, verissima quidem erit, sed simul contra ipsum Spinozam militabit. Cum vero ipsemet videret, eam neutiquam extra dubitationem positam esse, sequenti eam probare voluit: *una substantia non potest produci ab alia substantia.* At & haecce propositio, si universaliter capiatur, longe est falsissima. Evidenter enim ratio cognoscit, nihil obstare, quo minus substantia infinitis perfectionibus praedita aliam producere substantiam, aut etiam ex nihilo aliquid efficere queat. Particulariter si accipiatur, de substantia infinitis perfectionibus praedita, hoc est, Deo ipso, verissima quidem est, cum omnino substantia infinita ab alia produci nequeat; sed tum rursus ipsi Spinozae obstat. Spinoza equidem eam propositionem rursus alia, & quidem sequenti probare annititur: *in rerum natura non possunt dari duae aut plures substantiae ejusdem naturae seu attributi*, hoc est, ut ipse interpretatur, commune aliquid inter se habentes. Quod iterum longe est falsissimum, immo summam ignorantiam suam aut malitiam prodidit Spinoza. Namque vel pueris ex quinque vocibus Porphyrii notum est discrimen, quod inter *speciem* & *individuum* intercedit; individuaque re ipsa inter se differre, etsi ratione essentiae specificae inter se conveniant. Quare, si principium hoc ita concipiatur: *in rerum natura non possunt dari duae aut plures substantiae ejusdem* (numero) *naturae*, recte se habet, sed nihil prodest Spinozae. Quodsi vero ita concipiatur: *in rerum natura non possunt dari duae aut plures substantiae ejusdem* (specie) *naturae*, longe est falsissimum. Res ipsa docet, lapides, arbores, plantas, animalia, homines, numerice spectatos, revera a se invicem differre, adeoque plures substantias constituere, etsi ratione essentiae suae, specifice vel generice consideratae, inter se conveniant. Individua autem ista pro meris modificationibus unius ejusdemque substantiae habere velle mera est illusio. Praeterquam enim, quod praedicata, quae de iis enuntiantur, diversa etiam indicent subjecta, ut antea jam observavimus, si ponamus, duos homines, aut integros exercitus, inter se pugnantes, quis, nisi rationis expers, diceret, non diversas substantias, sed diversas saltem modificationes inter se pugnare; aut si quis alapam

ab alio accipiat, isque ſibi aliisque perſuadere vellet, non ab alia ſubſtantia, ſed ſaltem ab ejusdem ſubſtantiae modificatione ſe alapam accepiſſe, nonne omnium ludibrio ſe exponeret? Quod porro Spinoza demonſtrationis loco ſubjungit: *duas aut plures res diſtingui inter ſe, vel ex diverſitate attributorum ſubſtantiarum, vel ex diverſitate earundem affectionum*, nihil minus, quam id, quod cupit, probat. Datur enim diſtinctio tertia, realis ſcilicet quaedam inter omnes ſubſtantias individuas, iisdem plurium ſubſtantiarum, ſpecifice conſideratarum, attributis & affectionibus gaudentes. Ejusdem commatis & reliqua ſunt, quibus probare conatur, unam ſubſtantiam non poſſe produci ab alia. *Duae*, inquit, *ſubſtantiae, diverſa attributa habentes, nihil inter ſe commune habent*. Quidni vero? Nonne duo homines, qui numerice conſiderati, duas diverſas ſubſtantias conſtituunt, eſſentiam humanam ſpecifice conſideratam, communem habent? At provocat ad definitionem ſubſtantiae: *Per ſubſtantiam*, inquit, *intelligo id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur, hoc eſt, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari poſſit*. Quae ſi vel maxime recte ſe haberet definitio, nihil tamen ad rem faceret. Subſtantias enim in individuo ſpectatas per ſe concipere poſſum, adeo ut ad conceptum, quem de Petro habeo, non requiratur conceptus Pauli; nec tamen inde ſequitur, Petrum non poſſe habere quidquam commune cum Paulo. Sed ulterius, ut evincat, unam ſubſtantiam, ab alia produci non poſſe, ita rationes ſubducit: *quae res nihil commune inter ſe habent, earum una alterius cauſa eſſe non poteſt*; (266) idque porro ita probat: *quae per ſe invicem non poſſunt intelligi, eorum unum alterius cauſa eſſe non poteſt. Atqui ſubſtantiae nihil commune inter ſe habentes per ſe invicem intelligi non poſſunt, &c.* Quae miſerae iterum ſunt ſophiſticationes. Perperam namque ſupponit, non dari ſubſtantias plures, quae aliquid commune inter ſe habeant. Praeterea nihil obſtat, quo minus una ſubſtantia alterius, a qua infinitis modis diſtat, cauſa eſſe queat. Nullam enim rationem, cur ens infinitae perfectionis aliquid ex nihilo producere nequeat, reddi poſſe, aliquoties jam obſervavimus. In probatione itidem & major & minor claudicat. Major quidem, quia ſubſtantiarum relative equidem ſpectatarum cognitio ita comparata eſt, ut una ſine altera intelligi nequeat; at, ſi abſolute ſpectentur, falſiſſimum iterum eſt, quod, quae per ſe invicem non poſſunt intelligi, eorum unum alterius cauſa eſſe nequeat. Minor itidem aperte falſa eſt, cum in ea iterum ſupponatur, quod ſupra jam rejecimus, nullas dari ſubſtantias, quae aliquid commune inter ſe habeant, ſeu, quod perinde eſt, ſubſtantias diverſas non poſſe inter ſe aliquid commune habere, adeoque ſi ſubſtantiae diverſae dentur, eas nihil inter ſe habere commune. Falſum praeterea eſt, ſubſtantias, quarum una cauſa, altera effectus eſt, per ſe invicem intelligi non poſſe; ſaltem in quantum ad cogni-

tionem causae pertinet cognitio effectus, & vice versa. Sed haec sufficiant, quae speciminis instar sint, ex quo cognoscatur, quam lubrico & infirmo fundamento Spinozismus innitatur. Si placet, jungantur, quae jam olim hac de re dixi in *dissert. de Spinozismo ante Spinozam* §. *XXIV*. in *analect. histor. Philosoph. pag.* 354. *seqq.* & in *element. Philos. theoret. part. VI. cap. V.* (267)

(258) *Magna pars systematis Spinosiani superstructa est fallacibus definitionibus, & praesertim definitioni* substantiae, *quae ipsi dicitur* (*Defin.* 3. *Part.* 1. *Ethic.*) id, quod in se est & per se concipitur, hoc est, id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat; *atque adeo recedit ab illa definitione, quam circa substantiam, finitam saltem, omnes admittunt Philosophi, secundum quam substantia est* id, quod in se habet omnia, quae ad existendum sunt necessaria, absque eo, quod aliqua re finita indigeat ad existendum. *Licet igitur omnes aliae res finitae in nihilum redactae concipiantur, id, quod nomen substantiae merebitur, tanquam existens debet concipi posse; sic mentem meam, sic qualecunque corpus concipere possum tanquam existens, licet omnes aliae res in nihilum redactae concipiantur; adeoque sunt veri nominis substantiae. Si vero admittatur Definitio Spinosiana; concedi quoque debet, solum Deum nomen substantiae gerere posse, quia solus* per se *est, seu* vi suae naturae existit, *nec ejus conceptus indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat. Sed, si hac significatione* una *tantum in rerum natura detur & dari possit* substantia; *nullo modo exinde sequitur, omnes res, quae extra hancce substantiam existunt, ejus esse attributa & attributorum modificationes; Ideas, scilicet, abstractas, vel pessimo errore, vel detestanda malitia, habuit pro concretis:* Cogitationem *finxit* generalem, *quae ipsa est una ex infinitis attributis unicae istius substantiae, dum omnes mentes singulares sunt istius attributi modificationes; ideam istius cogitationis generalis formavit attendendo ad id, quod omnibus entibus cogitantibus est commune, uti* humanitatis *ideam abstractam formamus attendendo ad id, quod omnibus hominibus est commune, talis* cogitatio generalis *non magis extra mentem abstractas ideas formantem existit, quam* humanitas *extra eandem mentem potest existentiam habere realem, nisi in individuis; uti omnes agnoscunt saniores Logici. Hinc patescit, deceptricem esse Spinosianam definitionem* DEI (*Part.* 1. *Eth. Def.* 6.), *secundum quam est* Ens absolute infinitum, hoc est, substantia constans infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam & infinitam essentiam exprimit.

Injuria quidem adficeretur ingeniosus Robinet (*de la Nature Tom. III. pag.* 35. *suiv.*) *si inter* Spinosae *asseclas numeraretur; quo-*

quoniam, licet statuat, Naturam semper coextitisse cum suo Auctore, *Mundum tamen a Deo distinguendum esse, ubique inculcat. Verum non video, quomodo Viro caeteroquin perspicaci, in mentem venire potuerit* (*pag.* 49.) Mundum *eo sensu* esse effectum naturae divinae, *acsi Deus* nec voluntarie, nec ex beneficentia sua, nec alio quocunque fine mundum fecisset, sed necessario & per naturam suam essentialiter creatricem. *Equidem haec intelligi possunt sensu* Leibnitiano, *saltem* Canziano (*cum* Canzius *statuerit Theol. Nat.* §. 139. Deum creationem omittere non potuisse absque libertatis suae abusu) *sed tamen ulterius progreditur, & sententiam memoratam, utut gravissimis difficultatibus pressam, reddit deteriorem; cum statuat Chap.* 52. *pag.* 118. Mundi existentiam non habuisse initium, *licet eundem aeternum esse neget* Chap. 53. *pag.* 122.

(259) *Conferantur ea, quae supra ad Cap. V.* §. 7. n. 206. *notavi, quaeque Cl. Auctor est propositurus Cap. VII.* §. 2.

(260) *An non candidus caeteroquin* Buddeus *candori suo magis consuluisset, si ingenue fuisset fassus, se errasse loc. cit.* Elem. Philos. Theoreticae? *Si quis certe verba, quae hic occurrunt, eorumque contextum debito modo perpendit, facile animadvertit, Virum Clar. cum ea scriberet, in sententia* Lockii *de Intell. Hum. Lib.* 4. *Cap.* 3. §. 6, *&* Clerici *Pneumatol. Sect.* 1. *Cap.* 6. §. 5. *fuisse versatum, quae, uti nunc ipse docet* Buddeus *& heic loci, &* Cap. *VII.* §. 5, *multis modis est absurda. Licet enim essentia mentis non reposita sit* in cogitatione, *vel* in cogitandi actuositate, *vel* in continua cogitationum successione; *licet intimam mentis essentiam non habeamus perspectam, illa tamen sententia, quam* Cartesius *ejusque sectatores foverunt, nequaquam argumentis refelli potest, quae ipsa absurdi quidpiam involvunt: apposite enim ad rationem, petitam ex ignorantia nostra circa intimam mentis corporisque essentiam, respondet Cl.* Engelhard *Fer. Groning. Tom.* 1. *Sect.* 2. *pag.* 191. Non novi omnia, quae insunt *Lockio*, neque omnia quae *Clerico* insunt; ergo ignoro, an non *Lockius & Clericus* idem subjectum esse, vel in eodem subjecto sedem suam habere possint. *Quid autem apertius quam Cl. Auctoris Verba:* Ergo temerarium est, si quis dicat, naturae materiali repugnare, si cogitat, *&c. & porro:* Multo itaque minus inferre licet; spiritus cogitant, ergo sunt immateriales. *Neque sese excusare potest Cl. Auctor eo nomine, quod de* essentia, *non vero de* attributis *seu* proprietatibus *materiae l. c. sermo sit: nam* essentia *nunquam, nisi per attributa, cognoscitur; licet nesciamus, quid sit illud* subjectum, *cui attributa, quae per se non*

exi-

existunt, inhaereant: sed licet quasdam *proprietates & mentis seu cujuscunque spiritus, & materiae habeamus exploratas, hae tamen sufficiunt, ut absque temeritate concludere queamus, eas in uno eodemque subjecto habitare non posse. Non autem perspicio, cur Cl. Auctor hanc defensionem sui inseruerit disputationi contra* Spinosam, *cum id ipsum loco magis opportuno facere potuisset Cap. VII. §. 2, ubi in eo est, ut Dogmata cum Atheismo conjuncta refutet, inter quae materialitas Mentis quoque numeratur.*

(261) *Neque sic Cl. Auctor excusare potest ea, quae nimium aperta scripserat olim* Elem. Philos. Theor. *Part. 1. Cap. V.* §. 28. *seq.* Quaeritur, *inquit*, sitne anima materialis, an vero immaterialis? Qua de re, qui hominem ex corpore & mente tantum componunt, ita sentiunt, ut dicant, ex eo, quod mens sit substantia cogitans, luculenter evinci posse, eam materiae esse expertem: sed vero licet admodum vero similiter ex cogitationibus ejusmodi quid intelligatur, pro demonstratione tamen hoc argumentum haberi nequit, cum *NB.* nullam tandem involvat contradictionem, quo minus Deus substantiam corpoream cogitantem producere possit. *Hic sane nondum agit de errore eorum, qui mentis essentiam in cogitatione reponunt*; *sed ne quidem validum pronuntiat argumentum, ex eo petitum*, quod mens sit substantia cogitans (*quod etiam ab illis non facile negabitur, qui ejus intimam essentiam incognitam esse putant*) *atque insuper sine ambagibus adjiciat*, nullam involvere contradictionem, quo minus Deus substantiam corpoream cogitantem producere possit. *Neque hoc assertum mitigatur verbis, quae in fine* §. 28. *adponit:* Praesertim cum perperam adhuc supponatur, in cogitatione consistere essentiam mentis; cum tamen essentiae rerum nobis sint incognitae, *quod novum, sed parum validum, haberi debet argumentum. Imo l. c. Part.* 2. *Cap.* 1. §. 10. nihil obstare, *pronuntiat*, quominus & materialis quaedam substantia cognoscendi & appetendi facultate sit praedita; *sic igitur concludere licet, Cl. Auctorem adfectata modestia* Lockii *&* Clerici *fuisse a veritatis tramite olim abductum; nunc vero pristinum errorem optimo consilio & jure rejicere, solius veritatis amore agitatum.*

(262) *De anima Brutorum haud ita pridem egi in praefatione secundae editioni Belgicae Operis* Reimariani, (*de Voornaamste Waarheden van den Natuurlyken Godsdienst*) *praemissa: notasse sufficiat, principium illud, quod in animalibus Brutis adest, quod sentit, quod suo modo cogitat, sibi est conscium, intelligit, vult, adeoque sese determinat, a materia debere esse distinctum; si illa phaenomena, quae in Brutis observantur, quando eorum actiones animo a praejudiciis vacuo considera-*

deramus, ex materiae adfectionibus, aut ex corporis Mechanismo possint proficisci, nihil impedit, quominus mentis nostrae operationes perfectiori, seu subtiliori & mobiliori alicui Mechanismo adscribamus. Nihil autem obstat, quominus animas veri nominis in Brutis agnoscamus; nec solliciti esse tenemur de earum sorte post mortem istius corporis, quod earum quaelibet habitavit; tutius est acquiescere in sapientissima voluntate Optimi Creatoris, & magnam partem nostra facere verba Jenkini Thomasii Britanni *apud Cl.* Engelhard *in Fer. Gron. Tom.* 1. *Sect.* 1. *pag.* 215. *seqq.* Quid horres, *inquit*, quid umbram tuam, imo vanas imaginationes reformidas; intensionem aeternae tuae felicitatis minime impediturae sunt animae brutorum, cum in paradisum animarum fidelium illas non introducimus. Hoc tantum contendimus, quod alicubi pro infinita Dei sapientia mansurae sint in aeternum pro indole substantiae simplicis & immaterialis (*quod tamen non* contenderem, *sed relinquerem in medio, magis sic observaturus modestae prudentiae regulas*) & quid quaeso reformidas earum existentiam in statu gloriae, cum jam in statu gratiae, quae ab illo non nisi gradibus distinguitur, ad Deum alacrius inserviendum bruta habes ad manum, *&c.*

(263) *Conf. ea, quae notavi ad* §. 2. *hujus Cap.* n. 242. *Mirum est, ingeniosissimum* Bayle *censuisse, l. c. Lit. Q.* Spinosae *Atheismum ex tribus hisce fontibus profluxisse, quod non potuerit comprehendere* 1°. Materiam esse aeternam & a Deo differre; 2°. eam productam esse ex nihilo; 3°. spiritum infinitum & summe liberum producere potuisse tale opus, quale est hicce Mundus. *Quod ad* primum *attinet; in eo est* Bailius, *ut loco responsionis omnia confundat, ut rationis vires enervet, &, nodum soluturus, aut dissecturus, videri velit, omnia fidei & revelationi committere, dicit enim l. c.* Materia, quae existit necessario, quaeque tamen ab activitate esse destituta potestatique alterius alicujus principii subjecta, non est objectum, cui sese accommodat ratio. *Ast si candide egisset* Bailius, *mentionem non fecisset* materiae, quae necessario existit; *cum absurditas istius asserti plenissime habuerit, saltem habere potuerit perspectam; probe cognoscere potuit*, materiam, quae necessario existit, & tamen potestati alterius principii est subjecta, *esse contradictionem manifestissimam; cum necessaria existentia involvat independentiam. Neque certe Philosophia Cartesiana, qua turpiter adeo abusus fuit* Spinosa, *neque Theologia Judaica, cujus principiis in juventute fuit enutritus, neque Religio Christiana talibus absurditatibus & contradictionibus favent, illisve praebent occasionem & alimentum: quomodo igitur conjicere licet*, Spinosam *sese in Atheismum dedisse praecipitem*, quia comprehendere non poterat, neque quod materia sit aeterna & a

Deo diversa, *&c. statim adjiciens quasi:* materia quae existit necessario, *&c., neque nos comprehendimus,* quod materia sit aeterna, quia *a Deo est diversa, neque* quomodo ex nihilo sit creata; *demonstramus tamen,* quod *e nihilo sit creata & ex materiae consideratione demonstramus quoque existentiam Dei.*

(264) *Vid. ea, quae de vero sensu axiomatis* ex nihilo nihil fit *observavi ad* §. 2. *hujus Capitis* n. 243. Bailius *tamen, ut quasi indicet fontes Atheismi Spinosiani, dicit l. c. lit.* O. Materia ex nihilo creata concipi non potest, qualescunque etiam adhibeamus conatus, ut formemus ideam actus voluntatis, qui convertit in substantiam realem id, quod antea erat nihil. Principium hocce Veterum, *ex nihilo nihil fit,* continuo sese nostrae imaginationi offert, ibidemque corruscat modo adeo splendido, ut nos rem infectam relinquere cogat, si vel aliquid de creatione concipere coeperimus. *Hoc est unum ex tribus illis incommodis, quae secundum* Bailium, *Dei causam propugnaturum contra* Spinosam, *hunc* obligarunt, ut novum systema quaereret, in quo Deus a materia non est distinctus, & ubi agit necessario, & secundum totam suarum virium amplitudinem, non extra se, sed intra se. *An serio haec scripsisset Philosophus Rotterodamensis? an non melius penitiusque perspexisset veram significationem axiomatis vetustissimi? an non persuasus fuisset, nullum huic adsignari posse sensum, cum sanae rationis placitis conciliandum, nisi,* ubi nulla est causa, ibi quoque nullus effectus est? *an* Bailus, *qui de existentia Dei, ejusque infinitâ potentiâ convictus videri volebat, dubitare potuit de creatione materiae ex nihilo, licet modum, quo ad divinae voluntatis nutum ad existentiam pervenerit, aeque ac nos ignorat? Conf.* Poiret, *in Dissert. nova tertiae editioni Cogitationum Rationalium praemissa* §. *VI.*

(265) *Vid. infra Cap. VII.* §. 1.

(266) *Hanc propositionem Spinosianam (quae est Propos.* 3. *Part.* 1. *Ethic.) peculiari Tractatu sub titulo* Animadversionum Philosophicarum *indecantatam Spinozae propositionem,* quae res nihil commune inter se habent, *&c. ad examen revocavit* Bartholomaeus Bolkius *Amstel. A.* 1719. 4*to*. *Non autem procedit ratiocinium, quo hanc propositionem stabilire conatus fuit* Spinosa *in Epist.* 4. *ad* Oldenburgium *pag.* 404. cum in effectu nihil cum causa commune sit, omne, quod habet, a nihilo habet: *sic, scilicet, ludit in verbis:* nihil commune esse in effectu cum causa, *quae certe manifestam involvunt petitionem principii, si sensu Spinosiano sumantur; Deus, sane, nihil commune habet cum corpore, imo cum qualicunque re finitâ,* cum

cum ſit aeternus, neceſſarius, immutabilis, independens, infinitus; quae omnia attributa in rebus finitis eſſe non poſſunt; neque attributa entium finitorum in Deo locum inveniunt: ſed, ſi inde concluderem, corpora ſuam exiſtentiam contingentem habere non poſſe ab Ente neceſſario, liberrime & efficaciſſime operante, limites adſcriberem potentiae Entis infiniti.

(267) *Ea, quae Cl. Auctor contra* Spinoſam *diſputavit, heic loci ſufficere poſſunt; ſed ingens eſt eorum numerus, qui feliciter contra eum pugnarunt, quorum praecipui mihi videntur* Nieuwentydt *Gronden van Zekerheid paſſim.* Poiret *in Fundamentis Atheismi everſis, quae ipſius Cogitationibus rationalibus ſunt adjuncta.* Jaquelot *de l'exiſtence de Dieu paſſim.* Velthuizen *Oper. Tom.* 2. *pag.* 1371—1570. Langius *in Cauſa Dei contra Atheismum pag.* 106-124. Stapfer *Theol. Polem. Tom.* 2. *pag.* 722--736. de Jarriges *Hiſt. de l'Acad. Roy. des Sciences de Berlin Tom.* 1. *pag.* 121-143. & *Tom.* 2. *pag.* 295-317. Wolffius *Theol. Nat. Part. II.* §. 671-716. Morus *Oper. Tom.* 1. *pag.* 565-635. *la Defenſe de la Religion Tom.* 1. *pag.* 269. *ſuiv. Tom.* 2. *pag.* 34. *ſuiv. Tom.* 3. *pag.* 13. *ſuiv. Tom.* 5. *pag.* 393. *ſuiv. pag.* 427. *ſuiv. pag.* 474. *ſuiv. Principia Religionis Naturalis & Revelatae Tom.* 1. *pag.* 186-218. *addi poſſet* Aubert du Verſé *l'Impie convaincu paſſim, ſed caute legendus, ipſe, uti notavi ad Cap.* 1. §. 26. n. 64. *a graviſſimus erroribus non immunis. Alios vide ſupra ab Auctore memoratos Cap.* 1. §. 26. (*quibus non nullos ex hiſce*, n. 65. *annumeravi*) *plures reperiuntur apud* Grapium *Theol. recens controverſá Cap.* 1. *Quaeſt.* 10. *pag.* 50. *ſeqq. ſed omnium numeroſiſſimi apud* Fabricium *de Verit. Relig. Chriſt. Cap.* 13. *pag.* 357-361.

§. VII.

Fundamentis Atheismi deſtructis atque everſis, ad objectiones eorum, quibus veritatem manifeſtiſſimam oppugnant, reſpondere haud difficile fuerit. Quando enim ex eo, quod Deus incomprehenſibilis, itemque infinitae eſſentiae, potentiae, durationis, dicitur, eum prorſus cognoſci non poſſe, indeque porro, quicquid cognoſci nequit, non ens eſſe, inferunt, vocibus puerorum modo ludunt, ſeque, quid incomprehenſibile, quidve infinitum ſit, neſcire, aut ſcire nolle

oſtendunt. Omnem vero facultatem Deum cognoſcendi dum homini abjudicant, ſe ipſos hominum nomine indignos demonſtrant, qui intellectus omnis expertes ſolis ſenſibus omnia metiuntur. *

* Inter argumenta, quibus Athei Numinis exiſtentiam impugnant, primum merito locum tenent, quae ab ipſo Dei conceptu deſumunt. Nullum namque nos Dei conceptum, nullam ideam habere, clamitant; indeque porro inferunt, eum eſſe non-ens; cum pro non-ente habendum ſit, cujus nullam ideam habemus, nullumve conceptum. Ut autem probent, nos nullam Dei ideam, nullumve conceptum habere, ad incomprehenſibilitatem praecipue ejus atque infinitatem, qua eſſentiam, qua potentiam, qua durationem, provocant. Hoc ipſo enim dum ipſimet fateamur, Deum eſſe incomprehenſibilem, concedere quoque, nos nullam ejus ideam, nullumve habere conceptum idemque ex infinitate ejus ſequitur. Qui enim Deum infinitum dicat, eum nihil aliud dicere, quam ſe, quid Deus ſit, neſcire. (268) Ad haec autem, ut ordine reſpondeamus, primo quidem obſervamus, axioma illud, *cujuscunque nullam habemus ideam, nullumve conceptum, id eſt non ens*, tum demum locum invenire, ſi nullum plane rei cujusdam habeamus, aut habere queamus conceptum, aut is talis ſit, qui apertam contradictionem involvat. At nullum plane nos de Deo habere conceptum, nullamve ideam, adeo falſum eſt, ut ipſa experientia iſtos homines refellat. Non tantum Chriſtiani, & Judaei, & Muhammedani, ſed Ethnici omnes, veteres pariter ac recentiores hoc ipſo, dum omnes de Deo loquuntur, fatentur, ſe quandam de eo habere ideam. Et cur non haberent, cum nemo tam ſtupidus, tamque expers omnis mentis ſit, ut non ſtubſtantiam materiae expertem, neceſſario exiſtentem, ſumma ſapientia, ſumma potentia, ſumma libertate praeditam, mente concipere queat. Nulla hic contradictio, nulla pugna, nec aliud quid, quod prohibeat, quo minus ejusmodi entis ſumme perfecti ideam animo ſiſtam. At incomprehenſibilem, inquis, Deum eſſe, ipſimet fatentur, qui pro ejus exiſtentia pugnant; ergo nullam ejus ideam habent. Ita nimirum ignorantiam ſuam iſti homines produnt, dum neſciunt, quo ſenſu Deus incomprehenſibilis dicatur. Qui enim, eum comprehendi poſſe, negant, non hoc ſibi volunt, ac ſi nulla plane ratione agnoſci queat, ſed quod humanae mentis nimis anguſti limites, quam ut Deum cum omnibus ſuis perfectionibus plene & accurate comprehendere poſſit. Quis vero hanc ratiocinationem ferret: cujuscunque rei non datur plenus, perfectus & adaequatus conceptus, illius nullus datur conceptus, illa eſt non ens? Certe nihil aliud agunt Athei, dum ita rationes ſubducunt, quam ut ſe

se ipsos traducant turpiter. Tantum itaque abest, ut hac ratione existentia Dei impugnari queat, ut potius invertere argumentum liceat. Si enim illud, cujus nullum conceptum habeo, est non ens, vice versa ens revera existens erit, cujus conceptum habeo. (269) Praeterea hoc ipso, quo aliquid nobis, quorum intellectus adeo arctis limitibus circumscriptus est, incomprehensibile est, sequitur, dari aliquid, quod infinitis perfectionibus gaudet. (270) Si enim omnia finito & limitato intellectu nostro comprehendere possemus, nihil daretur, quod infinitis perfectionibus esset praeditum, (271) Copiosius hoc deducit PETRUS POIRET, de *Deo, anima & malo, lib. III. cap. VI.* Quod de infinitate Athei objiciunt, praecipue THOMAS HOBBESIUS urget, quem hac de re audire juvabit. *Quicquid*, inquit, *imaginamur, finitum est. Nulla ergo est idea, neque conceptus, qui oriri potest a voce hac* infinitum. *Animus humanus imaginem infinitae magnitudinis capere non potest; neque concipere infinitam velocitatem, infinitam vim, infinitum tempus aut infinitam potentiam. Quando dicimus, rem aliquam esse* infinitam, *hoc tantum significamus, non posse nos illius rei terminos & limites concipere; neque aliud concipere, praeter nostram impotentiam propriam. Itaque nomen Dei non usurpatur, ut illum concipiamus (est enim incomprehensibilis, & magnitudo potentiaque ejus inconceptibilis) sed ut honoremus; Leviath. cap. III. pag.* 12. Quibus verbis etsi reverentiam quandam Deo se exhibere videri velit, revera tamen id agit, ut ostendat, in idea Dei ejusque attributorum nihil realitatis esse, sive, ut clarius dicam, voces, quibus ideam Dei ejusque attributa exprimimus, nomina esse revera nihil significantia. Hanc mentem HOBBESII esse, non dubitabit, qui operae pretium esse duxerit, conferre, quae in libro, de *Cive, cap. XV. §. XIV.* hac de re disserit, quamvis ibi aperte secum pugnantia adferat. Multis enim verbis postquam docuit, Deum concipi non posse, quando Deo visionem & ceteros sensuum actus, vel scientiam & intellectum attribuimus, nihil aliud hoc in nobis esse dicit, quam *suscitatum a rebus externis organa prementibus animi tumultum.* Consentiunt & quae *Physic. part. IV. cap. XXVI. pag.* 204. hac de re habet, quae supra jam adduximus, *cap. I. §. XXVII.* Haec vero omnia quam inania sint, facili negotio demonstrari potest. Nimirum entis infiniti ejusque attributorum conceptus, duo involvit, quorum alterum *positivum*, alterum *negativum* quid exhibet. (272) Primo namque summam quandam concipimus perfectionem; tum vero fatemur, tantam esse hancce perfectionem, cujus limites terminosque non valeamus assequi. (273) Falsissimum itaque est, quod HOBBESIUS dicit, voce *infiniti* tantum nos significare, non posse nos illius rei terminos concipere. Perperam namque, quod positivum est, in conceptu entis infiniti omittit, & ei, quod negativum est, tantum inhaeret. Conceptum plenum, perfectum & adaequatum rei infinitae nos non ha-

habere, lubentes fatemur. Sed nec hoc necesse est, cum conceptus aliqualis & inadaequatus ad hoc, quod cupimus, evincendum sufficiat. Ejusmodi vero rei infinitae conceptum dari adeo verum est, ut ipsa Atheorum etiam confessione comprobari queat. Cum enim ipsimet decantatum illud, *ex nihilo nihil fit*, principii loco adsumant, necesse est, ut fateantur, aut materiam, aut aliud aliquid, semper extitisse. Habes ergo ens *infinitae durationis*, seu aeternum. (274) Si ergo Hobbesii ratiocinatio procederet, ens illud aeternum, sive infinitae durationis, esset *non-ens*, quia infinitam durationem mente concipere nequeo. Ergo ex non-ente sua sponte facta sunt omnia. Quod tam absurdum est, ut nec stolidissimus Atheorum hoc sit admissurus. Cum vero Hobbesius non tantum *aeternitatem* seu *infinitam durationem*, sed & infinitam potentiam seu *omnipotentiam*, inter voces nihil significantes referat, cumprimis saltem observandum, per omnipotentiam eam entis infiniti nos intelligere perfectionem, quae omnia, quae possibilia sunt, seu nullam involvunt contradictionem, efficere potest. Ejusmodi vero omnipotentiae cur nullam habere queamus ideam, nullam iterum rationem video. Quid enim potentia sit possibilia efficiendi, omnes clare perspiciunt. Omnipotentiam autem seu potentiam infinitam dum vocamus, conceptui positivo negationem addimus, fatentes, nos potentiae istius seu perfectionis limites concipere mente non posse. (275) Atque haec cum satis manifesta sint, id saltem superest, ut disquiramus, an facultas Deum cognoscendi in homine detur? Sunt namque ex Atheis, qui hoc diserte negant, non aliam, quam quae sensibus fit, cognitionem, homini tribuentes, qua adeo Deus, qui spiritus sit, cognosci nequeat. Verba iterum pro reliquis faciat THOMAS HOBBESIUS: *Et quoniam, quicquid (ut dixi supra) concipimus, perceptum est ante in sensatione, nulla inesse homini potest imaginatio rei, quae non sit percipienda sensibus. Nemo itaque concipere aliquid potest, nisi ut in loco & finita aliqua magnitudine praeditum, & divisibile in partes; neque aliquid esse totum in uno loco & totum in altero, tempore eodem; neque duas vel plures res eodem tempore esse posse in eodem loco. Nihil enim horum fuere aut esse potuere in sensione; sed sunt orationes insignificantes, admissae propter auctoritatem quorundam Philosophorum errantium, vel Scholasticorum fallentium*, *loc. cit. pag.* 13. Similia & supra *cap. I. §. XXVII.* jam ex eo attulimus. Quae tamen itidem frivola sunt, & Philosopho prorsus indigna. Etsi enim, quae sensibus percipimus, variis ideis occasionem praebeant, plurimae tamen in mente nostra sunt ideae, quae a sensibus saltem immediate & directe ortae non sunt, nec ab iis pendent. Primo namque non tantum objecta varia sensibus percipimus, sed ea quoque nos percipere novimus. Qui actus mentis reflexus sensibus profecto tribui nequit. Deinde ex ideis, sensibus haustis, varias iterum imagines, componendo, separando, aliaque ratio-

ne,

ne, formamus, easque diversa ratione consideramus; quod longe aliam facultatem, quam quae sensibus propria est, requirit. Denique praeter ideas sensuales, seu per objecta sensuum excitatas, sunt etiam in mente nostra ideae mere intelligibiles, quarum imaginem in objectis sensuum frustra quaesiveris. Atque ad hasce ideas intelligibiles cum etiam idea Dei & attributorum Divinorum pertineat, sequitur, neutiquam nobis deësse facultatem Deum cognoscendi. Haec vero omnia ita se habere quilibet statim convincetur, modo ad ea, quae in mente sua facillimo negotio deprehendere potest, attendere velit. (276)

(268) *Conf. ea, quae notata sunt ad* §. 1. *hujus Capitis* n. 240. *Licet autem ingeniosum* Robinet (*de la Nature P. V. passim*) *inter Atheos referre non audeam, adeo tamen urgere videtur incomprehensibilitatem Dei, ut nihil fere restet de tota Naturali Theologia, utque Athei ipsius doctrina facile possint abuti, absurdum hocce argumentum contra incautos atque minus exercitatos suo modo adstructuri. Appellat* Antropomorphismum spiritualem, *si aliqua admittatur analogia inter perfectiones Dei, & inter virtutes hominum; & certe de Deo rebusque divinis saepissime loquimur more nimium humano; exinde autem plurimos propullulare errores, diffiteri non licet. Attamen ipsa praeivit Sacra Scriptura, quae, puriori lumine mortales collustrans ubique adhibet terminos a virtutibus entium intelligentium finitorum desumtos: neque ullum est errandi periculum, si,* viam negationis *&* eminentiae *calcantes, perpetuo ante oculos habeamus Dei infinitatem, independentiam, vitamque successione carentem: equidem ideam* infinitatis *positivam non habemus, multo minus adaequatam; sed sufficit, si sciverimus, omne, quod limites supponit, a Deo, ab ente necessario & vi suae naturae existente esse sejungendum; conf.* n. 272. *Nescimus, quomodo se habeat intellectus divinus; scimus tamen, Deum esse ens actuosissimum omnia cognoscens, liberrimum; & perverse concluderemus cum* Robinet *l. c. Chap.* 53, Deum non esse ens intelligens, *quia non eo modo res cognoscit, quo intelligentiae finitae, &c.*

(269) *Argumentum hac ratione inversum contra Atheos minime adhibendum existimo, quia abduceret ad Metaphysicas, fructuque magnam partem carentes subtilitates. Certum est, Ens, cujus conceptus vel idea formari non potest (non dico,* cujus conceptum formare adaequatum nos homunciones non possumus) *non existere; sic scil. in illo conceptu aliquid inveniretur, quod contradictionem involvit; sic mons sine valle, effectus sine causa existere nequit; quia contradictionem involvit uterque; adeoque conceptus talis* montis, *talisque* effectus *formari non potest, ne quidem ab Intelligentia infinita. Verum innumera*

dantur

dantur entia rationis, quorum proinde conceptum habemus, quae tamen non existunt; & , si semper procederet argumentum Auctoris, etiam admittenda esset Cartesii, *ut dicitur, demonstratio* a priori *pro existentia Dei, quam ipse Cl.* Buddeus *non approbat. Id tamen quodammodo concedi potest, illud existere, cujus conceptum habemus, quatenus experientia constat, nullas in mente nostra praesentes reddi ideas, nisi res, quae per illas ideas repraesentantur, existere possint, existant vel exstiterint, non quidem eo modo, quo per idearum conjunctionem ab imaginatione nostra pinguntur, sed* per partes; *uti idea Centauri repraesentat res reverâ existentes; cum conflata sit ex idea hominis & ex idea equi, quorum uterque extra mentem existit.*

(270) *Conf. ea, quae supra notavi Cap. V.* §. 2. n. 162. *Mens nostra arctos sui intellectus limites animadvertens, convincitur, se esse ens* contingens; *cum ex natura entis necessarii, seu suae naturae vi existentis sua sponte sequatur, illud esse infinitum, seu nullis terminis circumscriptum, non tantum quoad existentiam, verum etiam quoad essentiam & attributa, quae ad essentiam pertinent, quod demonstravi in* Prim. lin. Theol. Nat. §. 18. & §. 34. *Hoc sensu, & nullo alio, admitti potest Cl.* Buddei *assertum.*

(271) *Si adaequatum formare possemus conceptum Dei, divinorumque attributorum, plenissime perciperemus modum, quo Deus existit absque initio, absque successione momentorum; sive quo vitam interminabilem simul totam possidet; ut & modum, quo omnia simul intelligit, omnia simul vult, & quo ubique simul est praesens absque diffusione per spatia mundana: quod omne in Ente successive existente, successive actuoso, & ad determinatum tantum locum suam habente relationem obtinere nequit. Et hoc sensu dicere cum Cl.* Buddeo *licet, quod* nil daretur infinitis perfectionibus conspicuum, si omnia finito & limitato nostro intellectu comprehendere possemus; finitum *quippe intellectum capere non posse id, quod* infinitum *est, cuilibet attendenti est manifestum; quidquid igitur mens nostra comprehendit,* finitum *est, & ipsius infinitatis tantum possidere potest negativam, adeoque admodum inadaequatam cognitionem; Conf.* n. 272. *sequentem.*

(272) *An idea, quam de Deo habemus & habere possumus, sit etiam* positiva, *an vero* negativa *tantum, acriter fuit disputatum; quae tamen controversia magnam partem abit in Logomachiam: quod fusius demonstrasse hujus non est loci.* Positiva *est idea Dei, quatenus repraesentat* ens necessario existens vi suae naturae, aeternum, independens, intelligens, liberum, *&c. Et licet* aeternitatis ipsius *negativam tantum ideam habeamus, id tamen cum* Boethio *positive concipimus,*

mus, Deum interminabilem vitam ſimul totam poſſidere, *modum iſtius poſſeſſionis nequaquam comprehendentes; & quamvis* independentia *exprimatur per vocabulum negativum, conceptu tamen ſuo involvit* ſufficientiam, *ex neceſſaria exiſtentia &* omnitudine *perfectionum* (*uti loquitur* Bulffingerus *Dilucid.* §. 407. *ſeqq.*) *profluentem. Sed* negativa *eſt idea Dei, quatenus nullos deprehendimus terminos in attributis Divinis, &* infinitatem *nobis repraeſentare non poſſumus actu poſitivo.* Omniſcientia *Ex Gr. denotat infinitatem ſcientiae, ita ut Deus omnia cognoſcat, quae cognoſci poſſunt; uti ad omnia, quae cognoſci poſſunt, & quae a Deo cognoſcuntur, ſeſe extendit Ipſius* Omnipotentia; *ſed quia infinitatis notio huic conceptui eſt admixta, negativa tantum eſt idea; cum caeteroquin cognoſceremus uno intuitu omnia objecta divinae ſcientiae atque potentiae; &* ſic ſcimus tantum, nihil eſſe, aut eſſe poſſe, quod Deus non cognoſcit, quodque divinae potentiae non eſt objectum.

(273) *Non tantum non limites terminosque aſſequimur, aut aſſequi poſſumus, ſed certiſſimi ſumus, nullos limites terminosque in Deo ejusque attributis dari; cum omnis limitatio ſupponat, vel involvat* contingentiam, *quae neceſſitati eſt oppoſita; ſic Cl. Auctor in hac parte cum* Hobbeſio *conſentiret, qui tamen nunquam aperte ſtatuit, nos ne quidem negativam ideam infinitatis formare poſſe, licet infinitatem* abſolutam *non agnoviſſe videatur in Deo, ſed tantum relativam ad nos.*

(274) *Non nervoſe ſatis objectionem Atheorum, quam contra Deitatis cognitionem & exiſtentiam proponere poſſunt & ſolent, exhibuit Cl. Auctor; majorem habet ſpeciem, ſi dicatur,* in Dei idea putatia dari manifeſto pugnantia, ſeque mutuo deſtruentia; adeoque nos veram ideam Dei habere non poſſe, multo minus exiſtere ens, quod per talem ideam repraeſentatur, *quorſum abit difficultas propoſita apud* Moshemium *ad* Cudw. *pag.* 758. Infinita juſtitia, *quae ad naturam Entis neceſſarii & infiniti pertinet, tollit, ut putant,* miſericordiam; potentia infinita *pluribus in caſibus deſtruit* infinitam bonitatem. *Verum tota haec objectio ex ignorantia profluit; cum idem Monarcha &* juſtus *poſſit eſſe, &* miſericors, *ſi modo rite exponamus terminos; cum* juſtitia *ſit illud Dei attributum, in quo perpetuum obtinet beneficentiae exercitium per ſapientiam & ſanctitatem temperatae; hanc ſpectandam praebet, dum ſuas perfectiones inviolabiles conſtituit; dum, quantum hae permittunt, hominum felicitatem curat, &, niſi propriae miſeriae fuiſſent Architecti, ad ſalutem perduceret omnes. Nec unquam pugna datur inter* potentiam & bonitatem; *cum haec conſtantem denotet Dei voluntatem communicandi cum creaturis beatitudinis capacibus tan-*

tam felicitatem, quantam patiuntur finita earum indoles & sapientissimi fines, quos Ipse sibi pro sua sanctitate proposuit: haec igitur nullos proferret fructus, nisi infinitam potentiam haberet comitem. An autem recte Hobbesii *mentem assecutus fuerit Cl.* Buddeus, *illum satis acriter impugnans, fuse satis disquirit* Moshemius *l. c. pag.* 760. *seqq. Id tamen concedendum,* Hobbesium *saepe mentem suam ea ratione expressisse, ut exinde concludere liceat, ipsum in Deo veram & absolutam infinitatem, seu limitum & terminorum carentiam* perfectionumque omnitudinem *(si cum* Bulffingero *loqui fas sit) non agnovisse. Quod ipsum ex Tractatu* de Cive *Cap. XV.* §. 14. *pag. m.* 276. *constare potest, ubi eadem fere habentur, quae in* Leviathane *loco ab Auctore citato; sed aperte magis sic loquitur:* Quando dicimus, aliquid esse infinitum, *NB.* non aliquid in re significamus, sed impotentiam in animo nostro, tanquam si diceremus, nescire nos, an & ubi terminetur.

(275) *Denuo monendum, Cl.* Buddeum *minus accurate heic loci mentem suam exposuisse; quando ideam* omnipotentiae *negativam formamus, vel formare studemus, non tantum fatemur & experimur,* nos potentiae divinae limites concipere mente non posse; *talem omnipotentiae conceptum agnovisset etiam* Hobbesius; *sed insuper requiritur, ut fateamur, potentiam illam* nullos habere limites; *ita ut infinitas, quae hic obtinet, non tantum sit* Mathematica, *qua semper ulterius ulteriusque possumus progredi, sed etiam* Metaphysica, *qua majus quid nec dari potest, nec concipi, non solum ab intelligentia finita, verum etiam a mente, quae nullis laborat defectibus, cujusque adeo cognitio nullis limitibus est circumscripta. Ipse autem* Hobbesius *in* Leviathane *Cap.* 31. *Oper. Tom.* 2. *pag.* 170. *non tantum omnipotentiam Deo competere statuit, sed etiam* infinitatem absolutam, *seu* Metaphysicam *agnoscere videtur, quando dicit:* Deum non honorant, quantum possunt, qui finitum esse dicunt: NB. finito enim addi potest: *verum verba sequentia indicant, eum non agere de* infinitate perfectionum, *quando adjicit:* Figuram ergo Deo attribuere est contra honorem Dei, propterea quod figura omnis finita est.

(276) Hobbesius, *loc. cit. ab Auctore, ridere videtur Dei* omnipraesentiam, *prout recte concipitur ab iis, qui eam non reponunt in diffusione per spatia mundana; quo ipso partes a se invicem distinctae in Deo essent statuendae, quarum una in hoc, altera in alio loco esset praesens, & ad peculiarem locum quaelibet peculiarem haberet relationem; uti mens nostra peculiarem relationem habet ad locum, vel partem spatii, in qua corpus, cum quo unita est, constituitur, qualem*

lem non habet ad omnia alia loca hujus Universi; si spiritualitatem Dei purissimam tueri velimus, quae tot argumentis demonstratur, etiam tenendum, Eum ad omnia loca eandem habere relationem, cum in omnibus operetur sua providentia, & nullum verae praesentiae documentum dari possit, quod reali operatione illustrius est & manifestius. Totus igitur Deus est in uno loco, totus est in altero loco eodem tempore, licet vocabulum totus *minus recte de Deo usurpetur, cum suam habeat relationem ad* partes, *quae in ente simplicissimo nullo modo dantur; uti mens nostra minus concinne diceretur* tota *praesens in illa parte corporis, in qua peculiari modo suam habet sedem, & in qua, admisso systemate influxus Physici, imperium suum exercet in corporis membra mentis directioni commissa, motuumque voluntariorum capacia.*

§. VIII.

Eandem aut ignorantiam aut malitiam Athei produnt, quando tum ex scientia, tum ex immutabilitate Dei, aliquid elicere volunt, quod impio illorum errori faveat. Dum enim ex eo, quod, deficiente objecto, nulla sit scientia, colligunt, ante mundi creationem Deum omni cognitione, omnique scientia destitutum, hoc est, aliquid, quod nihil minus, quam Deus, sit, nobis admittendum esse, pueriliter errant, non cogitantes, quod ante mundum conditum Deus ipsemet suae cognitionis vel scientiae objectum esse potuerit. Ex immutabilitate autem ejus, dum absolutam necessitatem vel libertatis defectum colligunt, pugnam perperam fingunt, ubi optima est concordia, siquidem nihil obstat, quo minus cum immutabilitate summa consistere queat libertas. *

* Attingimus hic argumenta, quae ab essentia & attributis divinis, ad errorem suum stabiliendum desumere Athei solent. Haec inter & illud a nonnullis referri solet, quod ex THOMAE HOBBESII, cujus effata huc spectantia *cap. I. §. XXVII.* exhibuimus, aliorumque principio, *non aliam, quam corpoream, dari substantiam,* fluit. Hinc enim ita rationes subducere solent: si Deus esset, aut corporeus esset, aut incorporeus. Non est incorporeus, quia non alia, quam corporea datur substantia; immo juxta HOBBESIUM, *substantia incorporea* est *vox insignificans.* Si

vero corporeus, aut ipsum hocce universum erit, aut pars ejus. Utrumque cum absurdum sit, concludunt, nullum esse Deum. Verum, quid ad hoc respondendum sit, ex hactenus dictis nemini obscurum esse potest. Perperam namque supponitur, nullam dari substantiam incorpoream. Quo pacto vero vel ex ipsa mentis nostrae consideratione, tum generatim spirituum, tum speciatim infiniti spiritus existentia probari queat, *cap. praeced.* §. *VII.* ostensum est. (277) Missis ergo hisce, ad *cognitionem* seu *scientiam* Dei accedimus, in qua argumentum pro errore suo impio se invenisse Athei sibi visi sunt. Neque tamen de ea cognitione, quae sensuum beneficio peragitur, hic sermo est. In hacce enim, prout mere sensualis est, objectum aliquod externum, quo excitetur, requiri, haud difficulter largimur, sed eam Deo tribui posse, simul abnuimus. Eos vero, qui non aliam quam sensualem cognitionem admittunt, turpiter falli, antea jam demonstravimus. Interim cum & ea cognitio, quae intellectu tantum peragitur, objectum aliquod intelligibile requirat, nos vero fateamur, ante mundi creationem praeter Deum ipsum nihil extitisse, concludunt hinc Athei, ante mundi creationem nullam fuisse Dei cognitionem, aut revera nullum fuisse Deum. Qui enim Deum absque omniscientia & cognitione fingit, perinde est, ac si nullum admittat. Addunt, cum rerum omnium exemplar sine rebus ipsis non detur, concipi non posse, quo pacto Deus res omnes formare, aut creare potuerit. Et huc quidem illud T. LUCRETII CARI pertinet:

> *Exemplum porro gignundis rebus, & ipsa*
> *Notities hominum divis unde insita primum,*
> *Quid vellent facere, ut scirent, animoque viderent?*

de *rer. nat. libr. V. pag. m.* 154. Verum ex hisce facile quis se expediet dubiis, modo ad ea, quae in mente sua deprehendere potest, attendat. Hanc enim considerantes, praeter eam cognitionem, quae ab objectis externis excitatur, aliam quoque reflexam in ea deprehendimus, qua mens nostra omnium eorum, quae ipsamet agit aut patitur, intime sibi conscia est, & se ipsam omnesque suos motus, facultates, operationes considerat. Pari ergo ratione Deus ceu mens infinita perfectissimaque, priusquam mundum huncce conderet, se ipsum cum infinita sua bonitate, potentia, sapientia, reliquisve perfectionibus, modo perfectissimo, nobisque ineffabili, contemplatus est, & ea quidem ratione, ut in ista contemplatione summe quoque beatus esset. Potentiam vero suam infinitam contemplari non potuit, ut non simul ideae rerum omnium, quas efficere posset, ei obversarentur, una cum mutuis earum relationibus, pendentibusque inde aeternis, quas vocant, veritatibus. Qua quidem ratione Deus per sui

ipsius

ipſius cognitionem, ſuaeque potentiae contemplationem, ideas rerum omnium, quas conditurus eſſet, formavit, quae adeo cum ſemper in mente ejus aeterna extiterint, earum originem ab objecto aliquo externo, ſeu extra Deum conſtituto, repetere non neceſſe fuerit. (278) Ex *immutabilitate* Dei argumentum erroris & impietatis ſumunt, qui cum BENED. DE SPINOZA omnem ei libertatem eripientes, cuncta neceſſario fieri, ſibi aliisque perſuadent, per decreta & volitiones, adeoque per ipſam providentiam nihil aliud, quam naturae ordinem, qui ex ejus aeternis legibus neceſſario fluit, intelligentes. Si enim decreta libera, volitionesque liberae illi tribuantur, hoc immutabilitati ejus, adeoque ſummae perfectioni repugnare, contendunt. Quae omnia iterum ad fucum faciendum, caliginemque imperitioribus offundendam, comparata eſſe, nemo non intelligit. Nimirum dum ipſi Deum in materiam mutant, infinitis mutationibus obnoxiam, dumque in ovibus, canibus, felibus, aliisque animalculis, partem eſſentiae divinae ſe deprehendere arbitrantur, dumque nullum tam horrendum facinus eſt, quod non ex illorum ſententia Deus ipſe perpetrat, de perfectione tamen Dei ejusque immutabilitate ſe eſſe ſolicitos videri volunt, diligenterque cavere, ne quid, quod ei repugnet, ſtatuatur. Nos vero omnino Dei eſſentiam immutabilem eſſe, lubentes fatemur, quippe quod ſumma ejus perfectio requirit. Eſt vero manetque haec ejus eſſentia immutabilis, ſi vel maxime liberrime aliquid producat, quod mutationibus ſit obnoxium. Namque mutatio ejus, quod diſtinctum prorſus a Deo atque diverſum eſt, in ipſa eſſentia divina nullam efficere mutationem poteſt. Multo itaque minus ipſa creatio mutationem quandam divinae eſſentiae infert, cum ea ejusmodi praepotentis Dei actionem ſignificet, qua unico nutu, ſimpliciſſimoque volendi actu, primo, praeter ſubſtantias immateriales, materiam ex nihilo, & deinde ex materia res omnes aſpectabiles, juſto tamen obſervato ordine, produxit. Quae quidem cum extra divinam eſſentiam peracta ſint, quod in ipſa eſſentia divina mutationem quandam effecerint, nulla dici ratione poteſt. (279) Quod ſi vero quis cum Spinoza creationem ſaltem in modificatione quadam eſſentiae divinae conſtituat, tum ſane ſine mutatione eſſentiae divinae nulla ratione concipi poterit. Id quod & de illorum obſervandum ſententia, qui creationem per emanationem quandam ex eſſentia divina, explicare aggreſſi ſunt. (280) Nec ipſa volendi libertas eſſentiae immutabilitati repugnat. Etenim cum iſta libertas mentis humanae eſſentiam non mutet, multo minus in divina eſſentia, infinitis perfectionibus gaudente, mutationem quandam inferet, cum contra defectus libertatis, ſeu neceſſitas, cum ſumma imperfectione ſit conjuncta. Quare & Deus, ſalva eſſentiae ſuae immutabilitate, decreta varia non tantum abſoluta, ſed & hypothetica ſeu conditionata facere potuit. Etſi enim hypothetica mutationem

 quan-

quandam secum vehere videantur, cum aliter impleta, aliter non impleta conditione, res eveniat; ista tamen mutatio rursus, si paulo accuratius consideretur, in ipso saltem objecto est, adeoque Deo nulla ratione tribui potest. Deus uno eoque simplicissimo volendi actu, summaque simul libertate, & decernere aliquid, & decreto suo certum ordinem certamque conditionem adjicere potest, qua aut adimpleta, aut non adimpleta, mox hic, mox alius sequatur effectus. (281) Sed haec alibi edisseruntur uberius, ubi ex instituto de decretis divinis agitur. Solent praeterea, ut hoc unicum addamus, Athei & ex operibus divinis argumenta varia depromere, quibus veritatem manifestissimam labefactent. Sed ista deinceps, cum providentia divina ab eorum objectionibus nobis vindicanda erit, profligabimus.

(277) *Vix credere licet, Atheos eo insaniae procedere, ut hoc ratiocinio utantur, quo existentiam Dei impugnent; quippe postquam existentia illa argumentis iis est probata, quae ab omni exceptione sunt immunia, quorumque vim nunquam intentare ausi fuerunt Deitatis osores, per hoc ipsum ratiocinium evincitur, Deum illum non esse corporeum, quia sic* vel ipsum Universum foret, vel pars ejus; *atqui in hoc Universo corporeo nihil reperitur, nisi quod vicissitudinibus perpetuis est obnoxium; nisi quod limitatum est quoad existentiam & quoad essentiam; nisi quod passivum est & iners; nisi quod ex partibus est compositum; nisi quod in determinato loco est praesens; quae omnia in Ente necessario sedem suam habere nequeunt; Conf. ea, quae supra Cap. V. §. 7. notavimus, mentis nostrae immaterialitatem spectantia, cum iis, quae proponet Cl. Auctor Cap. VII. §. 2.*

(278) *De intellectu divino, atque de ideis rerum possibilium, sive earum, quae existunt, exstiterunt olim, vel exstiturae sunt aliquando, sive etiam earum, quae nunquam acquirent nudae possibilitatis complementum, nullam tamen contradictionem in suo conceptu involventes, fuse heic loci disserere non licet: in genere notasse juvabit, Deum, Ens perfectissimo modo intelligens, (vocabula a rebus finitis mutuo sunt sumta, adeoque admodum imperfecto modo attributa Dei exprimunt) se ipse cognoscere, & omnia, quae objecta sunt, aut esse possunt divinae potentiae; cognoscit sic clare, distinctissime, adaequate omnia possibilia; ita ut non sufficiat, Deum esse certissimum, per vividissimam conscientiam sui, se omnia posse, quae nullam involvunt contradictionem; omnino requiritur, ut omnis cognitio vaga & quae incrementi est capax a Deo removeatur, utque igitur omnia & singula suae potentiae perspecta habeat objecta. Sic minus recte mentem suam exprimit Cl.* Buddeus, *quando dicit, Deum per sui cognitionem suaeque potentiae contemplationem,* ideas rerum omnium, quas conditurus esset, for-

formaſſe, *&c. cum ſic ideae illae ſpectari poſſent ut* producta, *quae quidem nullum momentum anterius ſupponunt, quo Deus illas nondum habuit, (cum ſic etiam Decretum Dei involveret ideam alicujus momenti, quo illud nondum erat conditum); ſed uti ad Dei naturam pertinet vivida & penitus adaequata cognitio ſuae potentiae, ſic etiam ad Ejus naturam pertinet diſtincta & perfectiſſima cognitio objectorum, quae per ſuam potentiam ad exiſtentiam poſſet perducere. Hanc habuiſſet Deus, licet per omnem aeternitatem ſolus manſiſſet, in cognitione & fruitione ſuarum perfectionum beatiſſimus; neque a Divina voluntate magis pendet haſce ideas, eſſentias rerum ideales pingentes, poſſidere, quam ab ea pendet poſſidere adaequatam ſuae potentiae ideam, vel potius vividiſſimam ejusdem conſcientiam. Haec ſunt ea, quae de Divino intellectu certo cognoſcimus, dum modum non aſſequimur, quo hicce intellectus eſt, & ab omni aeternitate fuit actuoſus.*

(279) *Hebeſcit finiti intellectus acies, quando ſibi repraeſentare allaborat modum, quo Deus immutabilis; & infinita potentia, adeoque creandi facultate ab omni aeternitate gaudens, ante ſex fere annorum millia mundum hunc creaverit, absque eo, quod, a ſtatu non creantis noſtrâ concipiendi ratione tranſiens ad ſtatum creantis, aliquod decrementum fuit paſſa Ipſius abſoluta immutabilitas. Scrupulus hic adeſt, quem varii variis modis tollere ſtuduerunt; ſed incaſſum.* Nova, *ſcilicet, divinae voluntatis determinatio requiri videtur, ut hoc Univerſum ad exiſtentiam perduceretur, quae diverſa erat ab illa, qua Deus ab omni aeternitate conſtituit hunc Mundum producere; an igitur aliqua divinae durationis pars interpoſita fuit inter decretum & inter ejus executionem? Si nulla duratio interceſſerit, creatio ejusdem deberet eſſe aeternitatis cum decreto; ſi aliqua interceſſerit duratio, ſtatuendum videtur, Deum ſucceſſive eſſe actuoſum; imo ab uno modo exiſtendi tranſiiſſe ad alium: ingenioſe hanc difficultatem, & more ſuo urget* Baile *Dict. Crit. in V.* Zarabella *lit. H. quem ſequitur* Premontval *Hiſt. de l'Acad. Roy. de Berlin. Tom. XI. pag.* 487. *ſuiv. hanc tollere minus feliciter conatus fuit* Poiret *Cog. Rat. pag.* 675. *ſeqq. in Edit.* 2da, *vel pag.* 785. *ſeqq. in Edit.* 3tia, *ubi ſupponit, decretum creationis actualis non eſſe factum ante illud momentum, quo entia finita exiſtere incipiebant; quod ſanae rationis placitis omnino eſt adverſum. Neque* Bailius *rem conficit, quando ſupponit in entibus poſſibilibus, quae Deus cognovit ante ſuum decretum, ponendam eſſe* durationem ſucceſſivam idealem, eamque initio & fine carentem. *Deus ex ipſius opinione reliquit in ſtatu merae poſſibilitatis partem hujus infinitae durationis idealis, & parti cuidam* realem *exiſtentiam dare decrevit, atque adeo elegit in illa ideali duratione (quae tota*

tota intellectui divino erat praesens) *pro suo sapientissimo arbitrio, momentum aliquod, quod* primum *esset eorum, quae revera existerent. Sic videtur & immutabilitatem Dei & durationem successione carentem salvam esse, cum aliud quid sit*, successive durare, *aliud quid* successivae durationis habere ideam. *Verum id unum observabo, ideam durationis* successivae, quae tamen initio & fine caret, *esse absurdum quid, nisi unice respiciamus ad initio carentem Dei intellectum, qui omnium rerum possibilium ideas ab omni aeternitate praesentes habuit; sed intellectus divinus sibi repraesentare non potuit durationem entis* contingentis, *quae initio caret; cum contradictionem hoc involveret manifestissimam. Fatendum igitur potius, mentis nostrae finitae indolem facultatesque non permittere, ut positivam & distinctam durationis divinae, quae omni successione caret, formemus ideam, cum nostra existentia, omnesque nostrae operationes sint successivae. Creatio* ordine naturae *decreto est posterior, sed adfirmare non licet, eam* ordine temporis *esse posteriorem; cum* tempus *sit* mensura durationis successivae, *& non daretur, antequam existerent entia successive durantia, adeoque initium habentia suae existentiae. Sic statuere non possumus, Deum per aliquot secula, vel per innumera seculorum millia exstitisse, antequam Universum hoc crearet; cum hac ratione* temporis ideam *immisceamus aeternitati. Deus velle pergit id, quod ab omni aeternitate voluit, absque eo, quod nova accedat divinae voluntatis determinatio, licet ipsae res possibiles aliam acquisiverint ad Deum relationem, postquam nudae possibilitatis complementum per divinam voluntatem fuerunt adeptae.*

(280) *Id tantum circa* emanationem *hujus Universi ex divina essentia notandum, neminem inter hujus systematis emanativi Patronos* (*si* Systema *appellari mereatur opinionum non cohaerentium & absurdissimarum farrago*) *unquam tentasse definitionem vel descriptionem hujus* emanationis; *ita ut dijudicare non liceat, quid per hoc vocabulum intellexerint, uti jam notavi* in Prim. Lin. Theol. Nat. Theor. §. 80. *Nisi certe ipsam creationem ex nihilo indigitaverint* (*quae a nemine sanae mentis* emanatio *appellabitur*) *necessario vel in* Spinosae *castris Deum mundi causam* immanentem, non transeuntem *adfirmantis, militare debent, vel statuere, Deum esse corporeum; & ex corporea Dei essentia fatali necessitate prodiisse huncce Mundum. Si prius,* emanatio *dici nequit, sed* immanatio *potius esset nuncupanda; si posterius, infringunt omnia attributa divina, quae cum Ipsius independentia, & plenissima libertate sunt connexa. Tegere fortassis suam circa mundi originem ignorantiam studuerunt, cum plurimi Veterum neque in hujus Universi aeternitate, neque in ejusdem exortu ex fortuito*

tuito atomorum concurſu acquieſcere poterant; adeoque, lumine Revelationis carentes, ad hoc ſimiliaque vocabula, vix aliquid ſignificantia, confugerunt.

(281) *Quae hic habet Cl. Auctor*, decreta conditionata *reſpicientia, ad examen non revocabo; fuſius & ex profeſſo ſuam ſententiam de hiſce decretis expoſuit* Buddeus *in Theol. Dogm. Lib.* 2. *Cap.* 2. §. 22. *pag.* 216. *ſeq. Id tantum notaſſe juvabit, Deum dici poſſe, decreta conditionata condere, ſi ſimul teneamus, Eum ipſam conditionem, quae exſtare debet, ut aliquid eveniat, praevidiſſe, imo praedeterminaſſe; non vero res ita eſt accipienda, acſi Deus tum demum abſolute velit, ut hoc vel illud contingat, quando certa quaedam conditio adeſt, ita ut, antequam exiſtat illa conditio, de exitu non ſit certus. Sic ſcientia, quae* viſionis *dicitur Theologis, foret* conjecturalis, *& certitudo ante eventum foret nulla; ita ut perfectior foret Dei cognitio poſt eventum, quam ante eundem. Exempla, ad quae provocat Cl. Auctor, deſumta a* Kehilitis 1 *Sam. XXIII:* 9. *ſeq. & a* Tyriis *&* Sydoniis *Matth. XI:* 21, *nequaquam demonſtrant, Decreta Dei eo ſenſu eſſe conditionata, acſi ante eventum incertus fuiſſet, an Kehilitae in talibus circumſtantiis ponerentur, ut Davidem aut traderent, aut tradere poſſent; & an Chriſtus in Tyro & Sydone miracula patraret, quae incolas ad ſinceram poenitentiam permoverent. Si certus fuerit Deus, Davidem non moraturum apud Kehilitas, adeoque hos non verſaturos in circumſtantiis, quae ad traditionem ejus erant neceſſariae, decretum Ejus conditionatum non erat, ſed abſolutum. Penitus tamen omniſcio Numini perſpecta erat Kehilitarum indoles, ita ut pleniſſima cum certitudine ſciret, eos tradituros Davidem Sauli petenti, ac poſtulanti, licet ab omni aeternitate voluerat, ut in circumſtantiis ad illam actionem requiſitis non ponerentur. Sic admitti non poſſunt Cl. Auctoris aſſerta, quando dicit:* Etſi hypothetica (*decreta*) mutationem quandam ſecum vehere videantur, cum aliter impleta, aliter non impleta conditione res eveniat, iſta tamen mutatio rurſus, ſi paulo accuratius conſideretur, in ipſo ſaltem objecto eſt, adeoque Deo nulla ratione tribui poteſt: *non quaeritur enim, an aliqua mutatio contingat in objecto; ſed an non divina ſcientia augeatur, atque adeo mutetur, quando aliqua conditio locum habet, de cujus exiſtentia, vel non-exiſtentia Deus ab omni aeternitate non fuit certus. Si de ipſa conditionis exiſtentia vel non-exiſtentia certus fuit, nulla amplius datur controverſia.*

§. IX.

Quodſi denique objiciant, ſententiam de Deo, ejusque exiſtentia & cultu, inter errores praejudicatasque opiniones referendam eſſe, iterum falluntur turpiter, cum nullam iſtius, quem vocant, erroris cauſam aſſignare valeant. Sive enim ex ſenſuum aut imaginationis depravatione, ſive ex cordis humani pravis propenſionibus, ſive denique ex educatione, falſa perſuaſione, callidisque hominum aliorum artibus errores deducas, tantum abeſt, ut, ex hiſce ſimilibusve fontibus opinionem de Deo ortam eſſe, demonſtrari queat, ut contrarium potius, adeoque ſententiam de Deo veritatem eſſe longe manifeſtiſſimam, evidentiſſime inde eluceſcat. *

* Solenne admodum eſt Atheis, ſententiam de Deo, ejusque exiſtentia & cultu, ſeu religione, inter praejudicatas hominum opiniones, ab educatione, auctoritate parentum, ſimilibusque fontibus depromtam, referre; quo ipſo cuncta, quae illis opponi poſſunt, ſe unico velut ictu proſternere exiſtimant. Sed magnopere falluntur, cum non tantum nihil contra nos hac ratione efficiant, ſed arma quoque ſuppeditent, quibus illorum impietas validiſſime impugnari poteſt. Quod ut ordine oſtendamus, cauſas errorum, falſarumque opinionum in duas diſpeſci claſſes poſſe, obſervandum eſt; quarum altera *internas*, altera *externas* complectitur. Ad internas quod attinet, ut de iis primo loco dicamus, ſenſus, imaginationisque depravatio, falſae ratiocinationes, pravaeque cordis propenſiones ad eam pertinent. Et *ſenſus* quidem ſi rite diſpoſiti non ſint, variis erroribus occaſionem praebere poſſe, notum eſt. Cumprimis etiam hoc contingit, cum ſenſibus ea dijudicare aggredimur, quae intellectui conveniunt. Qua in re ipſorum Atheorum errorem graviſſimum ſtatim deprehendere licet; qui, cum ſenſibus Deum aſſequi nequeant, eum eſſe negant; non alias, quam corporeas, dari ſubſtantias, perperam ſibi perſuadentes. Nos vero, cum aſſeramus, non ſenſibus, ſed ſolo intellectu Deum concipi, ex ſenſuum aut vitio, aut abuſu, hanc ſententiam ortam eſſe, nulla ratione dici poteſt. (282) Idem & de *imaginatione* dicendum. Ex ea, ſi rite ſe non habeat, aut limites ſibi conſtitutos tranſiliat, errores graviſſimos oriri, notum eſt. Ipſique rurſus Athei, certe nonnulli eorum, praeter alia & ideo in impium, quem defendunt, errorem ingra-

grediuntur, quod uti nec ſenſibus, ita nec imaginatione, Deum ejusque attributa concipere valeant. Praejudicata enim iſta, eaque falſiſſima opinione laborant, quicquid homines nec ſenſibus, nec imaginatione aſſequi valent, id revera quoque non exiſtere. Nos contra, cum Deum ſpiritum eſſe aſſeramus, ſimul nec ſenſibus, nec imaginatione, ſed ſolo intellectu eum concipi poſſe, aſſerimus. Unde non magis ex imaginationis, quam ex ſenſuum aut depravatione, aut abuſu, opinio haecce oriri potuit. Quodſi *intellectus* quodam vitio, aut prava quadam ratiocinatione in eam mortales inductos aſſeras, oſtendendum tibi, quodnam hocce vitium ſit, pravaque iſta ratiocinatio detegenda. Hoc quamdiu Athei facere nequeunt, tamdiu fateantur, neceſſe eſt, ſententiam iſtam recte ſe habere, minimeque eſſe erroneam. Ad *inclinationes* autem cordis *propenſationesque* quod attinet, prouti iſtae in hominibus ſibi relictis, nec divina gratia colluſtratis, deprehenduntur, tantum abeſt, ut iſti potius vel maxime repugnent. Qui enim cupiditatum ſuarum ductum ſecuti, in quaevis vitiorum criminumque ſe dant genera, nihil moleſtius ferunt, quam ſi audiant, dari Deum, qui recte facta remuneraturus, ſcelera autem criminaque mortalium puniturus ſit. Hinc de ipſo Epicuro conſtat, ad negandam Numinis providentiam non alia magis re inductum fuiſſe, quam quod eam cum animi tranquillitate conſiſtere non poſſe exiſtimaret. Hactenus quidem recte, quia homo flagitiis variis, cupiditatibusque pravis deditus, ſi Deum, ſupremum judicem, ejusque providentiam credat, animo tranquillo eſſe nequit. Quare, ſi quaeſtio inſtituatur, num Atheorum error, an eorum ſententia, qui Deum eſſe credunt, pravis cordis inclinationibus tribuendus ſit, non temere quemquam fore exiſtimo, qui non prius, quam poſterius affirmandum cenſuerit. Haec vero omnia ſi paulo accuratius conſiderentur, non tantum ex internis illis errorum fontibus nihil, quod doctrinam de exiſtentia Dei labefactet, derivari poteſt, ſed novum potius idque firmiſſimum contra ipſos Atheos inde exurgit argumentum. Si enim infinita praejudicia, quae ex ſenſuum & imaginationis depravatione, pravisque propenſionibus oriuntur, & undiquaque mentem hominis oppugnant, ſententiam de Dei exiſtentia, a prima hominum origine ad noſtra usque tempora conſtanter creditam, nec ex ullo errorum fonte derivandam, labefactare, opprimere, aut oblitterare non potuerunt, ſequitur, eam minime pro erronea, ſed pro veritate potius manifeſtiſſima, & divinitus cordibus hominum infixa atque inſcripta, eſſe habendam. Contigit ſane, ut homines falſos quamplurimos atque erroneos, immo abſurdiſſimos de Deo ſibi conceptus formarent, quod vel Ethnicorum in idololatriam plane ridiculam prolapſorum exemplo patet; idque ex cauſis errorum, fontibusque antea commemoratis, maximam partem ortum eſſe, nulli dubitamus. Sed tamen inter omnes hoſce corruptae natu-

rae, sensuum imaginationis, aliarumque causarum insultus, machinationes, aberrationes, unica illa & praecipua veritas, *Deum esse*, apud plerosque firma, fixa & immota stetit, nullaque ratione concuti atque obscurari penitus potuit. (283) Jam quod ad causas externas errorum & praejudicatarum opinionum attinet, primo inter eas loco sese nobis offert *educatio*. Mirum non esse, inquiunt Athei, plerosque mortalium opinione de Dei existentia imbutos esse, cum liberi hoc ita acceperint a parentibus & praeceptoribus, deinceps eandem sententiam ulterius propagaturi. Referendam itaque hanc sententiam inter praejudicatas opiniones reliquas, ab educatione ortas, & ita ad plures propagatas. Nos vero non equidem negamus, ad conservandam atque propagandam hancce veritatem, educationem, institutionemve parentum & praeceptorum aliquid conferre; at huic unice eam tribuendam, id quidem est, quod prorsus negamus, & sine insigni absurditate asseri non posse, contendimus. Experientia enim docet, educationem non una eademque ratione ubique se habere. Immo, quod moribus opinionibusque in rebus ferè innumeris, & integrae gentes, & singuli homines a se invicem differant, id praeter alias causas educationi cumprimis, ejusque diversitati, imputandum esse, nemo temere inficiatus fuerit. Qui ergo fieri posset, ut communis illa & a toto humano genere recepta sententia, a sola educatione orta esset? Immo cum tanta morum & opinionum diversitas per educationem inter homines exorta sit, sola autem haec sententia, de existentia Dei, illibata permanserit, & ab omnibus gentibus sit adprobata, quis non videt, longe sublimiorem, divinam scilicet, ejus agnoscendam esse originem? Quaerere insuper ex iis, qui, a parentibus suis hanc se hausisse opinionem, dicunt, juvat, unde parentes eam acceperint? Ad quod nisi inepte processum in infinitum admittere velint, non aliter responderi potest, quam extitisse aliquando parentes, qui aliunde, quam a suis parentibus, hanc opinionem acceperint, quod ad evertendam penitus Atheorum impietatem sufficit. Dum hac ratione nihil se proficere sentiunt, a statu domestico ad *civilem* transeunt, religionem, adeoque & opinionem de existentia & cultu Numinis, inter callidorum hominum commenta politica referentes, ad continendam eo facilius in obsequio plebem comparata. (284) Critiam sententiae hujus inter veteres auctorem *cap. I.* §. *XII.* commemoravimus, cujus vestigia in Atheismo hocce politico adornando prae ceteris NICOLAUS MACHIAVELLUS pressit, de quo ibid. §. *XXIV.* dictum (285), & recentiori aetate JOANNES TOLANDUS, cum reliquis legumlatoribus ipsum etiam Mosen, publicis ejusmodi impostoribus annumerans, uti itidem §. *XXVII.* observatum. Quam vero haec sine omni prorsus fundamento dicantur, sequentia docebunt. Primo quidem constat, licet Solon, Lycurgus, Numa, aliique legumlatores religionem instituto suo accommodaverint,

rint, eamque ad obſervantiam legibus ſuis conciliandam, & continendum in obſequio populum, utilem judicaverint, non tamen ipſos religionem excogitaſſe, aut ejus extitiſſe auctores. Hoc enim nullo idoneo ex hiſtoricis monumento comprobari poteſt. Deinde, etſi de uno alterove Principe certum ſit, eum religione, ceu inſtrumento dominandi uſum eſſe; hoc tamen non de omnibus, immo nec de plerisque, ſed ſaltem de pauciſſimis, dici poteſt. Ex eo vero, quod unus alterve non tam religionem excogitavit, quam ſaltem ad reipublicae commoda ea uſus eſt, effectus hicce univerſalis, ſeu totius humani generis, in admittendo & colendo Numine, conſenſus, minime conſequi potuit. Praeterea, etſi Principes rerumque domini religione quandoque ad finem ſuum obtinendum uti poſſint, ſubinde tamen eandem obſtare, quo minus cupitis potiantur, experientia docet. Hinc eos, ſi aliquando, ut commodis ſuis conſulerent, religionis removere obſtacula voluerunt, maximis graviſſimisque ſe expoſuiſſe periculis, notum eſt. Qua quidem ratione cum religio imperantium rebus non minus noxia quandoque, quam utilis eſſe queat; nemo temere eam in ſe ſpectatam pro ejusmodi invento politico, quod & natales & conſervationem ſuam rationibus politicis unice debeat, venditaverit. Ad religionem Moſaicam ſeu Iſraëliticam ſpeciatim quod attinet, etſi non defuerint, qui, Moſen divinum virum impoſturae per turpiſſimam calumniam redarguentes, in ſancienda ob rationes politicas religione auctoritatem Numinis obtentui ſumſiſſe, impudentiſſime contenderint, magnopere tamen eos falli, facillimo negotio demonſtrari poteſt. Certe cum palam & aperte pleraque in conſpectu populi Iſraëlitici geſta ſint, quibus ſe divinitus miſſum Moſes comprobavit, fraudi & impoſturae locus eſſe non potuit. (286) Maxima enim miracula inſpectante, vidente, ſentiente toto populo Iſraëlitico edidit, adeo ut ipſi Iſraëlitae vocem Dei in monte cum Moſe loquentis audiverint. Nec eſt, quod, quae Moſes ipſe hac de re ſcripſit, in dubium voces, cum Iſraëlitae mendacii ipſum haud dubio redarguiſſent, niſi aut ipſi vidiſſent, ea revera geſta eſſe, quae narravit, aut a majoribus ſuis hoc accepiſſent. Tantum vero abeſt, ut hoc fecerint, ut potius ſumma iſta & incredibilis in obſervandis inſtitutis Moſaïcis conſtantia, quam in Judaeis admiramur, non aliunde derivanda ſit, quam quod juſta ſucceſſione a majoribus ſuis acceperint, edita a Moſe iſta miracula fuiſſe. Accedit, quod Gentilium quoque ſcriptorum teſtimonio, miracula iſta a Moſe edita fuiſſe, comprobari queat, ut vel ex iis, quae ex EUMENIO refert EUSEBIUS, *libr. IX. praeparat. Euangel. cap. VIII.* conſtat. Jungenda, quae hac de re dixi, in *hiſtor. Eccleſ. vet. teſtam. par. II. ſect. I.* ad §. *I. pag.* 511. *ſeqq.* & ad §. *XI. pag.* 533. *ſeqq.* Sed nec iſtud praetermittendum, etſi Moſes leges varias, tum ad religionem cultumque Numinis, tum ad ſtatum civilem ſpectantes, Iſraëlitis tradide-

diderit, ipsam tamen religionem non instituit primus, quippe qua Israëlitae jam pridem imbuti erant, sed a Patriarchis acceptam, jussu Numinis institutis variis, ritibus, ceremoniis, legibus, pro istius temporis ratione, eam auxit & amplificavit. Et haec quidem, quae religioni Patriarcharum accedebant, in quibusdam statui reipublicae Israëliticae jussu & voluntate Numinis erant accommodata; non tamen in omnibus, multo minus unicus hic aut praecipuus Mosaicae religionis erat scopus, quippe qui ad aeternam potius Israëlitarum salutem erat comparatus. (287) De Christiana vero religione si quis hoc asserere auderet, eam excogitatam hunc in finem, ut dominandi instrumentum esset, nae is se ipsum turpiter traduceret. Praeterquam enim quod nec ipse Christus religionem primum introduxit, aut novam condidit, sed veterem, aliam ejus saltem constituendo oeconomiam, continuavit; sane qui tum ipsius Servatoris, tum Apostolorum conditionem consideraverit, nunquam in animum inducet, ut credat, politicis rationibus hac in re eos locum reliquisse. Est sane religio Christiana ita comparata, ut in se spectata, commoda plurima reipublicae civilibusque societatibus adferat; sed huncce ejus finem praecipuum esse, nemo, nisi ejus plane expers sit, asseret; qua de re plura dixi, in *dissertat. de concordia religionis Christianae statusque civilis, cap. I.* Cum vero insuper talia doceat, quae pravis cupiditatibus e diametro repugnant, his inductos homines ad eam aut excogitandam aut propagandam, nemo temere sibi persuaserit. Equidem, ex quo hinc inde dominans esse coepit, extitisse subinde homines, qui commodis suis eam accommodaverint, non diffiteor; sed hi, ut hoc ipso demonstrarunt, se indignos nomine Christiano esse, ita nihil, quod religioni ipsi ejusque veritati aut praestantiae fraudi esse queat, inde sequitur, multo vero minus eam dominandi causa aut inventam aut introductam esse, inde colligi poterit. (288) Atque id quidem nunc nobis contra Atheos sufficit.

(282) *Si ideo existentiam Dei negare velint Athei, quia sensibus non deprehenditur, gravissimi erroris possunt convinci; quia, licet ipsam Dei substantiam, utpote ab omni materia atque a qualicunque extensione longissime remotam, sensibus non usurpemus, in ipsis tamen rebus, quae sensibus cujuslibet hominis sunt obviae, adeo manifesta reperiuntur sapientissimi, potentissimi, & optimi Artificis ac Moderatoris indicia, ut, qui non penitus praejudiciis sunt occaecati, aut adfectibus immoderatis acti in transversum, de Ipsius existentia plenissime reddantur persuasi. De existentia mentis suae sunt certi, licet Athei per eam quandoque intelligant fluidum subtilissimum, vel organisationem determinatam cerebri; & tamen nunquam oculis usurparunt illud fluidum, illamve organisationem; unice ex effectibus concludunt istius*

mentis

mentis existentiam. Imo aeris existentia in dubium a nemine vocabitur, propter innumeros effectus, quos edit; sed ipse aer secundum plurimos Physicos non conspicitur oculis corporeis; quidquid videtur ex aere, referendum, secundum haecce placita, ad corpuscula in aere natantia; atque adeo ex effectibus eruitur conclusio circa ipsius existentiam. An igitur Dei existentia ideo negaretur, vel vocaretur in dubium, quia ipsa Ejus substantia non conspicitur oculis corporeis, vel aliis sensibus non detegitur? dum per omnia & singula corporis nostri organa deprehendimus undique indubios effectus, qui Ejus sapientiam, potentiam & beneficentiam reddunt manifestissimam, atque invictis argumentis, quae frigidis dissentientium exceptiunculis nunquam labefactata fuerunt, demonstretur, Deum esse purissimam Intelligentiam, quae cum qualicunque extensione nihil habet commune.

(283) *Differit hac occasione denuo Cl. Auctor de argumento, quod a pluribus fuit petitum ex* Consensu Gentium, *quodque proponere potuisset in fine Cap. V. ubi* argumenta Historica *exhibet pro existentia Dei militantia; sed idem illud jam tetigit alia in relatione Cap. memorati* §. 1. *ut evinceret,* notitiam de Deo cordibus omnium mortalium ab ipso Numine insitam esse, *ubi conferenda sunt ea, quae notavi ad illum locum* n. 156.

(284) *Vid. ea, quae supra observavi ad Cap. V.* §. 1. n. 157.

(285) *Nihil reperire potui in scriptis* Machiavelli, *quo Dei existentiam impugnat eo nomine, quod Religio sit callidum Politicorum inventum; ipsam quidem Religionem politice spectat tanquam vinculum societatis civilis; sed nemo datur inter Deitatis propugnatores, qui non agnoscit Religionis utilitatem & necessitatem in societate humana; cum, hac sublata, atque eradicata ex animis hominum, Terrarum orbis foret horrendum injuriarum atque atrocissimorum scelerum theatrum. Conf. ea, quae notavi ad Cap.* 1. §. 24. n. 53.

(286) *Dudum observatum fuit a variis eruditionis & pietatis laude conspicuis Theologis, tales indolis Mosaicae exstare in Pentateucho characteres, quales in Impostoribus atque in fraudes machinantibus Politicis nunquam reperiuntur, aut sedem suam habere possunt. Ab ambitione & ab adulatione alienissimus propria non tegit vitia, & populi sui naevos atque delicta monstrat, illique satis graviter eosdem quandoque exprobrat; non, nisi a Deo missus, Ducis munus in se suscipit fere invitus, suaeque missionis indubia exhibet documenta; non confert munera splendidiora in suos liberos aut consanguineos; in hos saltem non, nisi expresso Dei jussu & electione; non promittit diadema suae Tribui,*

bui, sed Judae; non successorem eligit ex sua Familia, sed sibi peregrinum Josuam; provocat ad miracula, quae in Israëlitarum favorem vel poenam a Deo erant patrata, non vero narrationes suas populo posterisque obtrudit. Conf. Principia Religionis Nat. & Revelatae *Tom.* 2. *pag.* 61—135.

(287) *Basin totius Religionis, a Mose Numinis jussu introductae, esse Doctrinam illam, de cujus veritate Patriarchae fuerant persuasissimi, manifestum est, si perpendamus,* Legem moralem, *Decalogo comprehensam, esse Naturali legi exacte conformem, omniaque continere, quae ad religionem & ad mores recte instituendos necessaria sunt, praecepta: cumque Israëlitae Mosis tempore, uti & post ipsius obitum, Idololatriae & Superstitioni essent addictissimi,* Legem ceremonialem, *picturas comprehendentem eorum, quae serioribus aevis contingerent, & quae e longinquo quasi considerabantur ab iis, qui salutifero lumine erant illustrati inter Israëlis posteros, introduxit ad verae Religionis, quae inter Patriarchas viguerat, praesidium, & ad pellendam Idololatriae pestem; per circumcisionem & per observantiam Sabbathi distinguebantur Israëlitae ab omnibus aliis Gentibus, Deusque illis ante oculos ponebatur tanquam coeli, & terrae, totiusque exercitus coelestis, qui numinum instar a Gentilibus colebantur, Creator. Eodem modo de pluribus aliis ritibus, a Mose auctoritate divinâ praescriptis, demonstrare licet, eos multum fecisse ad revocandos Israëlitas ab actibus Idololatricis & a communione cum Ethnicis ad superstitionem proclivibus. Imo ipsae* Leges forenses *a Mose latae, vel cum Legibus naturalibus conspirabant, vel ad puritatem Religionis conservandam, Judaeosque a Gentilibus Idololatris separandos faciebant omnes. Nihil igitur in toto eorum complexu, quae Moses peregit, detegitur, quod ambitionem redolet, aut dominandi libidinem prodit: sed omnia faciebant ad stabiliendam fovendamque Patriarcharum Religionem, & ad salutem totius Gentis Israëliticae.*

(288) *Conf. ea, quae supra notavi ad Cap. IV. §. 5. n. 150. Parum certe perspectam habere debet Christianae Religionis indolem, qui sibi persuadere potest, eam dominandi causa esse introductam; aptissima quippe est verae virtuti promovendae, sive respiciamus ad spem certam per Christi merita, post sinceram poenitentiam fidemque, in gratiam redeundi cum sanctissimo sed laeso Numine, sive ad potentissimum divinae gratiae auxilium, quod mascule pugnantibus contra hostium spiritualium impetus promittitur; sive denique ad apertas magis futurae vitae ac resurrectionis promissiones, divina voce confirmatas, & ipsius Christi resurrectione roboratas. Imo de omnibus Christianae Religionis dogmatibus adfirmare non dubito, ea ambitioni esse contraria, pacem vero,* cha-

charitatem, modestiam, humilitatem, (Gentilibus Philosophis vix, ac ne vix quidem cognitam) promovere, ac aequalitatem naturalem ejusque originem omnium manifestissime indicare; ita ut Religio haecce cum Lege naturae exactissime conspiret, eam perficiat, accuratius inculcans officia, quae erga Deum, erga nos ipsi, & erga alios homines observanda habemus, quaeque nunquam observantur ab iis, qui sub Religionis praetextu in alios dominandi libidine agitantur. Vid. Dissertationes Stolpianae, *praesertim quae A.* 1761. *praemium reportavit, quaeque illi accesserunt, ad quaestionem hancce respondentes;* quanto perfectiorem principiis, incitamentis & finibus reddiderit Ethicam Divina Revelatio; *in quibus Amplissimus* Perrenot *& Consultissimus* E. Luzac, *nec non Anonymus aliquis eruditissimus egregia docuerunt, ex quibus asserta mea abunde demonstrantur.*

CAP. VII.

REFUTATIO DOGMATUM CUM ATHEISMO CONJUNCTORUM AUT AD EUM DUCENTIUM.

Σύνοψις.

Demonstratur, dari providentiam Dei, §. *I.*
Animam hominis & immaterialem esse, & immortalem, §. *II.*
Praeter animam hominis, & alios dari spiritus, seu substantias omnis materiae expertes, §. *III.*
Itemque vaticinia, seu futurorum, & quidem contingentium praedictiones, quae soli Deo sint tribuendae, §. *IV.*
Ut & miracula, proprie sic dicta, §. *V.*
Christianae religionis veritas adstruitur, §. *VI.*
Itemque, divina scripturae sacrae auctoritas, §. *VII.*

§. I.

§. I.

Non tantum esse Deum causam conditoremque hujus universi, sed omnia quoque, quae condidit, eum sustinere, conservare, dirigere, sapientissimeque gubernare, ut sine provida ejus cura nihil, ne in minimis quidem rebus, contingat, nec sine benigno ejus concursu quidquam moveatur, vel ex ipsa ejus, quae omnium mentibus insidet, notione, summaque adeo & infinita ejus sapientia, benignitate, potentia, non minus ac ex rerum creatarum infirmitate & indigentia, variis itidem, quae quotidie se nobis offerunt, vitae humanae casibus, aliisque argumentis, tam evidenter constat, ut nemo, nisi ratione omni destitutus, hac de re dubitare queat. * Indeque adeo, quam turpiter, qui Numinis providentiam negant, errent, elucescit.

* Deum rerum a se creatarum, totiusque adeo hujus universi, hominum cumprimis, curam providam, eos conservando, & ad motus eorum cunctos concurrendo, tum dirigendo & sapienter omnia gubernando, gerere, etsi ejusmodi sit, ut nemo sanae mentis de eo dubitare debeat, sequentibus tamen evinci rationibus potest. Primo ex *summa Numinis sapientia* id patet. Hanc enim, qui Deum admittunt, simul admittere, necesse est. Sapientiae vero erat, non tantum mundum condere, sed ita eum instruere, & administrare, ut honor & gloria summa inde ad auctorem redundaret. Nullam autem si mundi curam gereret, nulla quoque creaturis ratione praeditis daretur occasio, conditori suo cultum honoremqne exhibendi. Immo omnis cultus veneratioque Numinis cessaret, cum nullam tum haberent causam eum honore aut cultu prosequendi; immo & frustra hoc facerent, cum Deus, incurius rerum hujus mundi, talia non curaret, nec exigeret; eodemque adeo loco essent, qui aut honore aut opprobrio eum afficerent. Quod profecto cum sapientia summa, adeoque ipsa Dei notione, e diametro pugnat. Patet idem ulterius ex *finibus rerum omnium*, qui ut novum pro Numinis providentia argumentum nobis suppeditant, ita prius illud confirmant. Vel partium singularum atque membrorum, quibus animalia quaevis constant, structura, omnes condocet, ad certum finem ea esse comparata. Hoc ergo cum de membris partibusque minutissimis constet, multo magis de ipsis animalibus, & iterum multo

magis de homine, animalium omnium praeſtantiſſimo, & rurſus magis de toto hocce univerſo dicendum fuerit. In finibus autem hiſce ad ſe invicem referendis & ſibi ſubordinandis, neceſſario tandem ad ultimam quandam ſeu univerſalem perveniendum eſt, qui profecto alius, quam ſapientiae, potientiae, bonitatis divinae demonſtratio, adeoque honor & gloria conditoris, eſſe nequit. Sed quo pacto ulla ad eum inde redundare gloria ullusve honor poſſet, ſi incurius & negligens rerum omnium, nullam earum curam gereret, cunctaque ſusque deque ferri ſineret? Immo contradictionem manifeſtam involvit, opus aliquod immenſum, infinitae potentiae, benignitatis argumentum praebiturum, ad ſummam conditoris gloriam manifeſtandam producere, & rurſus id ita abjicere, atque negligere, ut, num honos an opprobrium inde ad conditorem redundet, perinde ſit. At Epicurum, inquis, ceterosque, qui mundi creationem non admittunt, haec non feriunt. Sed cum hanc iſtorum hypotheſin abſurdiſſimam ineptiſſimamque eſſe, ſupra ſatis demonſtratum ſit, mundumque a Deo originem habere, neceſſario admittendum ſit, haec omnino & Epicurum & ceteros Atheos, omnesque, qui providentiam Divinam in dubium vocant, feriunt. Ex *bonitatis* porro & *potentiae divinae* conſideratione ſequens argumentum oritur: ſi nullam Deus hujus univerſi curam gereret, inde hoc contingeret, quod aut non vellet, aut non poſſet hoc facere. Si enim & vellet & poſſet, certe curam gereret. Eum hoc non poſſe, nemo dixerit, cum iſta impotentiae confeſſio ſummam in Deo argueret imperfectionem. Non magis tamen, eum hoc non velle, dici poteſt; quippe quod bonitati ejus repugnaret, quae cum potentia Dei, ceterisque ejus perfectionibus, pari paſſu ambulat. Bonitatis autem divinae erat, non tantum creare mundum, ſed conſervare atque dirigere, ut res creatae omnes juſto ordine ad finem a creatore illis conſtitutum deducerentur. Etenim, *quis operator*, inquit AMBROSIUS, *negligat operis ſui curam? quis deſerat & deſtituat, quod ipſe condendum putavit? Si injuria eſt regere, nonne eſt major injuria, feciſſe? cum aliquid non feciſſe, nulla injuſtitia ſit; non curare, quod feceris, ſumma inclementia. Quod ſi aut Deum, creatorem ſuum, abnegant, aut ferarum & beſtiarum ſe haberi numero cenſent, quid de illis dicamus, qui hac ſe condemnant injuria? de offic. libr. I. cap. XIII. pag.* 26. Si dicas, Deum equidem & velle & poſſe hujus univerſi curam gerere, ſed hoc ei moleſtum eſſe, nec cum beatitudine ejus convenire, puerorum more loqui, & ipſemet, quid neſcias dicere mihi videris. Sed hac de re deinceps. Benignitas bonitasque Numinis in provida rerum omnium cura eo erit manifeſtior, ſi *infirmitatem* inſuper *indigentiamque rerum creatarum omnium* conſideres, quae novum ſimul pro Numinis providentia aſſerenda argumentum ſuppeditat. (289) Quam enim res creatae omnes nihil, ut exiſterent, conferre potuerunt,

runt, tam certum eſt, quod ſe ipſas conſervare nequeant. (290) Non minoris enim potentiae eſt, conſervare & continuare exiſtentiam, quam eandem producere atque largiri. Ipſasmet autem res creatas, ut exiſterent, non effeciſſe, & conſideratio earum, & ſua quemque conſcientia tam evidenter docet, ut ſine inſigni ſtultitia hac de re dubitari nequeat. Nec eſt, quod obvertas, majoris virtutis & potentiae fuiſſe, mundum condere, qui ſe ipſum conſervare, & ſine concurſu Numinis movere, ſineque ejus gubernatione dirigere potuerit, quam talem, qui in his omnibus Numinis influxu, concurſu, directione opus habeat. Primo enim, non de eo, qualem Deus mundum creare potuerit, quaeſtio eſt, ſed qualem creaverit. (291) Cumque inſana ſit temeritas, ſi miſerrimi homines exiſtiment, ſe perfectius quid, quam quod Deus fecit, vel cogitatione aſſequi poſſe, ita, qui rectae rationis limites non ſupergreditur, facile intelligit, mundum ita conditum, prouti ſummae Numinis ſapientiae hoc erat convenientiſſimum. Eſto itaque, fuerit majoris virtutis & potentiae, mundum condere, qui nulla conſervatione, concurſu, gubernatione indigeat, non tamen aeque minoris hoc fuiſſet ſapientiae. In operibus autem divinis rite aeſtimandis non tantum potentiae & virtutis, ſed ſapientiae quoque divinae habenda eſt ratio. Conſervationis autem & gubernationis iſta neceſſitas, id res creatas omnes ratione praeditas condocere poteſt, ſe unice a Conditoris ſui dependere voluntate, nec ſine ejus nutu agere quidpiam ac ſuſcipere poſſe, eoque magis ad eum colendum & venerandum, obſequiumque ei praeſtandum, omnia quoque beneficia, quae ſingulis fere momentis ab eo accipiunt, grato agnoſcenda animo, eſſe obſtrictas. Talem vero mundi diſpoſitionem quis non praeferret ei, ubi res creatae ratione praeditae vix quidquam, quod Creatori ſuo imputent, ſe invenire ſibi videri poterant. Denique & vel mediocris *eorum, quae quotidie in vita humana ſeſe nobis offerunt*, conſideratio, quemvis, mundum hunc ſapientiſſime gubernari, facile convincet. Si primo ſingulorum hominum vitam conſideremus, multa circa nativitatem, educationem, praeceptores, inſtitutionem, inſtinctum ad certum vitae genus, & alia ſe nobis offerunt, quae, primo intuitu, caſu fortuito ita evenire exiſtimamus. Quod ſi vero porro eosdem homines, magnis aliquando admotos muneribus, conſpicimus, in quibus talia agunt, quae ſingularem aut eccleſiae aut reipublicae mutationem adferunt, & quae efficere non potuiſſent, niſi conſpirantibus ad eundem finem cauſis pluribus, ad hoc velut aptati & praeparati eſſent, quis quaeſo tam hebetis ingenii aut duri pectoris fuerit, ut ſine ſingulari Numinis & ſapientiſſima directione iſta contigiſſe, ſibi perſuaſurus ſit? Jam integras ſi conſideremus res publicas, imperiaque orbis, eorumque incrementa, decrementa, mutationes, viciſſitudines, converſiones, certasque obſervemus periodos, aut coecus ſit

oportet, aut fupremam quandam in his omnibus agnofcat directionem. (292) Sane non me fugit, caufas quasdam politicas in his omnibus intercedere, quemadmodum & in rebus naturalibus interventu caufarum fecundarum effectus omnes producuntur, fed his folis iftas rerumpublicarum converfiones mutationesque tribui poffe, ipfi peritiffimi rerum civilium magiftri abnuunt. Idque adeo verum eft, ut etiam quidam Philofophi ex aftrorum pofitu, alii ex fati legibus duriffimis, alii aliunde converfiones iftas mutationesque derivare aggreffi fint. Docetque experientia quotidiana, vel minimae circumftantiae fubitaneam mutationem efficere, ut confilia fapientiffima effectu careant; quemadmodum ex eadem experientia conftat, faepiffime, cum de felici eventu nemo dubitat, res fecus evenire, profpere contra cedere, cum de felici fucceffu omnes defperant. Quodfi porro addatur, in tantis rerum humanarum viciffitudinibus, mutationibus, infperatisque eventibus, femper tamen conftantem ordinem, & ad certum finem directionem confpici, tum fane omne de providentia quadam gubernatrice nobis eximetur dubium. (293) Multo id luculentius adhuc patet, in mirabili ifta Ecclefiae Chriftianae plantatione, confervatione & propagatione. (294) Cum quis humilem Chrifti fervatoris, dum in his terris vixit, conditionem, fortemque abjectam difcipulorum ejus, potentiam contra, auctoritatem & multitudinem adverfariorum, qui fe Chrifto & Apoftolis opponebant, confiderat; cum vero porro, hifce non obftantibus, doctrinam Chriftianam totum impleviffe orbem, & tot gentes populosve, qui Chrifto nomen dederunt, fecum expendit; cum denique mirabilem iftum effectum caufis aptiffime refpondere, animadvertit, ita quidem, ut, eas caufas ad hunc effectum producendum comparatas fuiffe, nemo dubitare queat, etfi initio nemo mortalium cogitaverit, aut cogitare potuerit, quod hunc effectum producturae effent, haec omnia tam evidenter divinam arguere providentiam intelliget, ut nec in ipfis Mathematicorum demonftrationibus major evidentia requiri queat. Quodfi cum ejusmodi hominibus nobis res effet, qui Scripturae auctoritatem admitterent, luculentiffima ejus teftimonia rationibus hactenus allatis addi poffent. (295) Sanctiffimi namque homines, quorum res geftas commemorat, Abrahamus, Ifaacus, Jacobus, Mofes, David, omnes unanimi confenfu & uno ore teftantur, firmiter fe crediditffe, in tota vita fua nihil fine nutu & voluntate Dei fibi contingere potuiffe, eumque remuneratorem effe recte factorum, fcelerum autem juftiffimum vindicem. Cumprimis & Jofephus Patriarcha hoc teftatur, qui cum a fratribus venditus in Aegyptum deductus effet, Deo cuncta fapienter difponente haec ita eveniffe, agnovit, ut patri fratribusque aliquando alimenta fubminiftrare poffet, *Gen. XLV: verf.* 6, 7. Hinc &, *vos quidem*, inquit, ad fratres verba faciens, *cogitaveratis contra me malum* (fed) *Deus*

Deus cogitavit illud in bonum (convertere) *ut faceret, ſicut eſt die hoc, conſervando in vita populum multum, Gen. L: verſ.* 20. Ipſe Deus apud Eſaiam vatem, *ego*, inquit, *produco lucem & tenebras; ego efficio pacem, & creo malum, cap. XLV:* 7. Amos, *nihil eſſe mali in civitate*, fatetur, *quod Dominus exercituum non fecerit, III.* 6. *Bona & mala provenire ab altiſſimo*, diſerte Jeremias pronuntiat *Thren. III:* 38. Volucrium coeli & liliorum agri curam Patrem coeleſtem gerere, optimus Servator noſter docet, indeque concludit, multo magis homines de provida Numinis cura certos eſſe poſſe. *Intuemini*, inquit, *in volucres coeli, non enim ſerunt, neque metunt, neque cogunt in horrea, ſed pater ille veſter coeleſtis alit eas, nonne vos multo praeſtatis eis? Matth. VI:* 26. Et iterum: *Quodſi herbam agri, quae hodie extat, & cras in clibanum conjicitur, Deus ita circumveſtit, nonne vos multo magis, o exigua fide praediti! ibid. v.* 30. Immo *ne paſſerculum quidem, niſi volente patre coeleſti humum cadere*, idem aſſerit, *Matth. X: verſ.* 29. Paulus vero rem omnem compendio quodam complexus eſt, quando, *in Deo*, inquit, *vivimus, movemur, & ſumus, Actor. XVII:* 28. Hiſce omnibus & Gentilium Philoſophorum de Numinis providentia effata adjicere poſſem. Verum, praeterquam, quod iis facile carere queamus, caute admodum in iis verſandum eſſe, nemo hiſtoriae Philoſophicae vel mediocriter peritus, dubitaverit; cum ſub ſplendidiſſimis illorum de providentia divina effatis, graviſſimi ſubinde lateant errores. Quam facile autem aliquis hac in re labi queat, vel SALVIANI, Maſſilienſis Presbyteri, exemplum nos condocere poteſt. Gentilium enim Philoſophorum teſtimoniis providentiam probaturus, hunc in modum diſſerit: *Probamus igitur ne illos quidem de incurioſitate ac negligentia iſta ſenſiſſe, qui verae religionis expertes nequaquam utique Deum noſſe potuerunt, quia legem, per quam Deus agnoſcitur, neſcierunt. Pythagoras Philoſophus, quem quaſi magiſtrum ſuum Philoſophia ipſa ſuſpexit, de natura ac beneficiis Dei diſſerens, ſic locutus eſt:* Animus per omnes mundi partes commeans atque diffuſus, ex quo omnia, quae naſcuntur, animalia vitam capiunt. *Quomodo igitur mundum negligere Deus dicitur, quem hoc ipſo ſcilicet ſatis diligit, quod ipſum ſe per totum mundi corpus intendit? Plato, & omnes Platonicorum ſcholae moderatorem rerum omnium confitentur Deum. Stoici eum gubernatoris vice intra id, quod regat, ſemper manere, teſtantur. Quid potuerunt de affectu ac diligentia Dei rectius religioſiusque ſentire, quam ut eum gubernatori ſimilem eſſe dicerent? hoc utique intelligentes, quod, ſicut navigans gubernator, nunquam manum ſuam a gubernaculo, ſic nunquam penitus curam ſuam Deus tollit a mundo, &c.* de *gubernat. Dei lib. I. pag. m.* 3, 4. Verum incaute admodum & Pythagorae & Stoicorum iſta effata huc trahit, quippe quae, Deum mundi eſſe animam, ſupponunt, adeoque Atheiſmo certo modo patrocinantur; unde &

pro-

providentiam eo ſenſu comprobant, quo & Athei eam haud difficulter admiſerint. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. (296) Nos id potius nobis nunc datum credimus, ut, poſtquam providentiam Numinis rationibus luculentiſſimis evicimus, ad argumenta etiam, quibus Epicuraei eam impugnant, quaeve *cap. III.* ad §. *I.* commemoravimus, reſpondeamus. Ad primum itaque quod attinet, quando objiciunt, multa in hocce rerum univerſo exiſtere, de quibus dici nequeat, *quod in hominum uſum condita ſint*, eaque adeo omni carere utilitate, indeque porro colligunt, ea caſu fortuito extitiſſe, ſatis oſtendunt, ſe neutiquam exacto judicio, quae dicunt, expendiſſe. Primo enim ſi vel maxime nonnulla in hocce orbe reperiantur, quae homini commodum non adferunt, inde nondum ſequitur, ea omni utilitate carere. Eſt quidem hominis utilitas inter fines Creatori conſtitutos; ſed hic nec unicus eſt, nec praecipuus. Quare ſi quid eſſet, quod directe homini commodum non adferret, alia tamen ratione, aut ad integritatem, ordinem, decus hujus univerſi pertineret, vel quocunque modo ſapientiam, gloriam Creatoris manifeſtaret, de eo, quod utilitate careret, vel ſuperfluum eſſet, nulla dici ratione poſſet. (297) Deinde, ſi ad exempla deſcendamus, oſtendi haud difficulter poteſt, Epicuraeos multa pro inutilibus habuiſſe, quae revera utiliſſima non tantum, ſed & maxime neceſſaria hominum generi ſunt, ut vel ex iis, quae *cap. V.* §. *IV.* & *V.* diximus, apparet. Multa denique inſignem hominum generi adferre poſſunt utilitatem, etſi nobis non ſatis ea perſpecta ſit atque explorata. Cum enim anguſti, quibus cognitio noſtra circumſcripta eſt, termini, nobis haud quaquam ignoti ſint, non tam temeritas, quam inſania eſſet, ſi quis aſſerere velit, hoc aut illud inutile vel ſuperfluum eſſe, ideo quod utilitatem vel neceſſitatem iſtius rei cogitationibus noſtris non ſtatim aſſequi poſſimus. (298) Alteram rationem ſecus ſentientibus, qua providentiam divinam impugnant, *miſeriae iſtae ac calamitates*, quibus omnes homines a primo nativitatis momento, usque ad ultimum vitae halitum, circumſepti ſunt, ſuppeditant. (299) Ad quam tamen, quae prompte regeri queant, non deſunt. Non equidem diſceptabo, ſi mala Phyſica cum bonis, quae ſingulis hominibus obtingunt, comparentur, ſitne plus bonorum in hoc mundo, an malorum? (300) Legi enim poſſunt, quae erudite hac de re contra PETRUM BAELIUM diſputat illuſtris auctor *des Eſſais de Theodicée ſur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme, & l'origine du mal. part. III.* §. *CCLI. pag.* 431. *ſeqq.* (301) Nec abnuerim, nonnullos homines calamitates & miſerias, quibus circumſepti ſumus, plus, quam decet, exaggerare, quod idem illuſtris auctor monet. Multo minus inficiatus fuerim, multa mala & calamitates in hominum tantum imaginatione conſiſtere. Enimvero, licet haec omnia concedam, plus ſcilicet bonorum in hoc mundo eſſe, quam

quam malorum, homines in calamitatibus exaggerandis modum excedere, multos non futuros miseros, nisi, se miseros vel esse, vel fore, sibi imaginarentur; licet, inquam, haec omnia concedam, remanet tamen dubium, an calamitates istae & miseriae, quae revera & citra imaginationem homines premunt, doloremque maximum subinde illis adferunt, cum bonitate Numinis conciliari queant? Respondeo, conciliari omnino posse, cum, quicquid verorum malorum homines premit, ipsis hominibus, non autem Deo, tribuendum sit. Nimirum discernenda hic primum vera mala sunt ab illis, quae perperam & falsa persuasione pro malis habentur, cum mala non sint. Deinde, quod ad mala Physica vere talia attinet, ea ex malis moralibus, seu hominum peccatis oriri, rotunde & citra ambages asserimus. Homines enim si non pecassent, nullis calamitatibus, miseriis nullis, nullis adflictionibus, aut cujuscunque generis malis essent obnoxii. Quod ergo sua culpa homines sibimet ipsi attraxere, id Deo tribui nequit, multo minus bonitati ejus infinitae potest opponi. (302) Omnis ergo quaestio ad moralis mali originem redit, de qua deinceps dicemus. Nunc saltem ad argumentum, quod LACTANTIUS ex mente Epicuri proposuit, quodque supra *cap. I.* §. *III.* exhibuimus, simulque PETRO BAELIO, *dict. histor. critic. voc. Pauliciens*, *pag.* 2324. insolubile videri diximus, paucis respondebimus. *Deus*, inquit, *aut vult tollere mala*, *& non potest; aut potest*, *& non vult; aut neque vult*, *neque potest: aut & vult*, *& potest*. (303) Respondetur, si potentiam Dei & voluntatem absolutam spectemus, qua omnia efficere potest, quae contradictionem non involvunt, & omnia etiam vult, quae bonitati ejus & sapientiae conveniunt, dicimus, Deum & posse & velle mala quaevis tollere. Quodsi vero potentiam ejus & voluntatem ordinatam spectemus, tum sane nec potest, nec vult mala tollere; ut tamen illud nec potentiae defectum, nec bonitatis in eo arguat imminutionem. Nimirum, postquam homo per libertatis suae abusum, divinam legem migrando, & a Deo deficiendo, omnem miserarium cumulum sibi attraxerat, Deus quidem viam rationemque, ut inde emergere posset, ei constituit, atque monstravit, idque divinae bonitatis erat; sed certo simul hoc fieri voluit observato ordine, idque divinae erat sapientiae. Hunc ergo qui observant ordinem, id obtinent, ut, illorum intuitu, mala Physica non amplius mala sint. Reliqui autem habent, quod sibi ipsis imputent. Quodsi ergo quaeras, quae causa sit, quod potentia & voluntas Dei sit ordinata, adeoque mala Physica nec possit, nec velit tollere, in necessaria ista sapientiae & justitiae cum bonitate divina conjunctione facile eam invenies. Non enim separanda sunt, sed conjungenda attributa Numinis; quod qui observant, ex omnibus istis difficultatibus facile se expedient. Atque hinc etiam cognoscere licet, quid ad rationem, ab *origine mali moralis* desumtam, quam tertio

loco providentiae divinae hoſtes urgent, reſpondendum ſit. PETRUS ſane BAELIUS argumentum Epicuri, quod ex LACTANTIO attulimus, de malis Phyſicis intellectum inſolubile eſſe, putat; quodſi vero ad mala moralia inſuper transferatur, id plane inexpugnabile eſſe, ſibi perſuadet. Nos quidem lubentes fatemur, veram mali originem rationi minime perſpectam eſſe, quam adeo neſciremus, niſi Scriptura ſacra nos de ea certiores reddidiſſet. Unde & mirum non eſt, Gentilium Philoſophos mirum in modum fluctuaſſe, cum cauſa malorum illis reddenda eſſet, ſed in varios quoque eosque interdum plane abſonos errores prolapſos eſſe. Quantumvis autem ratio iſta ignoret, nihil tamen inde contra providentiam Numinis colligi poteſt, multo minus id inde ſequitur, quod cupit PETRUS BAELIUS. Cum enim ratio ex ipſa Dei notione, aliisque argumentis antea allatis, evidentiſſime cognoſcat, Deum rerum hujus univerſi curam gerere, de cauſa autem & origine malorum nihil certi pronuntiare queat, abſonum profecto & contra ipſam rationem eſſet, ex rei cujusdam ignorantia, ad veritatem manifeſtiſſimam impugnandam argumentum ducere velle. (304) Iniquius vero adhuc magisque abſonum eſſet, ne ignorantiam noſtram agnoſcere, aut profiteri teneremur, ad hypotheſin manifeſto abſurdam, e. gr. de duplici principio independenti, & notiones, quae menti noſtrae inſident, clariſſimas evidentiſſimasque, evertentem, prolabi. (305) Quod vero Scriptura hac de re docet, Deum hominem integrum labisque omnis expertem, ſed libertate praeditum, condidiſſe, hominem autem libertatis ſuae abuſu omnia haecce mala, quae illum premunt, ſibi attraxiſſe, ejusmodi eſt, ut nec ratio ipſa, quod jure ei opponat, invenire queat. (306) Cuncta enim eo redeunt, cum Deus lapſum hominum permiſerit, vel non impediverit, quem per abſolutam ſuam potentiam impedire potuiſſet, hoc divinae bonitati e diametro repugnare. Sed antea jam monuimus, & non ſatis inculcari poteſt, cum ex attributis divinis argumentum ducimus, ea non ſeparanda a ſe invicem, ſed conjungenda eſſe. Bonitatis itaque divinae conſideratio ita inſtituenda, ut ſapientiae quoque atque juſtitiae habeatur ratio. Poſtquam ergo Deo viſum, hominem, hoc eſt, creaturam rationalem condere, res ipſa poſtulavit, ut libertatem ei concederet. Sine libertate enim revera rationis uſus nullus eſt. Si ergo libertate praeditus eſſe debebat homo, violenta quadam ratione eum a peccato abſtrahere minime conveniens erat; ceteroquin enim liber dici non poterat. Poſtquam vero per libertatis abuſum lapſus erat, bonitatis divinae rurſus erat, rationem ex miſeria iſta eluctandi ei oſtendere; ſapientiae tamen, ſimul & juſtitiae, certum ordinem ei praeſcribere. Iſta ergo attributorum divinorum harmonia & proportio ſi obſervetur, nihil, quod jure deſiderari queat, ratio inveniet. (307) Quartum tandem ultimumque

ſuper-

superest argumentum, *improbis subinde cuncta prospere atque ex voto succedere, cum piis contra hominibus cum variis confligendum sit calamitatum generibus.* Verum observare hic primo juvabit, majorem ut plurimum hominum improborum felicitatem nobis videri, quam revera est. Non dicam, fortunam splendidissimam cum labore incredibili, maximis periculis, curis infinitis, plerumque conjunctam esse; sed id saltem moneo, cum hominibus improbis in fortuna quantumvis splendida constitutis, id quod praecipuam humanae felicitatis partem constituit, animi tranquillitas desit; non posse non miserrimos esse, qui nobis videntur felicissimi. Et idem rursus dicendum de iis, qui nobis miseri videntur. Si enim simul probi & honesti viri sunt, animus nullorum scelerum sibi conscius maximum etiam in summa miseria praebebit solatium, adeo ut revera feliciores sint, quam improbi, qui falsa persuasione quadam multis videntur felicissimi. Nec id praetermittendum, quod vitae hujus felicitas maximam partem perceptionibus, animique passionibus, absolvatur. Pone ergo pauperem divitemque hominem, quorum ille miser, hic felix censetur. Nonne facile fieri potest, ut pauper ex pane, quem comedit, & aquae haustu, eandem, si non majorem, delectationem capiat, quam dives, ob corruptum stomachum, ex cibi potusque deliciis exquisitis? Nonne ergo pauper aeque felix ac dives? Immo fieri potest, ut in paupertate constitutus plures gaudendi causas habeat, paucioresque dolendi, quam homo ditissimus. Munusculum enim levissimum gaudio adficiet pauperem, cum contra, quod diviti laetitiam adferre queat, non semper praesto sit, qui insuper cum ab omnibus tanti non fit, quanti fieri cupit, gravissima se affectum injuria existimat, unde dolor, ira, indignatio, quorum omnium homo pauper immunis esse potest. Quis vero tum negabit, pauperem, etsi multis miser videatur, revera si non feliciorem, certe aeque felicem esse, ac divitem, cujus omnem felicitatem praedicant. Quod vero diximus, eos, qui miseri videntur, si virtuti & honestati studeant, revera non esse miseros, etsi ipsa ratio clare satis intelligat, luculentius tamen Scriptura confirmat, quae calamitates, quae piis sanctisque hominibus obveniunt, iis longe utilissimas esse, nos condocet, adeo ut hoc nomine etiam beati censendi sint. Namque *Dei amantibus omnia* (adeoque & adversa quaevis) *ad bonum conferre scimus*, auctore Paulo Apostolo, *Rom. VIII:* 28. & alibi: *Quem enim amat Dominus, castigat; & verberat, quemcunque filium acceptum habet. Si castigationem sustinemus, ut filiis nobis utitur Deus. Quis est enim Filius, quem non castiget pater? Ebr. XII:* 6, 7. Immo *per multas miserias nos oportere in regnum coelorum intrare*, idem Gentium Doctor pronuntiat, *Actor. XIV:* 22. Idque ad exemplum Christi servatoris, *Luc. XXIV:* 26. quem & nos, ut in aliis, ita hac in re imitari decet, *Rom. VIII:* 17. Atque hoc est

myſterium illud *crucis*, quod homines improbi non capiunt; illi autem, qui ſalvantur, ſummam Numinis ſapientiam potentiamque in eo agnoſcunt, 1 *Cor. I:* 18. *II:* 6, 7. Ratio autem, ſi ex hocce dubio ſe expedire nequeat, eo minus tamen inde aliquid contra Numinis providentiam colligere poteſt, quod judicium de probitate aut improbitate hominum longe ſit difficillimum. Sane, qui in manifeſtis flagitiis vivunt, pro improbis ſunt habendi; ſed hoſce ipſa illorum tot ſibi ſcelerum mens conſcia ſatis miſeros reddit. Rurſus tamen non diffitendum, quosdam ſine cauſa male audire, & pro improbis reputari, cum tales non ſint; quemadmodum contra plurimi virtutis quandam ſpeciem prae ſe ferunt, quorum animi graviſſimis vitiis ſedem & domicilium praebent. Eſto vero, eſſe quosdam virtuti deditos revera miſeros, felices contra, qui vitiis indulgent, ne tum tamen quidquam Epicuraei obtinebunt. Ut enim iniquiſſimum abſurdiſſimumque eſt, ob dubium aliquod, unde nos expedire non poſſumus, veritatem manifeſtiſſimam rejicere; ita longe ſatius & rationi convenientius eſt, ex eo, quod probi homines miſeri, improbi felices quandoque aut ſint, aut videantur, colligere, dari poſt hanc vitam remunerationem recte factorum, ſcelerumque poenam. Ita dubia omnia evaneſcent; viamque planam & facilem ratio videbit, ſtatum praeſentem hujus mundi cum bonitate juſtitiaque Numinis conciliandi. (308)

(289) *Hoc argumentum potius in fronte ponere debuiſſet Cl. Auctor, cum, hoc praemiſſo, reliqua, quae ex ſumma Numinis* ſapientia, *ex* finibus rerum omnium, *& denique* ex conſideratione bonitatis & potentiae divinae *ſunt deſumta, longe melius ſtringant, & ab omni exceptione immunia reddantur. Dantur, ſcilicet, qui exiſtimant, melius convenire divinis perfectionibus, ſi Deus machinam mundanam omnesque ejus partes ita fabricaſſet, ut vi inſita, dependenter quidem ab ipſo ſupremo Artifice, ſed ſine continuata Ipſius operatione & ſuſtentatione in ſua exiſtentia ac motibus perſeverent: ſic nullus requireretur* actus poſitivus *divinae potentiae, ut in ſua exiſtentia permaneant; ſufficit ad hancce continuationem, ſi Deus* non velit, *ut ad priſtinum relabantur nihil; caeteroquin ſupremus Opiſex perfectione cederet Artificibus humanis, qui, per inſigne ſaltem tempus, manus emendatrices, aut ſuſtentatrices non admovent ſuis operibus. Sic Deus omnia ſemel curavit in initio, ita ut incurius rerum mundanarum non poſſit dici; ſic omnia diſpoſuit inde a rerum primordio ea ratione, ut inſerviant finibus ſapientiſſimis, quos intendit; ſic denique ex potentia & bonitate divina nihil aliud concludendum videtur, niſi quod machinam Univerſi artificioſe adeo conſtruere debuerit, ut inſerviat uſibus creaturarum, quae felicitatis & infelicitatis ſunt capaces; non vero, quod* con-

continuata quaſi creatione *illam teneatur ſuſtentare, cum ſemel exiſtens & in motu conſtituta, & in illa exiſtentia & in motu continuet, usque dum a cauſa potentiori ex illo ſtatu deturbatur. Ab iſtiusmodi rationibus non penitus alienus eſt* Crouſaz *de exiſtentia Dei perſuaſiſſimus, Examen du Pyrrhonisme pag.* 453. *ſeqq. quae tum demum feliciter refelluntur, quando ex natura entium contingentium derivatur, quod contradictionem involveret, ea in ſua exiſtentia continuare virtute quadam a Deo ſemel in initio conceſſa. Attamen notandum, iſtiusmodi exceptiones exſpectari nullo modo poſſe ab Atheis, adeoque hiſce non immorabor, licet veteres Epicuraei verbis agnoverint exiſtentiam Dei, ipſius Providentiam negantes, quos heic loci maxime reſpexit Cl.* Buddeus.

(290) *Ex eo certe, quod ens contingens, & ſic initium ſuae exiſtentiae habens, & ſucceſſive durans, hoc momento temporis exiſtit, nullo modo ſequitur, ut proximo momento ſit exſtiturum, nec inter partes durationis ſucceſſivae neceſſaria datur connexio. Si quaeratur ratio ſufficiens praeſentis exiſtentiae meae, ea minime reperitur in eo, quod heri, quod ante momentum exſtiterim; neque craſtino die ideo exiſtam, quia hodie exſtiti: ratio haecce ſufficiens non eſt repoſita in entibus, quae ad exiſtendum & non exiſtendum ſunt indifferentia, ſed in ente neceſſario. Imo jam obſervarunt Veteres, creata omnia, ſi ſeſe conſervare, ſive vi inſita in ſua exiſtentia ſucceſſiva pergere poſſent, exiſterent, antequam exiſtunt, quia agerent, antequam exiſterent: qui enim ſeſe conſervat, agit; ſed nihil agere poteſt, antequam exiſtentiam ſuam habeat plenam. Rectiſſime Cl.* de Vries *Exerc. Rat.* 24. §. 4. Etiamſi cuique creaturae per creationem ſimul & ſemel ſua detur exiſtentia, duratio tamen ejus ſucceſſiva, quemadmodum ob ipſum illum ſucceſſivum ſui lapſum ſimul & ſemel exiſtere non poteſt, ita neque unica momentanea actione ſimul & ſemel, ſecundum ſe totam, conferri poteſt in quampiam creaturam.

(291) *Ex dictis* n. 290. *conſtat, Deum, qui contradictoria facere nequit, non poſſe Mundum condere, qui ſe ipſe conſervaret, qui ſine concurſu Numinis poſſet moveri, &c. ita ut vi inſita, ſive ab ipſo Deo impreſſa, perſeveraret in exiſtentia, quam ſemel fuit nactus. Neque Deum comparare in hac parte licet cum Architecto, qui ab aedificio ſemel parato manum abſtrahit, quatenus hoc exiſtentiam, ad quam ipſius arte fuit perductum, retinet citra concurſum Architecti: hic enim agitur de ſuſtentatione ipſius materiae, in quam Architectus nullum habet influxum. Sic mea facio verba Cl.* Turretini *Diſſ. Theol. IV.* §. 13. Non magis, *inquit*, poteſt Deus (liceat dixiſſe) Creaturam, quae ſua virtute continuo non indigeat, producere,

 quam

quam Creaturam aeternam, vel, quod idem est, quam Creaturam, quae non sit Creatura.

(292) *Si illas consideremus historias, quas sacra Scriptura tradit (quam hic spectare licet tanquam opus fide dignum, nondum attendentes ad divinam ejus Originem) undique deprehendemus sapientissimam atque efficacissimam directionem. Ut citius homines per Telluris post Diluvium renatae superficiem dispergerentur, gravissimus excitatus fuit inter Conditores Turris Babelicae dissensus (Vid.* Vitringa *Obs. Sacr. Tom.* 1. *pag.* 1. *seqq.* Perizonius *Orig. Babyl. Cap.* 9—14. Heideggeri *Hist. Patriarch. Tom.* 1. *pag.* 429. *seqq.*). *Miranda sunt Israëliticae Gentis fata in Aegypto, in ejusdem liberatione e servitute Aegyptiaca, in Deserto, in Terra Cananaea, sub Judicibus, sub Regibus, in ipsius liberatione ex captivitate Babylonica; quae statuto tempore est facta, ut Templum restauraretur ea ipsa tempestate, qua nasceretur Jesus. Miranda sunt judicia divina in hanc ipsam Gentem, in qua etiam nunc manifesta reperiuntur vindictae divinae documenta, cum (uti recte observavit* Werenfelsius *Opusc. Tom.* 2. *pag.* 270. *seq.*) *omnes illi, qui ad hancce prosapiam pertinent, extorres sint ex Patria suorum Majorum, nullum habentes Dominum, Regem, aut Magistratum, per totum Terrarum Orbem dispersi, servientes saepe iis, quos contemnunt, & nunquam delendo stigmate notati supremi Judicis manu. Vid.* Sherlok *sur la Providence pag.* 363-401. *Princip. Relig. Nat. & Rev. Tom.* 2. *pag.* 580. *seqq.*

(293) *Numerosa exempla divinae directionis, apud plurimos eorum reperiuntur collecta, qui ex professo de Providentia scripserunt: nonnulla haud contemnenda habentur in Opusculo* A. Richer, *cui titulus* Essai sur les Grands Evenements par les petites causes, *in quo tamen fabulas intermiscet veris Historiis. Non equidem haec ita sunt accipienda, acsi Deus extraordinaria & quasi miraculosa operatione res mundanas, & in specie humanas dirigeret; sed ab omni aeternitate illum constituit rerum ordinem, ut mutationes successivae, quae in hoc mundo contingunt, secundum fixas leges eo determinato modo, loco & tempore obtineant, quo inservire debent vel remunerandis, vel puniendis actionibus hominum, ex libera voluntatis electione proficiscentibus. E. Gr. Pestis grassatur in aliqua regione; pretiosa capita abripiuntur morte, inundationes accidunt, boves aliaque utilissima animalia contagio pereunt quandoque eo ipso tempore, quo incolae meruerunt castigationes vel poenas. Hoc sensu adfirmatur* Job. *XXXVIII:* 31. *seq.* Deum emittere fulgura, ut abeant, *vid. etiam* Psalm. 148: 8. & Jer. *V:* 24. *ubi Deus dicitur* dare pluviam tempestivam & serotinam tempore suo: *Amos. IV:* 7. *seqq.* cohibere imbrem, &c.

Atta-

Attamen plurimi ex historiarum monumentis depromi possunt casus, ubi Deus, per modum miraculi, aliquid prodire fecit, ut fines sapientissimos, quos intendit, attingeret.

(294) *Quot non sapientissimae potentissimaeque directionis indicia offendimus in propagatione & fatis Christianae Religionis, licet vel solas Historias profanas consulamus; non tantum enim ex tenuibus primordiis fuit enata, & per homines viles & plebejos annuntiata, verum etiam martyriis plurimorum non labefactata, sed confirmata fuit, ita ut horum constantiâ, nullum ipsis lucrum terrenum adferente, permoti fuerint plurimi, ut suam Religionem, tanta antiquitate superbientem, tam late per orbem dispersam, tot legibus civilibus roboratam, rejicerent, & ad simplicissimam illam Christianorum transirent, quae suum Fundatorem repraesentat tanquam Dei Filium, sed cruci adfixum, nulla terrena dignitate splendidum, infamiâ potius notatum; quod scandalum offendere debuisset Gentiles, nisi divinae providentiae operatione de veritate istius religionis redditi fuissent persuasi. Vid.* Turretin *Diss. Theol. Vol.* 2. *pag.* 238. *seqq.* Stillingfleet *Orig. Sacr. L.* 2. *Cap.* 9. *p.* 225. *seqq.* & *p.* 256. *seqq. Principia Relig. Nat. & Revel. Tom.* 2. *p.* 546. *seqq.* Formey *Philos. Chretien Tom.* 2. *pag.* 199. *suiv.* Addison *Waarh. van den Christelyken Godsd.* 4[de] *Afd. pag.* 40. *enz.*

(295) *Si attendamus ad Rubricam hujus Capitis, secundum quam refutari debent* dogmata cum Atheismo conjuncta, *omnino agnoscendum est id, quod Cl.* Buddeus *implicite fatetur; scilicet, argumenta, quae ex Revelatione divina pro directione Providentiae petuntur, adhiberi non posse contra eos, qui, ad Atheismum proclives, omnem S. S. auctoritatem ejusque divinam originem negant, aut rident; ad summum admittent exempla historica, quae speciminis gratia protuli* n. 292. *nequaquam vero argumenta dogmatica pro hoc momentosissima veritate. Illi autem, qui de Dei existentia sunt convicti, Eumque Auctorem Scripturarum agnoscunt, in quavis earundem pagina invenire possunt vel argumenta pro divina providentia, vel apertissima dicta, quae eam supponunt, aut respiciunt.*

(296) *Conf. ea, quae notavi ad Cap.* 1. §. 18. n. 26. *Plurima quidem reperiuntur apud* Senecam *de Providentia passim, apud* Antoninum & *apud alios Stoicos, quae ad hocce dogma stabiliendum, & contra Epicuraeos defendendum egregie facere videntur, ita ut aliquid ex Revelationis fonte bibisse credantur nonnullis minus circumspectis. Verum si totum Stoicorum systema ejusque nexum pervestigemus, vix sanum illis assertis, quae sana apparent, adfingere licet sensum; uti egregie de-*

demonſtravit Bruckerus *in Diſſ.* de Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus, *quae habetur in ipſius* Miſcellaneis Hiſt. Philoſ. *pag.* 225-257. *praeſertim pag.* 237. *ſeqq. collatis iis, quae docet in Hiſt. Crit. Philoſ. Tom.* 1. *pag.* 926. *ſeqq. ubi recte pronuntiat*, id, quod Providentia Stoicis dicitur, alio nomine fatum eſſe, adeo abſolutum & inevitabile, ut nec Deus, nec materia, nec, qui ex utroque conſtat, mundus ei ſubtrahi queat. —— Quae cum ita ſe habeant, *adjicit*, relinquenda eſt Providentia genti ſubdolae, & ad fucum faciendum & palliandam impietatem natae, & detergendus pietatis color, quem incautius ex Chriſtianorum ſacrariis ei illeverunt Viri docti, magis pie, quam caute hac in re incedentes. *Attamen de* Pythagora *ſimilia praedicari in omnibus non poſſunt, licet ab ejus doctrina de Deo facilis ſit ad Spinoſiſmum tranſitus. Conf. ea, quae collegit* de Burigny *la Theolog. Payenne Tom.* 1. *pag.* 190. *ſuiv. & omnino de hiſce omnibus videndus Doctiſſimus* Leland *the advantage and neceſſity of the Chriſtian Revelation Vol.* 1. *Chap.* 17. *& Chap.* 19. *pag.* 433. *&c.*

(297) *Si homines alicujus Artis imperiti ingrediantur peritiſſimi Artificis officinam, innumera fere invenient inſtrumenta, ſine quibus ars illa, humanae ſocietati utiliſſima, exerceri non poſſet, quorum tamen uſum ignorant penitus. Si aliquis, inter litoris Africani Cafros natus atque educatus, oculis ſuis perluſtret Palatium Regium ornatiſſimum, plurima deteget, quorum uſum ne conjectando quidem poteſt aſſequi, licet eximiam praebeant utilitatem & Regi & ipſius Miniſtris. Multa peraguntur a Parentibus vera prudentia conſpicuis & tenerrimo amore erga ſuos liberos flagrantibus in horum utilitatem & ſalutem, quorum uſum finemque ipſis illis liberis in teneriori aetate conſtitutis perſpicere non datur, adeoque ſtolidae temeritatis rei forent illi imperiti, Cafri & Infantes ſi ea inutilia declararent, quorum uſum ignorant. Non procul a crimine laeſae Majeſtatis remotus foret ſubditus, ſi omnium eorum, quorum finem ignorat, nullam adfirmaret utilitatem, quae tamen ab iis, quibus interiora Reipublicae cognoſcere conceditur, prudentiae regulis conformia penitusque neceſſaria judicabuntur. Vid. Principia Relig. Nat. & Revel. Tom.* 1. *pag.* 354-368. Reimarus *Voorn. Waarh. IX*[de] *Verh.* §. 7. *enz.* Sherlok *de la Providence Chap.* 5. Cudworth *Syſt. Intell. pag.* 1167. *ſeqq.*

(298) *Conf. ea, quae ſupra notavi ad Cap. V.* §. 5. *n.* 183. *ſeqq. Id unum & in genere adjicere liceat, plurima olim in Tellure noſtra, & in ipſo corpore humano inutilia fuiſſe habita, quae hoc ſeculo, & praecedenti, quibus rerum naturalium ſcientia laetiſſima cepit incrementa, & utiliſſima & penitus neceſſaria fuerunt deprehenſa; ita ut injuſtae*

justae illae criminationes sint perpetua temeritatis, atque inscitiae, quibus animus istorum censorum fuit obsitus, monumenta.

(299) *Secunda haecce objectio generalius considerari potest, ita ut complectatur omnia* mala Physica, *quae in hoc universo, in specie in Tellure nostra locum habere videntur, adeoque praesertim premunt humanum genus. Talia sunt copiosiores imbres, saevissimae hiemes, inundationes, Terrae motus, montium ignivomorum furores, diuturnae siccitates, procellarum impetus, insectorum multitudo, animalia ferocia & venenata, innumera morborum genera. Locus non permittit, ut per singula eamus; ipse Cl.* Buddeus *in seqq. ansam praebebit de valore harum difficultatum judicium ferendi.*

(300) *Fuse, variisque modis demonstrare conatus fuit subtilis nimium* Robinet *de la Nature Tom.* I. *Part.* I. *Chap.* 12. *seqq. Naturae pulcritudinem esse in ratione composita boni & mali, quod datur in hocce universo; fierique non posse, ut minus mali sit quam boni in rerum Natura; ita ut tandem concludat, bonum necessario esse ligatum cum malo, quod bono & numero & qualitate est aequale, nec bonum posse superare malum, nec malum superare bonum; ita ut perpetuum ac* necessarium bonorum malorumque in hoc Universo sit aequilibrium. *Attamen ipsius tentamina magis redolent Oratorias declamationes, atque sermonis cultioris flosculos, quam demonstrationes solidas, quae sincero Philosopho satisfacere possunt; postquam enim Harmoniam, quae in hoc universo obtinet, pulcerrimam dixerat, eamque etiam conspicuam in motibus corporum coelestium agnoverat, concludit temere,* Naturae harmoniam esse consensum perfectum boni & mali, *ejusque varietatem aequalem esse summae combinationum harum duarum essentiarum, contrariarum & perpetuo unitarum; concludit insuper,* pulcritudinem naturae, quae ex ipsius varietate & harmonia resultat, esse in ratione composita boni & mali, vel uti quadratum unius ex hisce duobus, posita earundem exacta aequalitate, *&c. Verum nihil horum in praemissis datur. Si Pulcritudo sit in ratione composita boni & mali, (posita Pulcritudine in primo Universo* $= P$, *in altero* $= p$; *Bono in primo Universo* $= B$, *in altero* $= b$; *malo in priori* $= M$, *in altero* $= m$) *erit* $P : p = BM : bm$; *&, si* $B = M$ *&* $b = m$, *erit* $P : p = M^2 : m^2$; *Verum, cum illam* aequalitatem *in Cap.* 23. *non demonstraverit, ex ipsius regula sequeretur, Pulcritudinem Universi majorem posse esse, licet malum superaret longissime bonum; si* $P : p = BM : bm$, *potest esse* $P = p$, *si* $BM = bm$, *atqui hoc obtineret licet* $B = nM$, *&* $nb = m$, *licet in uno Universo summa malorum foret indefinities major quam in altero, & licet summa bonorum in uno universo foret indefinities minor quam*

in altero, sic enim $P : p = nBM : nbm = BM : bm$; *dum* $nBM = nM \times B$ & $nbm = nb \times m$, *aeque ac* $nBM = nB \times M$ & $nbm = nb \times m$. *Taceo paradoxa innumera, quibus scatet hoc opus nimium subtile; monstrare tantum volui, Auctorem pulcritudinem hujus Universi non satis cognovisse & abstinere debuisse a terminis Mathematicorum, quorum sequelas non praevidit, quorumque vim non satis intellexit. Recte quidem observat* Robinet (*Chap.* 21.), *divinam potentiam sese non extendere ad impossibilia; sed an solide satis demonstrat, Deum nullo modo tollere posse mala, quae in hoc universo dantur? omne creatum est finitum, omne finitum est imperfectum; sed an inde sequitur, omnia mala, quae in hoc universo obtinent, esse tantum defectus, vel imperfectiones, vel, uti alii loquuntur, limitationes? Hactenus enim duntaxat loquimur de* malo physico; *& ex principiis positis nullo modo fluit,* quantitatem mali esse necessario aequalem quantitati boni (*Chap.* 23.) *cum nequaquam verum sit, in omni re finita tot dari defectus, quot realitates inde ab initio existentiae suae. Neque exempla, quae profert* (*Chap.* 24.) *rem conficiunt, sed potius monstrant, ea, quae mala physica habentur, non esse mala; ast illum gradum bonitatis in rebus creatis dari, qui & divinis perfectionibus & humani generis saluti est convenientissimus. Unum speciminis gratia proponam.* Minuas, *inquit,* malitiam plantarum venenatarum, extenuabis in eadem proportione efficacem bonitatem remediorum, quae ex iis hauriuntur; salubritatem aliarum plantarum minues, quae adeo salubres non forent, nisi venenatae ad se raperent vitiosos Terrae succos. *Sic vero non evincitur, malorum quantitatem esse aequalem quantitati bonorum; sed illa, quae mala videntur, vel non esse mala, sed pretiosissimos adferre usus, vel eo nomine esse utilissima, quod caeteroquin ea, quae bona sunt, finibus, quibus sunt destinata, non inservirent; an autem ex eo, quod aurum usus quosdam praebere nequeat, absque eo, quod certa cupri quantitas sit admixta, concludam, cupri & auri partes esse aequales in mixtura? Adeoque ex aliis fontibus difficultatum allatarum est petenda solutio.*

(301) *Nimis nota est sententia* Leibnitii, *quam ut heic loci exponeretur ex ipsius scriptis: in genere monendum, Virum Illustrem censuisse hocce rerum creatarum, adeoque contingentium, systema esse omnium possibilium optimum, divinisque perfectionibus convenientissimum; & licet casus existant, ubi apparens quaedam confusio necessaria est, ut producatur convenientissimus ordo in toto composito, statuit tamen, longe numerosiora esse bona quam mala in hocce Universo. Sic Mundi systema non est optimum,* quia *in eo mala dantur; sed id systema, quod nunc existit & in quo malum datur, optimum censetur;* Historiam doctrinae recen-

recentius controverſae de mundo optimo, *expoſuit in peculiari Tractatu Cl.* Baumeiſter 1741. *Quid vero ipſe de hacce ſententia Leibnitiana ſentiam, breviter indicavi in* Prim. Lin. Theol. Nat. §. 68.

(302) *An quidem* omnia *illa, quae nunc ſub nomine malorum Phyſicorum veniunt, locum non habuiſſent, ſi non peccaſſent homines, vix dijudicare licet; ſufficit, a poſteriori innotuiſſe ex Hiſtoria ſacra, Hominem labilem revera fuiſſe lapſum, idque aliquando locum habiturum, ab omni aeternitate fuiſſe certum: certum quoque, primaevam Telluris noſtrae conſtitutionem poſt lapſum ſummopere fuiſſe mutatam. Sed quis aſſerere auderet, nullas extituras fuiſſe beſtias feroces, nullas plantas venenatas, nullos montium ignivomorum furores, nullas inundationes, nullos procellarum impetus, nullos terrae motus, ſi, homo perſtitiſſet in ſtatu integro? an Deus per modum miraculi continuati ſuſpendiſſet naturae leges, quae ex naturali rerum relatione profluere ſua ſponte videntur? prudentia ſuadet, ut nihil determinemus, cum in ſecreta Dei conſilia introſpicere nobis non ſit datum. Id tamen certiſſimum apparet, mortem, morbos, aliasque miſerias, ſi peccatum non obtinuiſſet, nullum habituras fuiſſe locum; licet ratio ſibi relicta hic caecutiat, modumque nequeat aſſequi, quo humanum genus ab iis fuiſſet liberatum; Vid. Cl.* J. Ooſterdyk Schacht *elegantiſſima Oratio*, qua, ſenile fatum inevitabili neceſſitate ex humani corporis mechanismo ſequi, demonſtratur.

(303) *Non nova haec difficultas, ſed jam plenius propoſita, nomine Epicuraeorum, a* Lactantio *de Ira Dei Cap. 13. p. m. 644. ſeq. evaneſcit, ſi attendamus ad ſimplicitatem Dei, qua omnes divinae perfectiones perfectiſſimo modo ſunt unum quid, idemque: nullum certe dabatur rerum poſſibilium ſyſtema, quod Divinis perfectionibus finibusque omnibus erat convenientius; hoc ſyſtema ingrediebantur beſtiae feroces, plantae venenatae, montes ignivomi, flumina &c. uti hocce ſyſtema ingrediebantur homines libertate donati, eademque abutentes; ſi potentiam Dei (non* ordinatam *ſed)* naturalem *ſeu* abſolutam *ſpectemus in abſtracto, potuiſſet aliud ſyſtema eligere & ad exiſtentiam perducere; ſed, ſi Ipſius ſapientiam & reliquarum perfectionum complexum ſimul conſideremus, ſique teneamus, Deum non poſſe facere, non poſſe velle, quod a ſuis perfectionibus diſſentit*, non potuit, adeoque non voluit, *vel, (quod eodem recidit)* non voluit, adeoque non potuit, aliud ſyſtema eligere, ad exiſtentiam perducere, conſervare, gubernare, quod non ingrederetur memorata malorum apparentium ſeries: *id quippe perpetuo ante oculos verſari debet, haſce difficultates, ſi alicujus forent momenti, non magis Providentiam*

premere, quam decretum & creationem: si perfectionibus divinis non esset conveniens Providentia sua complecti Universum, in quo praesentia mala suam habent sedem, iisdem non fuisset conveniens istiusmodi Universum creare, imo illud (sit barbaro nimium, sed Philosophico vocabulo venia) futuritioni *destinare suo decreto.*

(304) *Constat ex antecedentibus, Deum curam gerere debere omnium rerum creatarum, adeoque etiam entium liberorum contingentium, quae sese sustentare nequeunt (uti supra fuit demonstratum* n. 290. *seq.) Deus proinde, ea sustentans, cum iis concurrit, & concurrendo facit, ut attingant fines illos, quibus sunt destinata; apodicticae istiusmodi demonstrationes enervari non possunt nostra ignorantiâ, qua scil. non exacte cognoscimus, modum, quo mala moralia permittere decrevit, ipso facto permittit, cum iis salva sua sanctitate atque illaesa humanae mentis libertate concurrit, eademque dirigit ad fines praestitutos. Innumera sunt in ipsa rerum corporearum natura, multa sunt in nobis ipsis, de quorum veritate dubitare non licet, quamvis modum, quo contingunt, judicare nequeamus.*

(305) *Dubitare licet, an* Bayle *unquam serio propugnaverit duplex Manichaeorum principium, alterum omnis boni fontem, alterum mali cujuscunque auctorem; quod tamen tentasse videtur Dict. Crit. in V.* Manicheens, Pauliciens, Zoroaster. *Pro sagacitate sua perspicere debuit Philosophus Roterodamensis, figmenta haecce & unitati & independentiae divinae esse adversa; cum contradictionem manifestam involvat, ens aliquod malum esse independens, infinitum, necessarium; & tamen ita esse deberet constitutum, si non ab altero principio, quod boni est origo, esset productum. Si vero Principium malum suum deberet ortum Principio bono, nequaquam evitarentur difficultates, quae ex mali Physici & moralis origine nasci videntur; cum malum Principium a bono penderet, adeoque hoc, non illud, omnium malorum fomes esset, quae malo Principio tribuuntur a Manichaeis.*

(306) *Voluit Deus, hominem in hoc rerum ordine talem exstiturum, qualem illum per scientiam simplicis intelligentiae cognoverat, libere, scilicet, peccantem; quia, si alia substituisset entia libera, sua libertate non abutentia, sive si impedivisset malum morale, minus magnificum fuisset hicce mundus divinarum perfectionum theatrum. Talem, qualem voluit Deus suo decreto, produxit, conservat; nullam violentiam inferens liberis hominum determinationibus.*

(307) *Deus severissime prohibet & ab omni tempore prohibuit illud, quod sanctitati suae non est conveniens; adeoque fecit omne illud, quod, salvâ*

salvâ hominum libertate, fieri poterat, ut a malo morali abstraherentur. Creavit autem homines libertate donatos, & tales creare debuit, quia caeteroquin non fuissent entia rationalia, nec legibus, admonitionibus, comminationibus, praemiis, poenis relictus fuisset locus. At simul homines ita creavit, ut sua libertate abuti possent; qualis abusus possibilitas profluit ex facultatum, quibus conspicuae sunt intelligentiae finitae, multiplici limitatione, ut & ex eo, quod mens arctissime sit alligata suo corpori; unde impressiones sensuum & adfectiones animi exinde natae innumeras in operationibus mentis turbas excitare valent. Impedire quidem potuit Deus huncce libertatis abusum; ast potentia Dei iterum non spectanda est in abstracto; sed sapientia Dei id ipsum non permisit, quia fieri non poterat, nisi vel laedendo libertatem ipsam, vel interponendo suam potentiam, vel denique mutando rerum humanarum statum; laesâ libertate nullae virtutes extitissent, cum nulla dari possent vitia; quod etiam obtinuisset locum, si Deus per modum miraculi, hominem retinuisset, qui sic nullis meritis fuisset conspicuus. Si denique alium introduxisset rerum humanarum statum, aliud fuisset mundi systema, alius rerum ordo, diversus a praesenti, qui tamen istius est indolis, ut nullus divinis perfectionibus dari potuerit convenientior. Vid. Merian *dans l'Hist. de l'Acad. Roy. de Berlin Tom. IX. pag.* 417. *suiv. Princip. Relig. Nat. & Rev. Tom.* 1. *pag.* 370. *seqq.* Sherlok *de la Providence Chap.* 6. *pag.* 244. *suiv.* Turretin *Differt. Theol. Vol.* 1. *pag.* 196. *seqq.*

(308) *Difficultas haecce desumta ex hominum fatis diversissimis, jam ab antiquissimis temporibus ingens fuit visa, ipsi etiam divino Vati* Psalm. *LXXIII.* Jobo *Cap. XXI. vs.* 6. *&* 7. Jeremiae *Cap. XII:* 1. *&* 2. *hanc vehementer urserunt* Epicuraei *contra* Stoicos, *ita ut* Seneca, *Stoicorum placitis addictus, integrum tractatum conscripserit de* Providentia, *sive de Quaestione*, quare bonis viris mala accidant, cum sit Providentia; *hanc eleganter proponit & solvit* Claudianus *in Ruffinum Lib.* 1. *in initio. Vid. quoque* Plutarchus *oper. Tom.* 2. *pag.* 548. *seqq. Inter recentiores plurimi ad eandem responderunt, inter quos eminent* Turretin *Disput. Theol. Vol.* 1. *pag.* 186. *seqq.* Werenfels *Opusc. Tom.* 2. *pag.* 276. *seqq.* Pictet *contre l'Indifference pag.* 88. *suiv.* Addison *over de Voorzienigheid pag.* 220-250. Sherlock *de la Providence Chap.* 6. Morus *Oper. Tom.* 1. *pag.* 713. *seqq.* Cudworth. *Syst. Intell. pag.* 1175. *seqq. Princip. Relig. Nat. & Revel. Tom.* 1. *pag.* 377. *seqq.* Burlamaqui *Princ. du Droit Nat. P.* 2. *Ch.* 12 *&* 13. Reimarus *Voorn. Waarh. pag.* 638. *enz.* Stapfer *Theol. Polem. Tom.* 2. *pag.* 766. *seqq. Breviter adjicere liceat Cl.* Buddei *egregiis observationibus, perversos penitus de divina Provi-*

dentia fovere conceptus, qui ſibi perſuadent, Deum miraculoſa ſuae potentiae operatione avertere debere mala a vere piis, poenamque infligere improbis; omnia certe peraguntur ſecundum ſapientiae regulas, quas Deus ipſe ab aeterno ſibi praeſcripſit, quasque per miracula interrumpere non ſinit conſtantia. Malos ſaepe tolerat Deus, tum ut bonos doceat, non ſtatim ad vindictam eſſe provolandum, tum ut malevolos deinceps illuſtriori modo puniat, tarditatemque ſupplicii gravitate compenſet, illos in altum tollens, ut lapſu graviore ruant; imo eosdem adhibet quandoque inſtrumentorum inſtar, quibus vel alios impios puniat, vel bonos paterno animo caſtiget. Praeſertim autem notandum id, quod obſervat Pictet *l. c. Deus non omnes malos impunitos demittere voluit his in terris, ne credant, nullam eſſe providentiam; ſed non omnes punit in hac vita, ne ſibi perſuadeant, vitam poſt funera non eſſe ſecuturam, in qua rationem reddent eorum, quae hac in vita patrarunt. Ne dicam, generis humani conditionem non pati, ut ſtrictiſſima illa juſtitia, quam exigere videntur aut ſibi fingunt temerarii Providentiae cenſores, ſine mora exerceatur; cum amicitiae, ſanguinis & fortunarum vinculis ita inter ſe colligentur mortales, ut mali poenas ſubire nequeant, quin in partem miſeriarum veniant boni; ſic pius Pater immerito adfligeretur, ſi ob crimen aliquod gravius divina vindicta in ipſius liberos inſurgeret, eosque per modum poenae ex hac vita raperet: ſi caput Familiae merito puniretur divinâ providentia, Uxor ejus & liberi ſaepe ſubirent immeritas calamitates. Confeſtim non punit ſupremus rerum Arbiter Monarchas, qui atrocioribus peccatis ſeſe commacularunt, ne turbentur atque gravioribus miſeriis involvantur civiles ſocietates, quibus praeſunt. Sic ſummo jure concludimus cum* Cudwortho *l. c.* Deus totam ſapientiſſime fabulam (*rerum ſcil. & fatorum humanorum*) moderatur & regit; Is, quae praecedunt acta noſtra, prudenter cum ſuis, quae ſequuntur, geſtis colligat, ut nullus usquam hiatus appareat; omnia vero apte inter ſe ac concinne connexa ſint: is etiam poſtremo in omni actu ſummam juſtitiae rationem fuiſſe habitam poenasque ac poenas legitima ſemper proportione diſtributa eſſe, unumquemque edocebit.

§. II.

Qui cogitationes, actus cumprimis reflexos, facultatemque mentis, res etiam materiae expertes concipiendi, & tum de his, tum de aliis ratiocinandi, libertatem inſuper ſe & corpus mo-

movendi, & mox hoc, mox aliud quid adpetendi, quorum omnium quilibet ſibi intime conſcius eſt, paulo accuratius ſecum expenderit, facile eam materiae omnis, adeoque & deſtructionis, expertem eſſe intelliget. Idem vero cum & aliae rationes luculenter comprobent, falluntur circa controverſiam turpiter, qui animam mortalem eſſe, & una cum corpore interire, ſibi aliisque perſuaſum cupiunt. *

* Animam noſtram non interire, ex ipſis ejus operationibus omnium luculentiſſime cognoſcitur. Ex hiſce enim evidentiſſime demonſtrari poteſt, eam materiae omnis expertem eſſe; quod cum ſupra *cap. V.* §. *VII.* jam extra omnem dubitationem poſitum ſit, ut, quae ibi copioſe & ex inſtituto dicta ſunt, hic repetamus, neceſſe non eſt. Spiritum vero ſeu ſubſtantiam materiae expertem, ſi animam eſſe conſtet, ſua ſponte inde ſequitur, eam etiam eſſe immortalem. Quicquid enim mortem ſeu interitum vocamus, hoc in deſtructione aut ſeparatione partium conſiſtit. Adeoque quo pacto homo per partium ſeparationem moriatur, corpusque ejus deſtruatur, facile intelligimus. Spiritus vero, qui materiae expers ſit, adeoque nec ex partibus compoſitus, quo pacto mori aut deſtrui queat, ratio capere nequit. Ad annihilationem enim, quod attinet, ea, quo pacto ſine infinita Numinis potentia fieri queat, non magis intelligi poteſt, quam quo pacto ſine eadem potentia Numinis infinita quicquam ex nihilo fieri queat. Atque hoc perſpectum probe exploratumque habuit TULLIUS, dum ex animae operationibus, eam ſimplicis naturae, adeoque indiviſibilem, hinc & immortalem eſſe, recte collegit. *Quid multa?* inquit, *ſic mihi perſuaſi, ſic ſentio, cum tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantae ſcientiae, tot inventa, non poſſe eam naturam, quae res eas contineat, eſſe mortalem: cumque ſemper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia ſe ipſe moveat, ne finem quidem eſſe habiturum motus, quia nunquam ſe ipſe ſit relicturus; & cum ſimplex animi natura eſſet, neque haberet in ſe quidquam admiſtum diſpar ſui, atque diſſimile, non poſſe eum dividi; quod ſi non poſſit, non poſſe interire, &c.* in *Catone majore cap. XXII. pag. m.* 1370. (309) Primae huic, quae & principem inter omnes tenet, pro animae immortalitate rationi alteram addo, minime itidem contemnendam, & a *metu poenarum*, qui improbos pravorumque facinorum ſibi conſcios vexat, deſumtam. Nec enim aliunde quam ab iſto metu, communis & ab omnibus fere gentibus recepta de inferis opinio orta; quae etſi a Poëtis, figmentis variis & fabulis aucta,

cta, & ideo a Philosophis quibusdam, falsa a veris non caute satis discernentibus, explosa sit, certissimum tamen argumentum praebet, ex innato quodam conscientiae testimonio constare, prave actorum, facinorumque malorum, poenas post hanc vitam expectandas esse, adeoque animam post hominis mortem superesse. Hinc SENECA, etsi ipsemet animae immortalitatem non credat, ex consensu tamen quodam hominum, inferos timentium aut colentium, eam probari posse, diffiteri nequit. *Cum de animorum*, inquit, *aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet, consensus hominum aut timentium inferos, aut colentium; Epist. CXVII. pag. 577.* Nec profecto vi aut robore suo argumentum illud, si recte capiatur, destituitur. Nulla enim, quacunque etiam excogitetur, adferri causa poterit, ex qua metus hicce, quem tot homines non in una aliqua gente, sed ubique terrarum in omnibus seculis, in se deprehendunt, derivari queat. Quicquid de fabulis & commentis Poëtarum, quicquid de traditione majorum, aut opinione a parentibus accepta, vel quacunque ratione propagata, dicatur, omnes istae causae sunt particulares, quae ad effectum suo modo universalem & communem producendum non sufficiunt. Accedit enimvero, ejusmodi etiam homines improbos, qui ab omni credulitate sunt alienissimi, & de quibus dici nequit, unam ex causis, quae vulgo adferri solent, apud eos locum invenire, eundem metum subinde sensisse, adeoque vel invitos veritati praebuisse testimonium. (310) Atque haec ipsa consideratio ad tertium nos ducit argumentum, quod *justitia divina* nobis suppeditat. Deum justissimum scelerum esse vindicem, tam certum est, quam manifestum est, Deum esse, hoc est, extra omnem dubitationem positum. Fatentur vero omnes, & ipsi Epicuraei, quoties contra divinam providentiam disputant, maxime urgent, bonos atque honestos viros subinde in hac vita miseros esse, cum improbis contra cuncta ex voto cedant. Hoc vero cum justitia pariter ac bonitate Dei conciliari nequit, ut supra quoque jam observavimus, nisi recte factorum remuneratio & scelerum punitio post hanc vitam admittatur. Corpus vero hominis cum dissolvatur, quo pacto Deus recte remunerari, peccata autem punire posset, si anima non esset immortalis? (311) Addendum hisce, quod merito quarto loco ponimus, *innatum omnibus immortalitatis votum*, immo praesensio quaedam, quae efficit, ut, si ab illis discedas, qui ob scelerum magnitudinem poenas aeternas timent, reliqui nihil magis in votis habeant, adeoque naturae humanae convenientius arbitrentur, quam animam, post ejus a corpore solutionem, superesse. Observatu dignissima hac de re sunt verba CICERONIS: *Si in hoc erro, quod animas hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo; sin mortuus, ut quidem minuti Philosophi censent, nihil sentiam, non verear, ne hunc errorem*

meum

meum mortui Philosophi derideant; in *Catone majore cap. XXIII. pag. m.* 1371. Eundem fere in modum & SENECA: *Quomodo molestus est jucundum somnium videnti, qui excitat; auffert enim voluptatem, etiamsi falsam, effectum tamen veri habentem: sic Epistola tua mihi fecit injuriam. Revocavit enim me cogitationi aptae traditum, & iterum, si licuisset, ulterius. Juvabat de aeternitate animarum quaerere, immo me hercule credere. Credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem gravissimam promittentium magis, quam probantium. Dabam me spei tantae: jam enim fastidio mihi, jam reliquias aetatis infractae contemnebam, in immensum illud tempus, & in possessionem omnis aevi transiturus, cum subito experrectus sum, Epistolá tua accepta, &c. Epist. CII. pag. m.* 502. *seqq.* Nimirum, licet & CICERO & SENECA, errore ducti, animae immortalitatem, evidenter probari non posse existiment, uterque tamen intimum animi sensum haud obscure prodendo, verissimum esse, quod persuadere sibi firmiter non poterant, demonstrat. (312) Hisce & alias adhuc rationes addere poteram, quas tamen praetermitto, quod non omnes ejusdem sint ponderis, & ab aliis etiam allatae sint, qui ex instituto de animae immortalitate scripserunt; quos inter, si recentiores spectes, eminent, JOACHIMUS HILDEBRANDUS, de *immortalitate animae rationalis ex solo lumine naturae apodicticis & topicis rationibus liquido ostensa:* JOAN. EBERHARDUS SCHWELINGIUS, in *mente immortali;* VINCENTIUS PLACCIUS, in *demonstratione solida immortalitatis animae humanae ex solo lumine naturae facta,* lingua Germanica scripta, HARTSCHMIDIUS in *immortalitate animae humanae ex Philosophorum veterum ac recentiorum argumentis demonstrata;* KENELMUS DIGBAEUS, de *immortalitate animae;* aliique. (313) Adderem his HENRICUM MORUM, cujus *immortalitas animae, quatenus ex cognitione naturae rationisque est demonstrabilis,* extat *tom. II. operum* ejus *Philosophicorum pag.* 275. *seqq.* nisi quaedam, quae calculum non ferunt, admiscuisset. Sunt nonnulli, qui caeteris rationibus etiam testimonia veterum Philosophorum adjiciunt, quae apud PETRUM DANIELEM HUETIUM legi possunt, in *quaestionibus Alnetanis,* sive de *concordia rationis & fidei, libr. II. cap. VIII. §. III. pag.* 155. *seqq.* conf. & JAC. FAYUS, in *defensione religionis, &c. contra Joannem Tolandum, part. I. cap. XXIV. pag.* 132. *seqq.* Verum caute hac in re versandum esse, patet ex iis, quae supra ad *cap. III. §. II.* disputavimus. Omnes enim illi, qui animae originem ex divina essentia derivabant, eamque iterum in hanc reversuram contendebant, indestructibilem potius eam, quam immortalem asserebant. Si denique & hic cum ejusmodi hominibus nobis lis esset, qui Scripturae sacrae auctoritatem admitterent, res omnis plane confecta foret. Cum enim ea salutis obtinendae via, quam Scriptura sacra nobis monstrat, hoc vel maxime nitatur fundamento, praemia recte factorum aeque ac scelerum poenas post hanc

 vitam

vitam expectandas esse, nemo nisi mentis omnis expers, se, salva Scripturae auctoritate, animae in dubium vocaturum immortalitatem, facile intellexerit. Eaque & diserte, tum in veteri, tum in novo testamento comprobatur. De veteri quidem nonnullos dubitare, aut aperte id negare scio, animae immortalitatem ex eo probari posse; sed profecto sine ratione. Enim vero dum Moses hominem ad imaginem Dei conditum docet, *Genes. I: vers.* 26. animae eum simul insinuare immortalitatem, recte observat EUSEBIUS, *praeparat. Euangel. libr. XI. cap. XXVII.* Praeterea cum de Abrahamo *Genes. XV:* 15. dicitur, quod iturus sit ad patres suos, idque de corporis sepultura intelligi nequeat, quippe quae ei non in Chaldaea, sed in terra Cananaea obtigit, nihil aliud superest, quam ut de anima hoc capiamus, indeque, eam interitus expertem esse, concludamus. Quo pacto idem ex *Exod. III: vers.* 6. probari queat, ipsemet Servator ostendit, *Matth. XXII:* 31, 32. Etsi enim ibi de resurrectione mortuorum sermo sit, eâdem tamen prorsus ratione animae immortalitas ex istis verbis colligi potest. Mitto reliqua, cum pro nostri instituti ratione haec sufficiant. Ex novo testamento quicquam adferre, supervacaneum foret, cum nemo sanae mentis dubitet, in eo ubique animae immortalitatem supponi, & subinde verbis apertissimis confirmari. Luculentissima cumprimis sunt verba Servatoris *Matth. X:* 28. quippe quae exceptionem non admittunt. Ut vero ad argumenta etiam praecipua secus sentientium respondeamus, primo se nobis Epicuraei offerunt, quibuscum etiam alii faciunt, qui animam *materialem* adeoque & *mortalem* faciunt. Atque hoc primum praecipuumque argumentum est, quo ad mortalitatem animae probandam utitur T. LUCRETIUS CARUS:

Principio quoniam tenuem constare minutis
Corporibus docui, multoque minoribus esse,
Principiis factam, quam liquidus humor aquai est,
Aut nebula, aut fumus, &c.

libr. III. pag. m. 86. Verum committit hic LUCRETIUS petitionem ejus, quod est in principio, ut in Logicorum scholis loqui amant, sumitque, quod nos non concedimus, animam materialem, & ex particulis minutissimis compositam esse. Eam enim materiae omnis expertem esse, ex operationibus ejus luculenter supra demonstravimus. Quam infeliciter autem Epicuraeis, & ipsi cumprimis LUCRETIO, res procedat, quando ex sua hypothesi animae operationes explicare aggrediuntur, ad *cap. praeced.* §. *VII.* ostendimus. Alterum, idque non minoris momenti argumentum, quo Epicuraei utuntur, ex eo desumtum est, quod mens animusve gignatur, adolescat, vigescat, senescat, deficiatque cum corpore. Hoc ita proponit LUCRETIUS:

Prae-

Praeterea gigni pariter cum corpore & una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri teneroque vagantur
Corpore; sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde ubi robustis adolevit viribus aetas,
Consilium quoque majus & auctior est animi vis.
Post, ubi jam validis quassatum est viribus aevi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque,
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt;

loc. cit. pag. m. 87. Respondet quidem ad hocce dubium LACTANTIUS, *instit. divin. lib. VII. cap. XII.* sed cum eidem non satisfaciat, & ut, quod de origine animae objicitur, dissolvat, hypothesin etiam Pythagoraeorum, aliorumque, animam ex essentia divina ortam esse, quam deinceps rejiciemus, assumat, hanc ejus responsionem nostram facere non possumus. (314) Quare, quod ad originem animae attinet, paucis & citra ambages assero, principium hocce, cui LUCRETII argumentum innititur: *quicquid initium habet, idque habet finem*, falsum est, & nulla ratione admitti potest. Nihil enim prorsus obstat, quo minus substantia, infinita potentia praedita, substantiam materiae omnis expertem producat, quae, uti corruptionis vel destructionis nullum in se habet principium, ita etiam non potest non semper subsistere, nisi ab eo, qui illam produxit, annihiletur. Quodsi vim argumenti in eo ponas, quod anima cum corpore *gignatur*, quod & LUCRETIUS sibi velle videtur, indeque ita concludas, quicquid gignitur, id etiam destruitur; rursus assumitur aliquid, quod nondum probatum est, & a nobis non conceditur. Etsi enim anima tunc existere incipiat, quando cum corpore unitur, inde tamen non sequitur, eam eadem ratione gigni, qua corpus gignitur. De modo equidem, quo anima existere incipit, ratio nihil certi definire potest: hoc tamen aperte cognoscit, quod, cum anima sit spiritus, eo modo, quo corpora gignuntur, originem accipere nequeat. (315) Atque hoc adeo manifestum est, ut plerique veterum Philosophorum, Epicuraeis saltem & paucis quibusdam aliis exceptis, praeexistentiam animarum ante earum cum corporibus unionem, vel originem ex essentia divina asserere maluerint, quam admittere, animas eadem, qua corpora, ratione, per generationem originem accipere. Quod vero anima cum corpore crescere & senescere videtur, vimque suam diversimode pro diversa corporis constitutione exerit, id non tam de ipsa anima, quam quibusdam ejus operationibus est intelligendum. Cum enim ob arctissimam ejus cum corpore unionem, in operationibus quibusdam corpore, cumprimis autem spiritibus animalibus, ceu instrumento, uti de-

 beat,

beat, fieri aliter nequit, quam ut pro corporis diverſa conſtitutione diverſimode quoque vis animae ſe prodat, & in ipſis ejus operationibus diverſitas quaedam conſpiciatur. (316) Atque hinc patet, quid ad *tertium* LUCRETII argumentum reſpondendum ſit, ex eo deſumtum, quod animus non ſuis modo laboret morbis, ſed a corporis etiam morbis attingatur:

Huc accedit, uti videamus, corpus ut ipſum
Suſcipere immaneis morbos, durumque dolorem;
Sic animum curas acreis, luctumque metumque,
Quare participem leti quoque convenit eſſe,
Quin etiam morbis in corporis avius errat
Saepe animus; dementit enim deliraque fatur;
Interdumque gravi lethargo fertur in altum
Aeternumque ſoporem oculis vultuque cadenti, &c.

loc. cit. pag. 87. Namque arctiſſimae unionis, quae inter animam atque corpus intercedit, leges hoc poſtulant, ut mentis morbi in corpus, corporis autem in mentem ipſam redundent. Cumque per corporis morbos, ſpirituum animalium, quibus vel maxime, ceu inſtrumento, anima utitur, motus turbetur, adeo, ut nimis intendatur, vel rurſus impediatur, aut alio modo exorbitet, mentisque directionem reſpuat, mirum non eſt, mentem vim ſuam, ea, qua poterat, ac debebat, ratione, exerere non poſſe, ſed in morborum corporis participationem quandoque venire. Nec tamen ſemper hoc contingit, ſed interdum mens conſtanter in graviſſimis corporis morbis vim ſuam ad externum vitae halitum usque demonſtrat, quod pro noſtra potius ſententia argumentum minime contemnendum praebet. (317) Reliqua, quae ab Epicuraeis adferri ſolent, ex hactenus dictis dijudicanda, & diſcuſſa inſuper ſunt a PETRO GASSENDO, *ſyntagm. Philoſ. Epicur. part. II. ſect. I. pag.* 29. *ſeqq.* Jam quod ad Pythagoraeos ceterosque attinet, qui animam hominis ex eſſentia divina ortam, in eam iterum aliquando reverti, ſtatuunt, etſi immortalitatem ejus aſſerere videantur, revera tamen indeſtructibilem potius, quam immortalem credere, jam ſupra ad *cap. III.* §. *II.* docuimus. In graviſſimo autem eos verſari errore, haud difficulter demonſtrari poteſt. Si enim animae hominum ex divina eſſentia ſunt decerptae, & cum ea aliquando iterum uniendae, ſequitur, eſſentiam Dei in partes plurimas eſſe diviſibilem, adeoque materialem. Quo pacto enim ſpiritus, hoc eſt, ſubſtantia materiae omnis expers, in partes dividi, atque diſcerpi queat, nemo mortalium capere poteſt. Deum vero materialem, & in partes innumeras diviſibilem ſibi fingere, tam ineptum, ut nihil ineptius cogitari queat. Accedit, quod mens hominis variis doloribus, paſſionibus, miſe-

miſeriis ſit obnoxia, immo, quod pravis impiisque cogitationibus & cupiditatibus ſubinde ſcateat, & mox huc, mox illuc trahatur, ut, ubi pedem figere debebat, homo ipſe neſciat. Quae omnia in ipſum Deum cadent, ſi mente noſtra divinae eſſentiae ſit particula. Deus ergo ipſe, hoc eſt, ens omnium perfectiſſimum, angetur, excruciabitur, dolores ſentiet, prava quaevis cogitabit & concupiſcet, mox huc, mox illuc feretur. Quae omnia non blaſphema tantum, ſed ita inſuper comparata ſunt, ut a ſanae mentis homine aſſeri nequeant. Tolerabilior equidem Platonicorum videri poterat opinio, ex anima mundi hominum animas originem ducere, & in eam reverti, ſtatuentium. Sed, cum mundi animam inter ὑποστάσεις divinas referant, iisdem difficultatibus praemuntur. Si enim materialis ſit anima mundi, ὑπόστασις quaedam Divina materialis admittenda erit. Sin immaterialis, quo pacto dividi atque in partes diſcerpi poteſt? Nec rectius ſe habet ſententia Ariſtotelis, aut, ſi mavis, Averrois, unicum tantum numero intellectum, unicamve omnium hominum eſſe mentem. Tam enim hoc abſurdum eſt, ut non credam, quemquam hanc ſententiam ideo admiſiſſe, quod rationi eam convenientem exiſtimaret, ſed quod ad abſona quaevis credenda iis ſufficeret auctoritas Ariſtotelis. Quo pacto enim iſta unius intellectus per omnes homines diffuſio ſine extenſione quadam fieri poſſit, concipi nequit. Hoc ipſo autem intellectus hicce univerſalis materialis erit, iisdemque rationibus rejiciendus, quibus animae materialitatem impugnavimus. Cumque homines non tantum diverſas, ſed & contrarias cogitationes ſaepiſſime habeant, ſtatuendum erit, eundem intellectum uno eodemque tempore infinitis modis ſibi contradicere, & in uno homine affirmare, quod in alio negat, in uno adprobare, quod in alio improbat, in uno laudare, quod in alio vituperat; quod quam abſonum ſit, nemo non intelligit. (318). Nec eſt, quod obvertas, diverſas ejusdem intellectus univerſalis eſſe operationes, pro organorum diverſitate. Hoc enim licet in quibusdam ejus operationibus forte procedat, ad omnes, eas praeſertim, quae a certa organorum diſpoſitione non pendent, nullo modo trahi poteſt. Denique & illi falluntur turpiter, qui animam pro qualitate quadam, ſeu virtute ex materiae diſpoſitione orta, & cum ejus deſtructione ceſſante, habent. (319) Etſi enim ex materiae diſpoſitione qualitates quaedam oriri queant, quae formaliter, ut loqui ſolent, antea in materia non extiterunt, nulla tamen qualitas, nulla virtus, ex materiae diſpoſitione elici poteſt, quae non radicaliter, & ad minimum quoad potentiam, antea in materia fuit. Animae vero facultates, intellectus & voluntas, cum nec radicaliter, nec quoad potentiam in materia exiſtant, quocunque modo hanc diſpoſueris aut diſpoſitam fingas, nunquam illas inde elicias. Inter commenta itaque ludicra atque ſomnia haec ſententia referenda eſt, quae homines ſine anima ſtatuit.

Fff 3 Cum

Cum vero auctores istius sententiae, resurrectionem mortuorum statuant, adeoque & Scripturae auctoritatem admittant, vel saltem admittere videri velint, omnia ea Scripturae dicta illis opponi possunt, quae animam a corpore distinguunt, &, eam post mortem superstitem esse, luculenter testantur, quorum praecipua antea jam indicavimus. Ad rationes autem, quae pro ista sententia in medium adferri possunt, responsum est, in *programm.* de *Arabicorum haeresi.* quod extat in *syntagm. dissertation. Theologic. pag.* 738. *seqq.*

(309) *Immaterialitas mentis nihil aliud demonstrare potest, quam quod sit* indestructibilis (*uti nonnulli loquuntur*): *si enim ex partibus non constet, sed ens simplex sit habenda, etiam in partes non potest dissolvi; verum quia hoc etiam, secundum* Leibnitium, *dici potest de quolibet corporum elemento, ulterius est pergendum, si* immortalitatem mentis proprie dictam *ex solius rationis placitis velimus demonstrare, sique per hanc intelligamus* perseverantiam mentis humanae perpetuam *in* possessione eorum attributorum, quae enti rationali adesse debent; *ita ut conscia sui maneat, atque in memoriam revocare possit ea, quae antea egit vel passa fuit, tanquam ad se pertinentia, per quam recordationem de sua identitate unice evadit certa. Ast qua ratione cognoscere licebit, morali certitudine, mentem simplicissimam nullique obnoxiam dissolutioni, non annihilandam esse divina voluntate? an non Deus manum sustentatricem retrahere posset, ut postquam satisfecit usibus, quibus erat destinata, relabatur in pristinum nihil, ex quo per creationem emersit? Gentiles sane Philosophi, a Revelationis lumine destituti, non satis de hacce veritate persuasi fuerunt; & qui eam propugnarunt vel per traditionem aliquid scivisse videntur, vel rationibus parum validis pro immortalitate mentis fuerunt usi. Imo Philosophi Christiani, uti in omnibus Theologiae & Religionis Naturalis Capitibus, sic etiam in doctrina de immortalitate animorum, laudabiles illos non fecissent progressus, ac demonstrationes, quas nunc praebent, non concinnassent, nisi Revelationis Cynosuram fuissent secuti. Breviter ideoque examinandum, cujusnam valoris sint demonstrationes, quae pro momentosissima hac veritate ex rationis principiis peti possunt, cui disquisitioni ansam praebebit ipse* Buddeus.

(310) *Eodem fere modo hoc argumentum urgetur, quo illud ex consensu Gentium cultiorum pro existentia Dei depromtum, de quo Cap. V.* §. 1. n. 155. & n. 156. *Si jam istud argumentum pro existentia summi Numinis apodicticum non sit, demonstrans summam Atheorum arrogantiam, & impudentiam, etiam hoc Auctoris ratiocinium tantum inter illa est numerandum, quae magnam probabilitatem huic do-*

ctri-

ctrinae conciliant. Non certe credibile est, tot homines in errore fuisse versatos, per infantiae praejudicia occoecatos, aut per Politicorum fraudes deceptos; cum horum callidissimi & maxima audacia conspicui sese ab hocce metu liberare non potuerunt, &, hominum vindictam non curantes, judicis inconspicui iram poenamque, post corporis mortem exspectandam, reformidaverint.

(311) *Appositum valde est dictum* Chrysostomi, (*Sermone IV. de Providentia,*) *quod profert* Gassendus *Oper. Tom.* 2. *pag.* 632. Si nihil est, *inquit*, post hanc vitam, igitur neque Deus est; nam si est Deus, justus est; si justus est, juxta merita unicuique distribuit. At si nihil est post hanc vitam, ubinam accipient singuli pro meritis? Etenim multi heic bene habent, honoranturque, pravi cum sint; alii adflictantur, cum justitiam colant. Quare, si posthac nihil est, emigrabunt justi adfecti injuria, & injusti immerita felicitate potientur. *Attamen & hoc argumentum quibusdam non apodicticum videri posset* 1°. *quia recte facti fecisse merces est, dum malas actiones sequuntur saevissima conscientiae verbera;* 2°. *quia in hoc rerum statu (seposita cognitione Servatoris) poenas subire debent omnes, nulli vero merentur remunerationem post hanc vitam. Quod ad* primam *rationem attinet; experientia docet, inter bonos dari, qui suae tenuitatis suorumque lapsuum conscientiâ longissime absunt ab illa tranquillitate, in qua amoenissima recte factorum merces est quaerenda, dum plurimi inter maleficos infelicitatem illosque conscientiae morsus rarius experiuntur, qui naturales videntur criminum sequelae. Idololatrae inter* Gentiles *cum veteres tum hodiernos, non illas propter hocce crimen, ex errore vincibili profluens, senserunt conscientiae vellicationes illaque verbera, quae poenam naturalem istius facinoris constituerent, licet animi tranquillitas magis solida fuisset, si ex veri Dei cultu suam traxisset originem.* Altera *ratio argumentum hocce non labefactat: quippe, licet proborum conamina sint naevis obsita, ingens tamen debet esse differentia inter subditos rebelles, qui Principis sui legibus obedire praefracte recusant, eumque odio prosequuntur, atque inter illos subjectos, qui omni virium contentione ipsius jussa exsequi allaborant, qui sincera poenitentia ducuntur, si ipsius leges fuerint transgressi, qui adeoque inviti peccant, quando adfectuum impetu abripiuntur, vel alio modo non attendunt ad legis praescriptum. Princeps sane maxime despoticus iisdem fatis subjicere non posset duas hasce diversissimas subditorum classes.*

(312) *Argumentum ex innato immortalitatis voto atque ardentissimo desiderio depromtum, tantum inter probabilia, non inter apodictica potest numerari: vix scil. credere licet, Deum benignissimum tam vehemens*

istius

istius perennis vitae desiderium, felicitatisque nunquam desiturae amorem mentibus indere voluisse, ad quam nunquam pervenire possunt. Quin imo, mentium felicitas crescere potest in infinitum; adeoque credibile non est, Deum O. M. iis, sese perficientibus, remoram injicere velle, easdemque in initio sui cursus sistere: si homo sit conditus, ut rerum Conditorem ex operibus suis cognosceret, nemo sibi facile persuadebit, eundem istum Conditorem animam destruere velle, cum in limine istius cognitionis adhucdum versatur, novasque creare, rursus, cum paululum in hac cognitione profecerunt, destruendas. Accedit, quod nullo exemplo patescat, Deum substantias *annihilare velle; cum substantiae viliores, quales sunt elementa corporum, in maximis etiam vicissitudinibus non redeant, quantum novimus, in nihilum, sed formam suam suasque proprietates, quae ut accidentales spectari possunt, mutent vel deponant. Hae sunt rationes, quae probabilitatem aliquam huic dogmati conciliant, neutiquam vero istius sunt ponderis, ut in iis, tanquam in apodicticis demonstrationibus mens veri, veraeque immortalitatis cupida acquiescat; licet hae argumenta priora, quae magis solida sunt, confirment.*

(313) *Numerosi sunt illi, qui animae immortalitatem ex ratione demonstrare allaborarunt, quos recensere longum foret atque satis inutile, cum plurimi suos antecessores exscripserint: prae reliquis tamen commendari merentur* Boullier *Essay Philosophique sur l'Ame des Betes Tom. 2. pag. 277. suiv.* Gassendus *Oper. Tom. 2. pag.* 620-658. Poiret *Cog. Rat. L. 3. C. 25. & in Resp. ad Object. pag.* 699-718. (*Edit. 2dae*) Canzius *in Medit. Philos.* §. 1065-1106. *& in Exercitationibus Historico-Philosophicis de Animae immortalitate passim.* Muys *Opusc. Posth. pag.* 1-38. Turretin *Diss. Theol. Vol. I. Diss. XII.* Formey *le Philosophe Chretien pag.* 179-194. A. Brixia *in Philosophia Mentis Tom. 2. pag.* 129-163. *Principia Relig. Nat. & Revel. Tom. 1. pag.* 557-582. Bulffingerus *Dilucid. Philos. Sect. 4. C. 5. pag.* 405-425. Reimarus *Voorn. Waarh. van den Natuurlyken Godsdienst Xde Verh.* Thummigius *in Meletematibus pag.* 150-183.

(314) *Objectio haecce alio modo proponi potest, majorem habitura speciem: sensus omnes, scilicet, & memoria a corpore pendere videntur; hoc igitur dissoluto, essentiales illae mentis proprietates vel facultates evanescunt: quid igitur restabit, si corporum non tantum, sed etiam spiritualium rerum ideas, quae occasione sensuum excitantur, aut imprimuntur, & per memoriam revocari debent, non possit reproducere? Verum hoc ratiocinium nequaquam infringit argumentorum efficaciam, quae pro immortalitate mentis fuerunt proposita, sed tantum demonstrat,*

ſtrat, plerima dari in conjunctione mentis cum corpore, quae nos latent: neque ex phaenomenis, quae in nobis ipſi deprehendimus, concludere licet, memoriam totam pendere a corpore, quamvis haec turbetur & evaneſcat quandoque, turbato vel laeſo cerebro. Nonnulli tamen eorum, qui de immortalitate mentis penitus ſunt perſuaſi, ex hacce ejus dependentia a corporis conſtitutione inferre voluerunt, eandem corporeis ſolutam vinculis a cogitando ceſſare, verſarique in perpetuo ſopore, usque dum, ſecundum Revelationis doctrinam, cum corpore reſuſcitato denuo unietur, quam ſententiam ad rigidius examen revocaſſe hujus non eſt loci. Vid. Ditton *in Append. ad egregium Tractatum de Reſurrectione Chriſti Cap.* 10—12. *Anonymus Anglus in Act. Erud. Lipſ. Suppl. Nov. Tom. VII. pag.* 102. *ſeqq.* Witſius *in Symb. Exerc.* 26. §. 67. *ſeqq.*

(315) *Quaeſtio de origine Animae humanae huc non pertinet; & poſtquam demonſtratum eſt, eam non eſſe corpoream ad Cap. V.* §. 7. *nemo eo inſaniae procedet, ut credat, eandem cum corpore gigni, corporum more, & ſic cum corpore, corporum more, diſſolvi. Et ſi vel cum nonnullis ſtatuere vellemus, animam ab anima parentum* per traducem ſpiritualem *oriri (in qua opinione, poſt plurimos veteres, verſatus fuit* Poiret *Cogit. Rat. Lib.* 1. *Cap.* 6. §. 5.) *non tamen exinde ſequeretur, eam corporum more gigni, & diſſolvi; cum hujus ſententiae, ſic ſatis caeteroquin abſurdae, fautores de animae immaterialitate ſint perſuaſi. Caeterum, ſive ſtatuatur, Deum in rerum primordio omnes animas ſimul creaſſe, (quae opinio circa* praeexiſtentiam animarum *graviſſimis obnoxia eſt difficultatibus) ſive teneamus, eas tum demum a Deo produci, cum uniuntur cum ſuis corporibus, nullus datur inter corporis mortem, atque inter animae interitum nexus.*

(316) *Anima, utut a materia penitus diſtincta, creſcere videtur & adoleſcere cum corpore* 1°. *quia arctiſſime eſt alligata ſuo corpori, quod ipſi eſt cum habitaculum, tum praeſertim inſtrumentum, cui vires ſuas applicet; quo commodum magis eſt illud habitaculum, quo inſtrumentum illud ad inſignius perfectionis culmen eſt evectum, eo melius ſeſe habet hoſpes, eoque promtius ſuas facultates poteſt exercere;* 2°. *quia ipſa mens eſt intelligentia finita, cujus facultates & habitus continuo creſcunt crebriori exercitio; ideae evolvuntur, perficiuntur, ſenſimque redduntur numeroſiores; ita ut mentes etiam, quae nulli culturae inſigniori ſubjiciuntur, paulatim perfectiores evadant, atque in ſuarum facultatum naturalium exercitio magis promtae & alacres.*

(317) *Negari non poteſt, mentis inclinationes plurimum a corporis diſpoſitione pendere; notatu digniſſima exempla collegit Vir. Clar.* H. D.

 Gau-

Gaubius *in elegantissimis Orationibus* de regimine mentis, quod Medicorum est: *ita ut alia videatur mens, diversissima a priori, postquam corpus insigniores mutationes subiit. Dantur mulieres uterum gerentes ad furandum proclives, quae post puerperium ab istiusmodi facinoribus abhorrent; dantur homines, qui, durante ebrietate, de aeterna sua salute sunt solliciti, imo de eadem desperant, qui sobrii nunquam de illa cogitare videntur; in variis aetatibus hominis ejusdem inclinationes sunt variae; variae sunt pro varietate soli, in quo nati, ciborum, quibus aluntur, aeris, quem inspirant; ita ut summo jure dixerit Cl.* Kaau Boerhave *Impetum faciens, &c. pag.* 325. *seqq.* Uti anni tempestates & aeris vicissitudines mutant corpus, ita mentis actiones erigunt vel deprimunt: Nemo est, qui sanus serena aura non cogitat hilarior de quacunque materia, quam ubi nebulosum coelum & udum est, *&c. Quin imo! refert Cl.* Gaubius *l. c. pag.* 87. *se novisse aliquos, quibus ex morbo convalescentibus, priusquam vires resumserint, adeo incommoda fuerit iracundia, ut, cum sibi fastidio essent, ratione tamen reprimere exaestuantem perpetuo bilem non possent, &, restitutâ tandem cum viribus animi moderatione, plus etiam de hac, quam de superato corporis morbo, sibi gratularentur. Hisce sexcenta alia exempla possent adjici: sed an inde concludere liceret, animam a corpore non diversam esse, & cum corpore suo dissolvi? nequaquam certe; obstant omnia argumenta pro immaterialitate mentis supra allata* n. 206. *obstant rationum pondera, quae* n. 311. *seq. pro immortalitate ejusdem fuerunt proposita; id unum ex hisce conficere jubet sana Logica, arctissimam esse unionem inter mentem & inter corpus, cujus modum ignoramus & forte his in terris ignorabimus perpetuo, vixque ullam dari in mente cogitationem, cui non respondeat determinatus in corpore motus, & vicissim. An exinde, quod insignis Artifex talem inter duo horologia posuit nexum, ut unum influat in alterum, &, turbatis unius motibus, etiam turbentur motus in altero, legitime concluderem, non duo esse horologia distincta, sed unicum tantum; dum indubia experientia monstrat, revera duo esse, quae & facultatibus & operationibus toto coelo a se invicem differunt. Ne dicam, non semper mentis vires debilitari, quando corporis dissolutio instat; exempla numerosa in contrarium reperiuntur, quae videri possunt apud* Montagne *in Epistolis ipsius Tentaminibus subjunctis Tom.* 3. *pag.* 400. *suiv.* Poiret *Cogit. Rat. Lib.* 3. *Cap.* 25. §. 7. T. H. van den Honert *de Veris Dei Viis Tom.* 1. *pag.* 41. *seq.*

(318) *Errorem, quem hic respicit Cl. Auctor, recoxit* Deurhovius, *statuens, cogitationem generalem a Deo esse creatam, cujus modificationes sunt mentes humanae singulae; dubium tamen est, an ipse* Deurhovius *defi-*

definitionem istarum modificationum dari potuerit, & an non, ut supra vulgus, ex quo erat, sapere videretur, inanes protulerit sine mente sonos. Non lubet contra hujusmodi chimaeras pugnare; satis superque hominem refutavit Cl. T. H. van den Honert *de Veris Dei Viis Tom.* 1. *pag.* 51. *seqq.* — 173. *ut alios taceam, inter quos eminet Anonymus Auctor Tractatus Belgici* Deurhofs Leer en eer verdedigd, *qui, ridendo suaviter hasce nugas, aliis longe praecelluit,* Deurhovium *seria confutatione dignum censentibus.*

(319) *Actum agerem, si demonstrarem denuo, Mentem esse substantiam simplicem, nihil cum materia, aut cum extensione commune habentem; adeoque, hisce positis, sponte sua patescit, animam non esse qualitatem, vel virtutem ex materiae dispositione ortam, cum materiae dissolutione cessantem; quorsum delapsus fuit* la Mettrie *l'Histoire Naturelle de l'ame, & in turpissimo libello* l'homme Machine *passim; quem errorem recte refutavit Anonymus Leidensis in Tractatu, cui titulus* l'Homme plus que Machine, *licet* de la Mettrie *non directe, saltem non unice respexerit ingeniosus Auctor. Imo adfectata est modestia* Lockii, *quando de Int. Hum. Lib.* 4. *Cap.* 3. §. 6. *nullam se in eo contradictionem animadvertere fatetur, quod Deus quosdam gradus sensationis, perceptionis & cogitationis quibusdam materiae partibus seu collectionibus concedat, de qua opinione vid.* Leibnitius *Nouveaux Essays sur l'Entendement Humain Liv.* 4. *Ch.* 3. *pag.* 342. *suiv.*

Verum, si rationi & experientiae vim inferre placeat, & vel mentem materialem statuere, vel, eandem corporis adfectionem esse, confingere velimus; nondum tamen sequeretur, eam esse mortalem, & cum corporis crassioris mole dissolvi; tantum id conficere ex absurdissima hac hypothesi liceret, illam sua naturâ non esse indestructibilem. *Sed consideratio perfectionum divinarum, quas antea* (n. 311) *ob oculos posuimus, obstaret, quominus a Deo dissolveretur illa molecularum subtilissimarum congeries, seu Machina ista artificiosissima, quae & cogitationes, & conscientiam sui parare & quasi fabricare apta est; ne omnium machinarum cogitantium sors, quae in hisce terris non respondet diversissimis earum actionibus seu effectis, post dissolutionem corporis crassioris, in quo locatae, vel cui superadditae fuerunt, penitus sit eadem: merita quippe & crimina adsignare debent suis machinulis, cum iis cogitationem, intellectum, voluntatem, conscientiam sui, felicitatem & infelicitatem subtrahere nequeant; eaedem igitur rationes, quae mentes incorporeas & simplices post mortem corporis non annihilandas esse docent, machinulas cogitantes non destruendas esse suadent.*

§. III.

Praeter Deum, animamque hominis, alios adhuc existere spiritus, hoc est, substantias materiae expertes, intellectuque non tantum & voluntate, sed potentia etiam movendi corpora, & in ea agendi praeditas, nulloque cum corpore conjunctas, variae illorum, quae certissimis documentis constant, nos dubitare non sinunt operationes. Falluntur itaque non tantum, sed impudentiam suam, & summam ad quidvis aut negandum aut impugnandum temeritatem produnt, qui & spirituum ejusmodi existentiam inficiantur, & cuncta, quae de illis narrantur, aut sine discrimine, ausu iniquissimo rejiciunt, aut ad alias causas conatu prorsus irrito referunt. *

* Ut in spirituum creatorum existentia probanda rite procedamus, primo id, ceu extra controversiam positum, assumimus, non esse ἀδύνατον, ejusmodi substantias materiae expertes existere. Hoc si admittere Athei aut Pneumatomachi nolint, luculenta iis adferenda est ratio, cur spiritus, seu substantiae ejusmodi materiae expertes, existere nequeant. (320) Eo minus vero hoc facere poterunt, quod vel ipsius mentis humanae exemplo evidenter hoc comprobari queat, quam spiritum, seu substantiam materiae expertem esse, per ea, quae in praecedentibus diximus, vel inviti concedere tenentur. Jam si nihil obstet, quo minus spiritus ejusmodi existere queant, ulterius hoc ab omnibus postulo, testimonia illorum, qui se per apparitiones ejusmodi spirituum, aut alias eorum operationes, de illorum existentia certiores redditos adfirmant, non sine causis gravissimis rejicienda esse. (321) Inter hosce testes nonnullos saltem esse, qui neutiquam animum alios decipiendi habeant, adeoque veritatem dicere velint, non facile vel impudentissimus Atheorum abnuet. Praeterquam enim, quod iniquissimum esset, tot homines sine causa in imposturae suspicionem adducere; fieri etiam prorsus non potuit, ut tot homines, quorum hac de re testimonia extant, temporum pariter ac locorum intervallo a se invicem remotissimi, velut conspiratione quadam facta, ad totum genus humanum decipiendum inter se consentirent. Quemadmodum vero ad minimum nonnulli, quae veritati consentanea sunt, hac de re dicere voluerunt, ita nullum plane est dubium, quin id facere potuerint.

rint. Sane ſenſus quandoque, ſi rite diſpoſiti non ſint, aut in operationibus ſuis quacunque ratione impediantur, falli poſſe, non diffiteor. Nec ignoro, quanta vis ſit imaginationis, praeſertim, ſi adfectus vehementiores accedant. Inde vero qui colligit, ſemper erraſſe ſenſus, ſemperque homines deceptos per imaginationis vim fuiſſe, quoties ſpirituum operationes viſu, vel aliis ſenſibus perceperunt, perinde mihi agere videtur, ac qui a particulari ad univerſale argumentatur. Sane quidem circumſpectione quadam hic opus eſſe, nec quasvis de ſpectris aut ſpirituum apparitionibus, narratiunculas ſtatim admittendas eſſe, lubentes fatemur. Nec tamen inde ſequitur, omnia de hiſce teſtimonia rejicienda eſſe, praeſertim, cum quaedam ita comparata ſint, ut nec impoſturae, nec ſenſuum fallaciae locus eſſe queat. Exempla ejusmodi adferre, noſtri inſtituti non patitur ratio: legi vero merentur; quae HENRICUS MORUS congeſſit, in *antidoto adverſus Atheiſmum lib. III. cap. VI. ſeqq. tom. II. opp. Philoſoph. pag.* 105. *ſeqq.* (322) Praeter ſpectra, etiam commercia, quae Magis ac Sagis cum ſpiritibus malignis intercedunt, horum exiſtentiam evidenter comprobant. Omnia enim ea, quae Magi aut Sagae de iis profitentur, in dubium vocare, aut corruptae imaginationi tribuere velle, a ſumma impudentia parum abeſt. Non tantum enim ſubinde conſentientes prorſus inter ſe περιστάσεις obſtant, ſed ſigna etiam in corpore conſpicua, munera, quae a ſpiritibus acceperunt, & alii effectus, qui exceptionem non admittunt. Exemplum ejus rei memorabile idem, quem jam laudavi, HENRICUS MORUS exhibet, *loc. cit. cap. VII. pag.* 108. *ſeqq.* (323) Accedunt obſeſſiones, quas vocant, corporales, magno ſubinde cum ſpectantium horrore, & exiſtentiam & potentiam malignorum ſpirituum demonſtrantes. In quibus etſi, quae a melancholia aut aliis morborum generibus ſunt, caute diſcerni velim ab iis, quae naturae operationes excedunt, ita talia ſubinde in iis occurrere, quorum nulla, ſi Daemonis potentia non admittatur, ratio reddi queat, nemo profecto ſine ſumma temeritate negare poterit. (324) Mitto reliquas rationes, quae paſſim ab iis allatae ſunt, qui ex inſtituto contra πνευματομάχους diſputant, quos inter & JOSEPHUS GLANVILIUS laudandus, in *Sadducaeiſmo triumphato*, Anglicano idiomate ſcripto, ſed anno MDCCI in Germanicum translato. Cum vero nonnulli ex iis, quibuscum hic nobis res eſt, Scripturae auctoritatem admittant, vel ſaltem aperte reſpuere non audeant, eo lubentius ejus teſtimoniis utimur, quia longe plenius & evidentius, quam ratio, de ſpirituum exiſtentia & operationibus nos inſtruit. Nec omnia tamen congeremus, ſed praecipua, quae ad noſtram cauſam faciunt, delibabimus, remotis inſuper, vel unico verbo, BALTHASARIS BECKERI ineptiis, quibus rebus clariſſimis caliginem offundere allaboravit. Ipſe primorum parentum lapſus argumentum pro noſtra ſententia nobis ſuppeditat, cum res

ipsa satis doceat, per serpentem seductorem *Gen. III:* 1. *seqq.* infernalem genium intelligendum esse. Si cum BECKERO dicas, infernali genio seductionem primorum hominum ideo tribui, quod hi ad illius exemplum peccaverint, verbis apertis Scripturae sacrae, *Genes. III:* 4, 5. *Joan. VIII:* 44. 2 *Corinth. XI:* 3. *Apoc. XII:* 9. vim inferes. (325) Abrahamo tres apparuerunt angeli, *Genes. XVIII:* 2. *seqq.* quorum unus increatus ille, seu filius Dei fuit, ut alibi extra controversiam ponitur, reliqui vero duo creati, qui Lothum cum familia ex Sodoma urbe, ne una cum impiis periret, eduxerunt. BECKERUS homines intelligit, & quidem Prophetas. Cur vero semper vocantur Angeli? Sed conticescere hominem Paulus jubet, hospitalitatis praemia ex eo commendans, quod inscius etiam Abrahamus Angelos convivio exceperit, *Ebr. XIII:* 2. (326) Quae ratiocinatio Apostoli inepta foret, si homines, & non angeli proprie sic dicti convivio ab Abrahamo excepti fuissent. Cum Deus legem promulgaret populo Israëlitico, ingens quoque Angelorum tubâ clangentium adfuit turba, *Exod. XIX:* 19. Tonitrua hic & fulgura intelligit BECKERUS, Mosemque ad divinae majestatis opinionem in hominibus excitandam atque augendam ita loqui. Sed Moses a tonitribus fulguribusque diserte tubarum clangorem discernit, *loc. cit.* angelosque fuisse testatur, *Deut. XXXIII:* 2. quod & Paulus confirmat, *Galat. III:* 19. Angeli, quocum Jacobus colluctatus est, *Gen. XXXII:* 24. *& seqq.* quive populum Israëliticum per desertum in Palaestinam deduxit, *Exod. XXIII:* 20. *seqq.* ideo nulla videatur facienda mentio, quod is non creatus, sed increatus ille seu filius Dei fuerit. Qui vero luctam Jacobi in somnio vel visione contigisse putant, & per angelum populi Israëlitici ductorem columnam nubis & ignis intelligunt, nescire mihi videntur, quid dicant. Claudicatio Jacobi testatur, luctam non fuisse imaginariam. Angelus autem populi Israëlitici ductor, non semel, sed saepius, a columna nubis diserte distinguitur. (327) Spectrum porro illud Endoraeum, quod Sauli ultima fata indicavit, 1 *Sam. XXVIII:* 7. *seqq.* de alio, quam infernali genio, intelligi nequit. Ipsam enim Samuelis animam, si Sauli apparuisse dicas, eam artibus magicis e beatorum sedibus evocari potuisse, simul concedas, necesse est; quod nemo, nisi omni ratione destitutus, sibi persuadebit. Qui autem ad vatidicae mulieris praestigias cuncta referre voluerit, illi simul admittendum, vetulam istam civilium rerum peritissimam fuisse, tantaque sagacitate praeditam, ut promte futura praedicere potuerit; quod omnem fidem superat; ne dicam, quod nulla arte humana Samuelis ita imitari vocem potuerit, ut non Saul, cui Samuel notissimus erat, quantumvis perterrefactus, statim fraudem animadvertere potuisset. (328) Tentator vero ille Christi Servatoris, quis alius, quam infernalis genius? *Matth. IV:* 1. *seqq.* Cum BECKERO enim asserere, in imaginatione haec omnia

omnia peracta, qua Christus pravas cupiditates sibi repraesentaverit, ac si per eas tentaretur, ineptum non minus est, quam blasphemum. Nec felicius hoc telum declinant, qui aliquem ex Pharisaeis, aut aliis Christi adversariis, tentatoris munere functum putant. Ut enim reliqua, quae gratis & fine omni fundamento assumuntur, taceam, quid causae fuisset, tentatorem hunc absolute διάβολον vocare, cum alias Scriptura Christi adversarios, ceu homines certos describere & designare consueverit. Cum diabolus cum Michaële angelo super corpore Mosis contendisse dicitur, *Epist. Jud. vers.* 9. BECKERUS quidem Doctores Ecclesiae aut Sacerdotes intelligit, quorum unus corpus Mosis proferri idololatriae causa voluerit, cui alter restiterit, aut quorum unus pro legis Mosaicae observantia pugnaverit, renitente & reclamante altero. Scilicet, quia ita placuit, & quia fas sibi esse putat, quidlibet facere ex quolibet. Qui vero, quae *Zach. III:* 2. extant, paulo accuratius consideraverit, statim a propria & genuina verborum sibi minime discedendum esse significatione, intelliget. Mitto nunc, quae de officiis & ministerio Angelorum bonorum Scriptura nos condocet, quo circa nativitatem, vitam, resurrectionem Christi functi sunt, *Luc. I:* 11, 26. *II:* 9, 13. *Matth. IV:* 11. *Luc. XXIII:* 43. *Matth. XXVIII:* 2. *Act. I:* 10. aut erga omnes homines, speciatim fideles, funguntur, *Psalm. XXXIV:* 8. *Matth. XVIII:* 10. *XVI:* 22. *Act. X:* 3. *XII:* 7. *Ebr. I:* 14. item, quae de malignorum spirituum operationibus *Ephes. II:* 2. *VI:* 12, 13. *I. Petr. V:* 8. alibique, commemorat. Enimvero haecce loca omnia in alium sensum detorquere, & per Angelos bonos, homines pios, per Daemones autem, improbos intelligere, ecquid aliud est, quam Scripturam profanorum hominum ludibrio exponere, viamque illis ostendere, qua horrenda quaevis dogmata ex ea exsculpere & veritates manifestissimas eliminare queant. Si haec interpretandi Scripturam ratio procederet, haud difficulter & Athei eam ita interpretari possent, ut nullum in ea sibi invenire videantur Deum. Quemadmodum vero ex hactenus dictis etiam patet, spectra dari, ita ulterius id inde confirmatur, quod ipsi Discipuli Christi, cum ipsum in mari ambulantem conspicerent, spectrum sibi apparere existimaverint, *Marc. VI:* 49. Quae opinio eos quoque invasit, cum Christus post resurrectionem illis appareret, *Luc. XXIV:* 37, 39. Quo ipso ut aperte significarunt, se spectra, seu spirituum apparitiones credere, ita dum Christus eos ob istam opinionem minime reprehendit, eos hac in re non errasse, firmiter inde colligimus. Magorum saepissime in Scriptura sacra mentionem fieri, constat. Hoc vero nomine ejusmodi subinde homines designari, qui ope infernalis genii mirabilia perpetrabant, vel Aegyptiorum Magorum exemplum *Exod. VII. seqq.* neminem dubitare sinit. Quae enim de iis narrantur, per praestigias mere humanas nulla ratione effici potuerunt. Quo pacto enim arte

qua-

quadam humana fieri queat, ut baculus in medium projectus statim serpentis speciem referat, nemo dixerit. At diaboli praestigiis ejusmodi quid fieri posse, manifestum est; cum dubium non sit, quin summa celeritate corpus aliquod ex aëre formare queat, quod serpentis instar sit. Idemque de reliquis mirabilibus, ab Aegyptiorum Magis editis, censendum. (329) Non minus vero & obsessorum a spiritibus malignis, saepissime, in novo praesertim Testamento, mentio injicitur; idque ea ratione, ut, qui de morbo quodam aut melancholico, aut alio, id intelligere vellet, sana non amplius praeditus esse mente censeri queat. Qua de re si quis dubitet, perpendat saltem daemoniacorum istorum exemplum, quod *Matth. VIII: 26. seqq.* extat. Ipsi daemones Servatorem alloquuntur: *Quid tibi nobiscum rei est, Jesus Dei fili? Huccine venisti ante tempus vexatum nos?* Immo ab eo petunt, ut sibi liceat in porcorum gregem immigrare; idque cum impetrassent, eundem praecipitem in lacum egerunt. Haec vero omnia quis de morbo quodam melancholico, aut alio, intelligeret? aut num porci eodem quoque correpti sunt, cum in lacum ruerunt praecipites. (330) Non minus & illustria sunt exempla, quae *Luc. XI: vers. 14. seqq. Matth. XII: vers. 22. seqq. XV: vers. 22. seqq. XVII: vers. 15, 18.* leguntur. Hunc ergo in modum cum spirituum creatorum existentia satis ex ratione pariter ac Scriptura sacra demonstrata sit, nihil aliud superest, quam ut ad rationes secus sententium paucis respondeamus. Prima illorum est, qui cum Epicuraeis, speciatim Thoma Hobbesio, spiritus dari, prorsus negant, eo quod non aliae *praeter materiales dentur substantiae.* Hi vero cum assumant, quod est in quaestione, non est, quod nos morentur, praesertim, cum contrarium, dari substantias materiae expertes, evidentissime supra demonstratum sit. Altera illorum est, qui spiritus quidem admittunt, sed *materiales*, adeoque in eam ingrediuntur sententiam, nihil obstare, quo minus substantia materialis cogitare queat. Quod quam absonum sit, itidem supra jam demonstratum est. (331) Nec est, quod auctoritas veterum Philosophorum, Pythagoraeorum maxime & Platonicorum, quemquam moveat, materiales spiritus statuentium aut potius fingentium. Non enim insolens istis fuit talia asserere, quorum ipsimet nullam reddere potuere rationem. Tertia illorum est, qui non tam existentiam, quam *operationes* spirituum se impugnare videri volunt; quanquam operationes eorum in dubium vocando, praecipua simul argumenta, quibus existentia probari potest, labefactent. Non concipi posse, ajunt, quo pacto spiritus, cujus essentia in cogitatione consistit, in materiam seu corpus agere, adeoque talia, quae spiritibus vulgo tribuuntur, edere possit. Sed falluntur & isti, dum erroneam animo concipiunt spiritus notionem, essentiam ejus in cogitatione constituentes. Enimvero, si cuncta, quae de spiritibus nobis innotuerunt, paulo accuratius con-

consideremus, is demum recte de iis Philosophari merito censebitur, qui spiritum dixerit substantiam materiae omnis expertem, intellectu & voluntate, potentiaque movendi corpora, & agendi in materiam, adeoque facultate mirabilia multa efficiendi, praeditam. Veram hanc & genuinam esse spiritus creati & a corpore sejuncti notionem, tum ex iis, quae certa & indubitata fide de spiritibus traduntur, tum ex ipsa animae nostrae consideratione manifestum est. Secus autem sentientium πρῶτον ψεῦδος in eo consistit, quod essentiam spiritus in cogitatione constituunt. Qua in re tamen maximopere falluntur. Etsi enim nullus spiritus sit sine cogitatione, adeoque facultas cogitandi inter proprietates spiritus recte referatur, inde tamen minime sequitur, ipsam spiritus essentiam consistere in cogitatione. Cessat itaque & corruit prorsus ista ratiocinatio: spiritus est res cogitans, ergo non potest movere corpus, aut agere in materiam. Nec est, quod regeras, cum nos asseramus, spiritum esse materiae expertem, non magis, quo pacto substantia materiae expers agere in corpus queat, concipi posse, quam quo pacto id facere queat res cogitans. Licet enim, quomodo substantia materiae expers in corpus agere queat, nobis non constet, inde tamen res ipsa, seu quod ejusmodi facultas in spiritus cadat, minime vocanda est in dubium. Perinde enim hoc esset, ac si quis negare vellet, magnetem attrahere ferrum, ideo quod modum, quo hoc fiat, ignoret. Multa sane fiunt, quae, quo pacto fiant, nemo mortalium dixerit: haec autem omnia negare velle, extremae esset & impudentiae & stultitiae. (332) Animam hominis habere facultatem, corpus, certaque ejus membra, linguam, manus, pedes, pro lubitu movendi, experientiâ magistra omnes novimus. Nec tamen quisquam explicaverit, quo pacto ad minimum voluntatis nutum spiritus animales ita determinari possint, ut mox hoc, mox aliud membrum, idque mox hac, mox alia ratione moveant? Quod si vero quis ejusmodi motus negare vellet, ideo quod non caperet, quo pacto mens nostra in corpus agere queat, nonne rationis usum amisisse merito censeretur? (333) Nec est, quod cum BECKERO excipias, animae aliam hic esse rationem, quippe quae proprium corpus habeat; est enim anima aeque spiritus, ac Angelus, adeoque, si nullus spiritus in corpus agere posset, nec anima hosce corporis nostri posset excitare motus. Praeterea exemplum istud eo praecipue pertinet, ut demonstremus, multa ut certa & explorata admittenda esse, de quibus tamen, quomodo fiant, dici nequit. Quare si vel maxime discrimen inter animam & reliquos spiritus admittatur, ratiocinatio tamen firmo perstat talo. Nullum vero etiam est dubium, eadem facilitate, qua Deus animae humanae facultatem indidit, proprium corpus ejusque membra movendi, eum etiam reliquis spiritibus facultatem corpora extra se posita movendi, vel certa ratione in ea agendi, concedere

potuiſſe. Quod denique BECKERUS fundamenti loco ſupponit, & toti ſyſtemati ſuo ſubſternit, angelos malos poſt lapſum catenis vinctos in inferno ceu carcere detineri, nihilque adeo in hocce mundo efficere poſſe, plane frivolum eſt. Catenae enim, quas Petrus *II. Ep. II:* 4. *catenas tenebrarum* vocat, non ſunt materiales, ſed ſpirituales, certamque & valde moleſtam potentiae angelicae circumſcriptionem, in ſpiritibus malignis denotant. Quo ipſo licet ſimul maligni iſti ſpiritus cruciatus infernales in ſe ſentiant, & ad certum etiam damnationis locum ſint determinati; hoc tamen non obſtat, quo minus & ex permiſſione divina, infernum ſuum ſecum circumferentes, in hocce mundo exiſtere, & varias operationes edere queant. Qua de re eo minus dubitandum, quo certiora luculentioraque ſunt, quae in Scriptura ſacra hac de re prodita legimus.

(320) *Ipſe* Bekkerus *nunquam negavit, ſpiritus a mentibus humanis diverſos exiſtere poſſe; id unum vel negavit, vel vocavit in dubium, iſtiusmodi ſpiritus eſſe Auctores plurimorum phaenomenorum, quae in hocce univerſo obſervantur, quaeque aliquando ſatis temere eorundem operationibus adſcribuntur. Et licet,* Bekkerum *ejusque ſequaces a vero aberraſſe in plurimis S. S. locis explicandis, certiſſimus ſim, non tamen ipſius placita referenda puto inter dogmata,* quae cum Atheiſmo ſunt conjuncta. *Conf. ea, quae notavi, ad Cap. III.* §. 3. n. 110.

(321) *Si ſolam* rationem *conſulamus, de exiſtentia Angelorum, ſive bonorum, ſive malorum, parum certi reddimur; cum neque ex eorum eſſentia profluat ipſorum exiſtentia, neque a priori ex perfectionibus divinis, derivari poſſit, Univerſum hocce non fore opus Deo dignum, niſi Angeli in eo darentur. Probabile quidem eſt, alios exſtare hujus mundi Incolas ab hominibus diverſos, qui, per vaſtiſſima Univerſi ſpatia diſperſi, operum divinorum ſunt ſpectatores atque uſufructuarii; cum temere ſtatueretur, omnia ſolius hominis cauſa eſſe condita, & analogia corporum motuumque coeleſtium Telluri noſtrae vix ullum prae reliquis Globis, & Soli noſtro vix ullum prae aliis Stellis fixis relinquat privilegium. Verum iſtiusmodi ratiocinia in probabilitate fundata pro demonſtrationibus apodicticis venditabit nemo prudens. Quin imo! ſi vel rationales proſtarent incolae in aliis Univerſi partibus, an magis probabile foret, eos per terreſtres regiones peregrinari, quam coeleſtes illas domos, quas habitant illi, peragrare nobis eſt conceſſum? Ideoque circumſpiciendum erit, cum ratio ſibi relicta a priori nihil hic determinare valeat, an a poſteriori ex effectibus, ſeu ex experientia aliquid certi liceat conficere.*

(322) *Omnes fere, qui existentiam Angelorum, seposita tantisper Revelatione, probare sunt conati, sedulo cum Auctore nostro provocarunt ad* experientiam; *sed hancce ipsam experientiam admodum dubiam reddere omni virium contentione studuit* Bekkerus *in Mundo fascinato (de Betoverde Weereld) Lib. 2. Cap. 6. & passim. Lib. 4. Neque diffiteri licet, inter exempla a* Moro *allata talia reperiri, quae risu potius, quam serio examine sunt digna; imo argumenta pleraque, quae collecta fuerunt a Cl.* Ode *(in Comment. de Angelis Sect. 2. Cap. 2. §. 8. n. 3. Cap. 3. §. 7. n. 3. & Sect. 4. Cap. 5. §. 8. n. 3.) a* Spectris *petita, non magni esse roboris. Arduum tamen est fidem historicam omnium eorum denegare, quae de spectris circumferuntur (uti ipse notavit Cl. Auctor) nisi forte procederent ratiocinia nuperi Auctoris Anonymi, vel potius Pseudonymi, qui* Spectra dari non posse *evincere studuit in Tractatu Belgico* Beredeneerd Vertoog om te bewyzen, dat 'er geen Spooken zyn, of zyn kunnen. *Verum nimium nos a scopo abduceret harum rationum examen, cum unice quaeratur*, an dentur praeter Deum & animam hominis, alii Spiritus? *ad quam quaestionem adfirmando respondendum esse, docet Revelatio, ratio vero & experientia* probabiles *tantum rationes suppeditant; cum hic praesertim respiciatur ad spiritus* rationales, *sive bonos sive malos. Spectra quippe, si quae appareant vel apparuerint olim, maxime quidem ante renatas scientias, non necessario haberi debent pro spiritibus a mentibus humanis diversis; contrarium certe ex plerisque historiis, quae de spectris narrantur, conficere liceret, praesertim si fides adhiberi posset iis, quae habet* Schelguigius *in Tractatu* de Apparitionibus mortuorum vivis ex pacto factis §. 4--14. *Ipse tamen* Schelguigius *in ea opinione versatus fuit, animam hominis post fata non apparere, permotus apertis, ut videntur, S. S. locis* Job. *VII:* 8—10. 2 Sam. *XII:* 23. Psalm. *LXXVIII:* 39. Luc. *XVI:* 26. *ideoque* §. 41. *concludit, illas apparitiones esse Diaboli ludibria; quam opinionem suo loco relinquimus, cum ipsae narratiunculae, de quibus explicandis hic agitur, vix aliquam mereantur fidem, si secundum sanioris Logicae regulas rigide examinentur; maxime quia ubique occurrunt testes solitarii, forte somniantes, vel rerum anteactarum sive conscientiâ, sive recordatione perterriti.*

(323) *Vix concipere licet, quomodo Cl. Auctor, ut dogma refutaret, quod, ex ipsius opinione, cum Atheismo est conjunctum, provocare potuerit ad commercia, quae Magis & Sagis cum spiritibus malignis intercedunt; cum tantum non omnes rerum humanarum periti & circumspecti judices longe plerasque fabulas istas, rigidum rationis examen non sustinentes, riserint. Notae nimium sunt historiae, quae hancce superstitionem ex animis hominum eradicare debuissent, quasque recensent*

Heemskerk *Batav. Arcadia pag. m.* 46-83. *seqq.* Thomasius *de Orig. & progressu Processus Inquisitorii contra Sagas passim, sed praesertim* §. 32. *seqq. conf. idem* Thomasius *de Crimine Magiae* §. 46. *seqq. &* Meiers Gedanken von den Würkungen des Teufels auf dem Erdbodem §. 62. *seqq. Equidem in historia sacra exempla occurrunt eorum, qui Diaboli auxilio praestitisse videntur, humanas vires superantia, uti in seqq. ipse notat Cl. Auctor. Leges quoque tulit Deus ministerio Mosis, quae Magos & Sagas extitisse supponunt; nemo denique, in dubium vocabit, si modo Revelationis lumine sit collustratus, Diabolum* posse *hominibus uti, ut eos ipsos aliosque perdat; verum quaestio in eo versatur, an aliqua adhiberi queat fides narratiunculis, quae circumferuntur de Magis & Sagis,* pactum cum Diabolo ineuntibus, *ejusque auxilio facinora patrantibus, quae vires humanas superant, & an illi, qui istas fabulas rident,* a summa impudentia parum absint, *& dogmata foveant, quae ad Atheismum ducunt? Si autem Historiam, si Dis placet, memorabilem inspiciamus, quae enarratur apud credulum nimium* Henricum Morum *l. c. & ad quam Cl. Auctor provocat, tot ridicula reperiemus, tot unius ancillae superstitiosae & anxiae testimonio nixa, tot fraudem redolentia, ut mirum videri posset, virum gravem talibus nugis potuisse immorari, eumque non observasse, depuratâ magis religione, scientiis & artibus magis excultis, vehementer diminutum fuisse & Spectrorum, & Magorum & Sagarum numerum.*

(324) *Si sacram historiam consulamus, ejusque agnoscamus fidem divinamque originem, obsessiones olim habuisse locum, easque proinde & hisce temporibus accidere* posse, *negari nequit, sed simul admittenda est veritas verborum, quibus usus fuit* Chr. Frid. Steverus *in Diss. de obsessione eademque spuria Membr. III. Obs.* 2. longissimus foret catalogus, si excerpere vellemus Observationes Medicas Epilepticorum, Ecstaticorum, Catalepticorum, Hystericarum, Convulsivorum, Melancholicorum, Maniacorum, Vermibus laborantium, Venenatorum, Philtris cruciatorum, robore insigni praeditorum, admodum voracium, *&c.* pro obsessis non a vulgo, sed a peritioribus Theologis, & Medicis, ac Jure-consultis habitorum. *Si autem characteres obsessionis verae, a pluribus propositos, cum memorato Auctore, sepositis praejudiciis, perlustremus, mirari licebit, obsessorum numerum adeo temere, etiam a Viris eruditione & pietate insignibus fuisse auctum, illosque characteres penitus fallaces esse, ab iis non fuisse animadversum.*

(325) *In Historia Mosaica nulla quidem fit mentio Diaboli; tantum serpens, ut seductor, memoratur, atque, veri nominis serpentem adfuisse, dubitari*

bitari non potest, si ad simplicitatem narrationis attendamus: sed solum serpentem hancce tragoediam lusisse, nemo a se impetrabit, ut credat: verba ab Eva percipienda locutus fuit, imo callida ratiocinia proposuit circa veram supremi Legislatoris mentem; spiritus igitur rationalis, sed malae indolis atque invidiae plenus in corpore serpentis habitavit. Licet autem omnes circumstantias hujus seductionis non enarraverit Moses; licet ignoremus modum, quo spiritus ille organa serpentis, in usus suos adhibuerit, utut loquelae non destinata; licet denique Evae (quae forte a cognitione animalium hactenus parum erat instructa) mirum videri potuisset, animal reptile sermones edere, omne tamen dubium tollitur, si respiciamus ad 2 Cor. *XI:* 3. *ubi dicitur,* Serpentem Evam sua calliditate decepisse, *quod de Serpente proprio sensu sumto intelligi nequit; neque etiam capi potest secundum mentem* Bekkeri *Lib.* 2. *Cap.* 19. *statuentis, Diabolum penitus absuisse, si praesertim hicce locus conferatur cum* Apoc. *XII:* 9. *Dicere tamen non licet cum Cl.* Ode *de Angelis Sect.* 4. *Cap.* 3. *pag.* 543. Bekkerum conquisivisse undique levis momenti rationes, & ineptas cavillationes, ut Diabolum ab hoc negotio excludat; *cum restent nodi vindice digni, qui saltem omnes a diligentissimo Angelographo non fuerunt soluti, nec forte ab iis, quos copiosissime laudavit, aut refutare studuit.*

(326) *Nemo, ut confido, exspectabit, ut me immisceam quaestionibus exegeticis; Angelos fuisse, non homines, aut Prophetas, plerique concedunt; an tres Deitatis Personae apparuerint, an vero inter eos duo Angeli creati, disputatur inter Theologos; quam litem meam esse nolo. Videtur tamen unum prae reliquis duobus eminuisse, ac nomine insigniri, quod soli Deo competit; & non omnes Trinitatis personas eo tempore in Terris fuisse versatas, satis liquet ex* Gen. *XIX:* 24. *&* 25. *Ipse autem locus a Cl.* Buddeo *allatus,* (Heb. *XIII:* 2.), *sive de* Abrahamo *intelligatur, sive de* Lotho, *sive etiam de utroque, respicere non potest* tres Personas, *quum Patri adtribui nequeat nomen* Angeli. *Nulla vero fuisset efficacia ratiocinii Paulini, si per* Angelos *intelligere velimus Legatos, aut Prophetas, uti ipse notavit Cl. Auctor; imo sic inter* homines *unus fuisset, qui nomen gereret penitus divinum, quod nunquam entibus creatis conceditur. Vid. de celebri hacce Historia Cl.* Ode *l. c. pag.* 1005. *seqq.* van der Waeyen *de Betoverde Weereld onderzogt en wederlegt* §. 750. *seq. p.* 285. *seq.*

(327) *Si quis sibi de eo persuadere possit, Angelum Ductorem Gentis Israeliticae per desertum a columna nubis & ignis non esse distinguendum, inspiciat tantum Exod. XXIII:* 21. *&* 22. *Cap. XXIV:* 1. *coll.* 10. *&*

16. *erat Angelus ductor (qui secunda Trinitatis Persona fuisse videtur)* in *columna illa*, & per eam *repraesentabatur; cum plurimae ab Emblematicis memorantur convenientiae inter hanc columnam & inter Christum, quarum forte nonnullae longius sunt quaesitae. Sed falcem in alterius messem immittere non amo.*

(328) *Spectrum hocce* Endoraeum *pluribus litibus ansam praebuit, quas memorasse hujus non est loci: quaestio tantum in eo versatur*, an hoc per artes Diabolicas apparuerit; *ita ut exinde concludere liceat contra* Bekkerum (*quem hic praesertim Cl.* Buddeus, *extra oleas paululum vagatus, respicit*) *Diabolum suis operationibus in hisce terris tragoedias eas ludere, quae ipsi adscribuntur a plerisque.* Bekkerus *existimat, nihil hic enarrari, praeter callidae mulieris artificia* (*Lib.* 2. *Cap.* 23.). *Samuelem ipsum non fuisse* (*uti falso perhibet spectrum*) *satis ex circumstantiis liquet, cum exprobret Sauli ea tantum, quae minus atrocia erant facinora, silentio premens magis clamantia, atque inter ea hoc ipsum confugium ad artes Magicas. Praeterea ex* Jes. *LVII:* 2. Luc. *XVI:* 25. Apoc. *XIV:* 13. *aliisque locis satis manifestum fit, piis animabus metuendum non esse, ne ex quiete sua artibus impiis evocentur, aut* commoveantur, *uti hic quaeritur Samuel: an credibile est, earum tranquillitatem pendere a perditissimis hominibus; ita ut invitae etiam apparere cogantur & sese unire cum conspicuo corpore. Quin imo, si* Samuel *hic apparuisset, vel falsus fuisset Propheta, praenuntians, Saulem crastino die moriturum; vel, si* מחר *denotat* tempus futurum, sed non definitum, *nimium vaga est praedictio, & virum divino spiritu adflatum non decens. Si Diabolus ipse hic adfuisset, Saulem non culpasset, eidemque exprobrasset sua crimina; imo rerum futurarum deberet esse gnarus, si veri nominis vaticinium hic edidisset, ubi Deus ipse Sauli respondere recusabat. Conf.* Serces *Traité sur les Miracles pag.* 203-229. & Turretin *Diss. Theol. vol.* 2. *pag.* 358-364. *seqq. Verum cum nihil occurrat in tota narratione, quod Samuelem a Saule fuisse visum indicat, an non totam apparationem fingere potuit callida mulier, vocemque Samuelis imitari, dum humi prostratus erat Saul, vel saltem caput inclinaverat?*

(329) *Ad §. seq. demum disquirere licebit, an solus Deus miracula facere possit, & an Magi Aegyptiaci aliquid praestiterint Diaboli auxilio, quod vires humanas superabat, imo quod leges, secundum quas corporearum rerum universitas ordinario regitur, non sequebatur; sive an fuerit effectus supranaturalis ex causarum secundarum operatione non oriundus, sed ab ipso Deo productus, si haec foret vera miraculi definitio. In genere heic loci notandum, sine ulla ratione Cl. Auctorem*

rem conjicere, Diabolum ſumma celeritate corpus aliquod ex aere formare poſſe, aut ipſo facto ad petitionem Magorum coram Pharaone formaſſe, quod inſtar Serpentis eſſet. *Si* verus *fuerit Serpens, Diabolus ex incondita materia, ex aëre, qui ſua elaſticitate corpori ſolido conſtituendo ineptus videtur, formavit corpus organicum ſimulque annihilavit baculum, quod utrumque veri nominis miraculum involveret; ſi ſerpens fuit* apparens, *ad miraculum a Diabolo patratum confugiendi nulla datur neceſſitas. Probabilior eſt ſententia* Moshemii *ad* Cudworth. *pag.* 871. *judicantis, Daemones quosdam Magis adſtitiſſe, & ſublatis repente baculis, Serpentes, quorum ingens erat in Aegypto copia, in medium projeciſſe. Meras fuiſſe fraudes atque dextre parata artificia, non credit* Moshemius, *quia Moſes haud melius ſibi & cauſae, quam tuebatur, Dei conſulere potuiſſet, quam ſi fraudulentis & callidis hominibus iſtis ſpeciem ſuam detraxiſſet, arcanaque eorum ſcelera & flagitia Pharaoni omnibusque Aegyptiis aperuiſſet. Verum, ſi Dei Moſisque propoſitum hactenus fuiſſet, confundere Magos, & oculos Pharaonis aperire, potuiſſet facili negotio manifeſtare, quanta eſſet differentia inter veri nominis miracula & inter ludibria Magorum, qui non propria vi, ſed per & poſt* incantationes *ſuas aliquod ſimulacrum miraculi oſtendere potuerunt; adeoque licet non negem, artes Diabolicas hic adfuiſſe, ratiocinium* Moshemii *nimium probare videtur, cum ſecundum illud Moſes melius conſuluiſſet cauſae Dei, ſi Pharaoni demta fuiſſet anſa cor ſuum indurandi; atqui Regem huncce hactenus nolebat Deus retinere, ut potentiam juſtitiamque ſuam monſtraret, educendo Gentem Iſraeliticam, & necando ejus oppreſſores. Imo ſi Diaboli artes, miranda ſpectacula praebentes, hic interfuerint, hactenus non adeo culpabilis videtur Rex Idololatricus educationis praejudiciis occoecatus, quod ſuſpenſum tenuerit animum ſuum, conſpiciens facta humanas vires ſuperantia ab utraque parte. Et tamen vix credibile eſt, meras fuiſſe fraudes ac callida artificia dexteritati manuum tantum debita; cum Magos pingere non concedatur, tanquam nugaces Agyrtas; & ipſi Aegyptii erant ſcientiis & artibus inſignes, quos fallere non adeo facile licebat. Quin imo! ſi dexteritas ſola rem confeciſſet, cur non etiam pediculos ex terrae pulvere produxiſſent, cum haecce fraus omnium videtur facillima fuiſſe.*

(330) Bekkerus *Lib.* 2. *Cap.* 28. *nequaquam huncce locum recte interpretatur, acſi verba eſſent intelligenda ſecundum ſubjectam materiam, & acſi tota illa obſeſſio fuiſſet depravatae imaginationis luſus in homine maniaco; imo absque fundamento ſupponit, Daemonas petiiſſe, ut in porcorum gregem immigrarent*, ut differretur aliquantulum ipſorum deſcenſus verſus inferos; *potius dicendum foret, iſtius petitionis ratio-*

rationem hanc fuiſſe, ut ſuam malitiam exercere pergerent contra iſtius regionis incolas. An autem illi daemones, qui, ſecundum expreſſam omnique dubio carentem narrationem Euangeliſtae, ingreſſi erant obſeſſum, hoc eſt, ex mente Bekkeri, *morbi illi, qui antea erant in Melancholico vel Maniaco, occuparunt porcos? an & hi melancholici evaſerunt? ſic* Bekkerus *oblitus fuiſſet principiorum, quae a* Carteſio *didicerat, cum in Machinis brutis, ſenſu & perceptione carentibus, Mania, vel morbus Melancholicus locum non inveniat.*

(331) *Conf. ea, quae notavi ad Cap. V.* §. 7. n. 206.

(332) *Non video, quo modo* πρῶτον ψεῦδος *eorum, qui, ſpiritum in corpora agere poſſe, negant, dici queat opinio, acſi eſſentia ejus conſiſteret in cogitandi actuoſitate. Equidem erronea penitus eſt haecce ſententia, cum eſſentia rei, quae conſtans & ſtabilis eſſe debet, conſiſtere non poſſit in continua ſerie accidentium; cumque vel ſolius memoriae conſideratio manifeſtum reddat, praeſentem cogitationem non poſſe eſſe ſubjectum, ſive ſedem innumerarum idearum, quae in mente deliteſcunt, in ejus ſinu modo nobis incognito reponuntur, & exinde reproducuntur per memoriam. Attamen ens illud cogitando actuoſum eſt ſpirituale, ſimplex, atque ab omni extenſione & materia longe remotum: hoc aeque agnoſcunt illi, qui intimam mentis eſſentiam nobis incognitam eſſe cenſent, ac qui temere nimium, eandem in* τῷ *cogitare, in perpetua cogitandi actuoſitate, vel in perpetua cogitationum ſucceſſione repoſitam eſſe, ſtatuunt. Haec nunc fatetur ipſe Cl.* Buddeus *(an ſemper id agnoverit, disquiſivimus ſupra n. 260. ſeqq.); atqui difficultas (ſi ſit difficultas veri nominis) in utraque ſententia manet eadem, ſi eadem admittatur ſimplicitas mentis ejusque immaterialitas: nihil ad rem facit, an ejus eſſentiam intimam & totalem habeamus exploratam; ſufficit, ſi ens ſimplex & incorporeum agere non poſſit in corpus; neque* Bekkerus *aliam foviſſet ſententiam, ſaltem aliam fovere ipſi non fuiſſet neceſſe, licet mentis eſſentiam, more Carteſiano, in cogitatione non quaeſiviſſet. Poſſunt ſpiritibus aliae competere proprietates, praeter cogitationem, ſeu cogitandi facultatem, (uti obſervat Cl.* Buddeus *in Elem. Phil. Theor. Tom. 2. p. 346.) ſed inter illas nullae poſſunt dari, quae cum ſimplicitate & immaterialitate pugnant; atqui inter haſce, ex mente* Bekkeri, *datur facultas operandi in corpora. Praeriperetur hocce effugium, ſi mens noſtra certo certius ageret in corpus ſuum, quod confeſtim disquiremus: ſic enim ab ignorantia modi ad negationem rei, aliunde, & quidem per indubiam experientiam certae, concludere non liceret.*

(333) *Exciperet forte* Bekkerus, *temere hic supponi*, mentem noſtram agere in corpus; *experientia docet* ad *voluntatem noſtram moveri determinata corporis noſtri membra; non vero certum eſt, illud fieri* per *voluntatem mentis:* ex concomitantia, *uti loquuntur Leibnitiani*, concludere non licet ad cauſalitatem, *quod axioma, ſive verum, ſive ſpurium, ſummopere urſit* Bulffingerus (*de Harmonia Praeſtabilita* §. 27. *ſeq.*) *contra ſyſtema influxus Phyſici: idque jam ante eum notaverat* Geulinx (*Ethic. Tract.* 1. *Sect.* 2. §. 2. *no.* 7.) *atque illuſtraverat exemplo Infantis in cunis jacentis; ſi hic agitari velit cunas, agitantur, non* per *voluntatem, ſed* ad *voluntatem Infantis, a cauſa externa, a matre, ſcilicet, vel nutrice, quae cunis adſidet. Neſcimis autem non tantum*, quomodo *mens noſtra agat in corpus, ſed* an *agat in illud; & tamen videtur, mentem noſtram, ſubſtantiam ſui ſuarumque actionum conſciam, appercipere debere*, quod *agat in illud; e contrario non penitus abſurda eſt regula*, quod neſcimus, an & quo modo fiat, id non facimus ipſi; *jam vero mens nihil aliud experitur, quam quod* ad *ſuam voluntatem determinatum ſui corporis membrum determinato modo moveatur; nequaquam ſibi eſt conſcia*, ſe *ſpiritus animales (ſi qui dentur) in muſculos immittere, quia ſic ipſa determinatum aliquem muſculum ex pluribus aliis deberet ſeligere, quo utatur; cum ne ſummus quidem Anatomicus per conſcientiam ſuam detegat, ſe in hac parte ſua ſcientiâ juvari, ſeque determinatos illos muſculos, quos ſolos motui determinato producendo aptos novit, inflare prae omnibus aliis; hic Anatomiae imperitus, qui ne fando quidem aliquid audivit de interiori corporis fabrica, cum dexterrimo Phyſiologo paria praeſtet, imo majora. Videtur quidem regulam, quam modo dedi, fallacem eſſe, cum mens noſtra in ſinu ſuo innumeras ideas reponat, eaſdemque, ſi libuerit, reproducat per Memoriam, licet neſciat*, quo modo id fiat; *verum hic mens magis certa eſt*, an *ideas illas reproducat, tantum agitur de* modo, *quo illud facit; cum in ſyſtemate influxus Phyſici ignoretur*, an *&* quo modo *mens in corpus agat, motus excitando, vel jam excitatos dirigendo; primum de exiſtentia alicujus Phaenomeni certi eſſe debemus, antequam de modo, quo producitur, ſimus ſolliciti. Neque de ſyſtemate influxus Phyſici usque adeo perſuaſus fuit viſus ipſe Cl. Auctor in Elem. Phil. Theor. Tom.* 2. *pag.* 116. *ſeqq. Haec vero ne ita accipiantur, acſi rejicerem penitus hocce ſyſtema; e contrario illud reliquis duobus praeferendum eſſe puto; aſt ſincerus veritatis amor difficultates, quibus premitur, diſſimulare non ſinit; aliae, ſed minoris momenti potuiſſent adjici: verum de conjunctione mentis cum corpore ex profeſſo non agimus; ſufficit notaſſe, argumentum hocce contra* Bekkerum, *a cujus ſententia ſum alieniſſimus, non admodum eſſe*

 apo-

apodicticum, cum hypothesi nitatur, de cujus valore ipse Cl. Buddeus *non penitus aliquando fuit persuasus.*

§. IV.

Vaticinia, seu praedictiones futurorum, & quidem contingentium dari, exempla certissima, & quae exceptionem non admittunt, evidenter probant. Eas vero qui aut finitis creatisve spiritibus tribuunt, aut a naturali aliqua omnibusque hominibus insita facultate derivant, nihil aliud agunt, quam ut limites intellectus finiti se prorsus ignorare demonstrent, irritove & inani conatu causam quaerant, cujus vim effectus multis modis superat. Relinquitur itaque, & agnoscendas futurarum fortuitarumque rerum praedictiones, & soli Deo, ceu vero & unico earum auctori, tribuendas esse. *

* Ut erroribus Atheorum aliorumque hominum profanorum de vaticiniis, rerumque futurarum praedictionibus, eo rectius obviam eamus, duo nobis evincenda sunt; alterum, dari omnino vaticinia seu rerum futurarum, & quidem fortuitarum, seu contingentium praedictiones; alterum, eas a nulla facultate hominis naturali, nullove spiritu creato proficisci posse, sed soli Deo tribuendas esse. Ad prius itaque quod attinet, provocabo nunc ad ipsum veterum Philosophorum consensum, qui omnes, a Xenophane saltem & Epicuro si discesseris, futurarum rerum praedictiones admiserunt, uti supra ad *cap. III. §. IV.* observavimus; nec ea, quae veterum recentiorumque historicorum monumenta suppeditant, nunc commemorabo. (334) Iis saltem, quae certa & explorata sunt, insistam. Tametsi enim Athei, quibuscum nobis hic praecipue res est, divinam Scripturae sacrae auctoritatem non admittant, non tamen negare audebunt, Prophetarum quemque eo vixisse tempore, quo vixisse perhibetur. Quodsi ergo constet, ea, quae praedixit, longo demum post eam, qua vixit, aetatem contigisse, vaticiniisque ejus accurate respondisse eventum, nullum amplius de ipsis vaticiniis seu praedictionibus superesit dubium. (335) Sic Esaiam vatem, eo tempore, quo Hiskias rex rerum apud Judaeos potitus est, vixisse, ne impudentissimus quidem Atheorum negaverit. Hic vero, ut plurima alia, quibus post multa demum secula accurate

eventus

eventus respondit, praedixit, ita illud cumprimis, a Cores seu Cyro Persarum rege solutum iri captivitatem Babylonicam *Esa. XLIV:* 28. *XLV:* 1. Hoc vero cum liberrime fecerit Cyrus, haud dubio futurum contingens erat. Esaias autem tanto temporis ante acti spatio non tantum hoc praedixit, sed ita praedixit, ut nomen quoque regis exprimeret, qui nondum natus erat, immo quem nasciturum nemo mortalium scire aut cognoscere poterat. Idem de Daniele vate censendum. Hunc enim circa finem imperii Babylonici, & initium Persici, vixisse, adeo verum est, ut nec perditissimum Atheorum id vocaturum in dubium existimem. Quod vero PORPHYRIUS, juratus Christiani nominis hostis, autumavit, librum Danielis, Antiochi Epiphanis aevo, a quodam in Judaea fuisse compositum, argumento est, de veritate vaticiniorum Danielis adeo eum fuisse convictum, ut, ne Divinam libri istius auctoritatem agnoscere cogeretur, non aliter, quam per illepidum ejusmodi & inficetum figmentum inde se expedire potuerit. Tantum itaque abest, ut nostrae hoc noceat causae, ut novum potius eidem robur conciliet, uti jam a me ostensum, in *dissertat. de veritate Christ. relig. Philosophor. gentil. obtrectationib. confirmata*, §. *IX.* in *syntagm. dissertation. Theologic. pag.* 491. (336) Addo his Prophetam, Prophetis omnibus, qui unquam extiterunt, longe majorem, ipsum Christum servatorem nostrum. Eum sub Augusto imperatore natum, sub Tiberio cruci adfixum, mortuumque esse, nec Spinoza negat, nec ullus Atheorum negare poterit. Non minus tamen & illud extra controversiam positum, inter alia de Hierosolymitanae urbis templique devastatione ejusmodi vaticinia eum edidisse, quae eventus accuratissime comprobavit. Ista autem quis praevidere poterat, nisi aut Deus ipse, aut qui a Deo ea accepisset? Ut enim mere fortuita fuere, ita longo satis post praedictionem contigerunt tempore. Atque haec cum istud, quod nobis probandum erat, extra controversiam ponant; ita ea, quae contra praedictiones ejusmodi Epicuraei urgent, non adeo magni sunt momenti. Dum enim ideo eas negant, quod Deus rerum hujus mundi nullam curam gerat, ex uno errore alium colligunt, ponuntque ceu evictum, quod a nobis jam est profligatum. Immo invertere quodammodo argumentum licet, rationesque ita subducere: cum rerum hujus mundi, hominum praecipue, curam Deus gerat, verosimile prorsus esse, eum hominum, piorum praesertim & virtuti deditorum causa, quandoque futura revelare, ut sciant, quid fugere ac evitare, quid contra consectari atque eligere, debeant, ut intuitu eorum, quae eventura sunt, rebus suis consulere queant. Nec majoris momenti est, quod iidem contendunt, cum nulli dentur spiritus, qui futura nobis revelare queant, nullas quoque dari rerum futurarum praedictiones. Praeterquam enim, quod perperam iterum ceu certum ponunt, quod a nobis non conceditur, nullos dari spiritus

creatos, nos etiam praedictiones futurorum non a spiritibus creatis, sed ab ipso Deo proficisci, asserimus. Sermo enim nobis est de futuris contingentibus, quorum praevisio uti in solum Deum cadit, ita spiritibus creatis non magis tribui potest, quam hominibus ipsis. Dum vero, quidquid de praedictionibus, oraculis, vaticiniis dicitur, inter aniles fabulas, figmenta & imposturas hominum referunt, summae praecipitantiae & temeritatis, quocum vera sapientia minime convenit, se reos esse, ipsimet demonstrant. Nimirum, positum hoc in more est quibusdam Philosophis, sed Philosophorum nomine parum dignis, ut systematis cujusdam, quod semel amplexi sunt, amore excoecati, quicquid ex suis principiis explicare nequeunt, statim, ceu fabulosum, fictitium, & merum commentum, rejiciant. Quae tamen non ad indagandam, sed ad opprimendam veritatem rectissima via est. Nos antea jam exemplis ejusmodi, quae ipsi Athei negare nequeunt, probavimus, praedictiones rerum futurarum dari. Quod autem ad praedictiones, vaticinia, & oracula, quae inter gentiles fuerunt, attinet, non equidem negamus, fraudes, imposturas, figmenta in hisce intercessisse; quaedam tamen ita comparata fuisse, ut cognitionem humana majorem nemo non in iis admittere debeat, jam supra ad *cap. III.* §. *IV.* observavimus. Qui enim per oracula quandoque responsa dabant daemones, etsi ipsimet futurorum contingentium ignari, talia tamen praevidere subinde, & ex certis causis colligere poterant, quae vim humani intellectus longissime superabant. Ultimum itaque, idque praecipuum saltem superest dubium, an praedictio, adeoque & praevisio futurorum contingentium cum libertate hominis conciliari queat? Scopulus sane hicce est, ad quem plurimi naufragium fecerunt, mox ad unum, mox ad alterum extremum declinando. Nonnulli namque ex decretis Dei absolutis cuncta, quae fiunt, derivantes, Deum quidem futura praevidere, concedunt, sed hoc ipso, ea contingentia esse negant, eo quod propter decretum Numinis non possint non fieri. Alii autem, ut hominum libertati consulant, nec contingentiam tollant, negant, Deum praevidere res mere contingentes posse; adeoque & juxta eosdem futurorum contingentium praedictio nulla erit. (337) Eorum, qui SOCINI castra sequuntur, hanc esse sententiam notum est, idque vel ex JOANNE CRELLIO constat, de *Deo & attribut. div. cap. XXIV.* In eandem nuper ingressus est vir quidam doctus, cujus hac de re extat meditatio *dans l'histoire critique de la republique des lettres, tom. VII. artic. IV. pag.* 131. *seqq.* Cum enim tum illorum sententiam, qui omnia ex decretis divinis derivant, tum eorum, qui libertatem hominum cum praescientia contingentium conciliari posse existimant, rejecisset, ipse quidem, Deum futura contingentia eatenus saltem praevidere, contendit, quatenus ex certis causis cognosci possunt. Cumque homines rerum usu pollentes, & insigni

pru-

prudentia instructi, multarum actionum eventus futuros praevidere queant, Deum quidem, cujus cognitio multis modis perfectior sit, quam hominum, longe plura hac ratione praevidere posse, & quidem talia, in quibus sagacissimi mortalium causas, ut pote latentes, perspicere nequeunt. Quodsi ergo regeras, hoc modo praescientiam divinam futurorum contingentium ad meras conjecturas redire, respondet, cum Deus causas & principia, ex quibus hominum actiones processurae sint, certo sciat, certam quoque, & neutiquam mere conjecturalem hanc ejus esse praescientiam. Cum vero facile videat, vaticinia & praedictiones, quarum tot exempla Scriptura sacra exhibet, huic vel maxime obstare sententiae, in eo totus est, ut ostendat, ea ita comparata esse, ut Deus ex certis causis ea eventura cognoscere potuerit, quae evenerunt. Quod quam infeliciter auctori cedat, ipsa haec ejus commentatio quemlibet facile condocebit. Rectius itaque sibi consulunt, & tutius incedunt, qui, evitatis duobus hisce extremis, mediam viam eligunt. Qui enim ex decretis divinis cuncta derivant, ut hominem omni libertate spoliant, ita non possunt non Deum tandem omnium prave actorum causam auctoremque facere, quicquid etiam dicant, aut in quamcunque se vertant partem. Quod ut plane impium est, ita, qui ista praecipitia caute non evitant, absona deinde quaevis atque inepta admittere tenentur. Qui vero praescientiam futurorum contingentium Deo abjudicant, infinitae ejus perfectioni nimium quantum detrahunt; immo palam in eum injurii sunt characterem istum luculentissimum divinitatis, quo Deus vel maxime ab idolis vult discerni, *Esa. XLIII:* 12. *XLIV:* 7. ei adimentes. Quod si non aliter, quam per causas aut signa Deus futura cognoscit, non multum sane perfectior erit ejus intellectus, quam hominis aut angeli. Sed ipsa vaticiniorum exempla haec commenta evidentissime refellunt. Cum enim Deus fata gentis Israeliticae in Aegypto, dudum antea ipsi Abrahamo indicavit; cum captivitatem Babylonicam, & post LXX. annorum decursum, ex ea liberationem, eo tempore praenuntiavit, cum nemo mortalium, hoc ulla ratione fieri posse, sibi persuaderet; cum, quae circa nativitatem, mortem & resurrectionem Christi contigerunt, multis antea seculis, quam haec fierent, praedixit; causas istas atque signa scire vellem, ex quibus Deus talia cognoscere potuerit. In omnem equidem hic se versat partem auctor antea laudatus, sed aut meras ineptias profert, aut eo tandem cuncta redeunt, Deum hoc aut illud decrevisse, itemque, intellectum divinum perfectiorem esse humano. Sed dum ipse sententiam illorum, qui praescientiam Dei ex ejus decretis derivant, rejecisset, parum profecto sibi constat, dum nihilominus ipse ad decreta recurrit. Intellectum divinum humano longe perfectiorem esse, lubentes concedimus, sed hoc auctorem parum juvat, qui causas aut signa adferre de-

bet, ex quibus Deus futura cognoſcat, aut concedere, Deum etiam futura contingentia, qua talia, praevidere & praedicere poſſe. Et hoc quidem eſt, quod nos aſſerimus, media ita via inter duo iſta extrema incedentes. Primo namque hoc requirit infinita ſcientiae divinae perfectio. Deinde, exempla vaticiniorum & praedictionum, quae in Scriptura ſacra extant, hoc luculenter confirmant. Nec obſtat hoc libertati hominis: cognitionem enim atque praeviſionem rerum, cum illarum exiſtentia aut productione, nullum habere nexum neceſſarium, vel humanae cognitionis exemplo condiſcimus. Objicit equidem auctor antea laudatus, infinitatem ſcientiae divinae non eſſe extendendam ad contradictioria. Contradictionem autem involvere, ſi dicam, contingentia certo fieri poſſe. Quod enim certo non ſit exiturum, hoc etiam non poſſe certo ſciri. Certo autem ſi exiturum eſt, non erit contingens. Verum non hodie demum, aut nudius tertius, ſed jampridem omniſcientiae divinae hoſtes hunc nodum conſtrinxerunt. Sed nihil efficiunt, ſiquidem id, quod ratione cauſae, quatenus libere agere poteſt, contingens, adeoque incertum & indeterminatum, eſt, poſita hac vel illa cauſae actione, ceu certum & determinatum ſpectari, & eo modo certo ab intellectu infinito cognoſci poteſt. Quod itaque id, quod revera contingens eſt, ut certum ſpectari poſſit, non a praeſcientia divina oritur, ſed a certa conditione, poſita ſcilicet certa cauſae actione, ex qua effectus hicce oritur. (338) Et ita quidem cum ſatis evictum ſit, dari praedictiones futurorum, ad alterum diſceptationis noſtrae caput progredimur, eas ſoli Deo tribuendas eſſe. Enim vero nec homini, nec ulli ſpiritui creato, facultatem futura contingentia praedicendi ineſſe, vel inde patet, quod nullo modo concipi queat, quo pacto intellectus finitus aliquid ſine ſignis cognoſcere queat. Futurorum autem contingentium cum nulla plane ſigna ſint, manifeſtum eſt, quod nulla ratione ab intellectu finito cognoſci poſſint. Nec eſt, quod excipias, etſi modum ignoremus, ideo rem ipſam non poſſe vocari in dubium. Id enim valeret, ſi res ipſa poſita eſſet extra controverſiam. Hoc vero cum factum non ſit, nec fieri queat, firmo ratiocinatio noſtra ſtat talo. (339) Accedit, quod non tantum Scriptura ſacra teſtetur, ſolius Dei eſſe, praedicere futura, ut jam antea oſtendimus, ſed quod ex ipſis Ethnicis nonnulli hoc agnoverint, quorum hac de re teſtimonia laudavi, in *diſſertat. an homines naturali polleant vaticinandi facultate?* §. *XXII.* ubi & §. *XXIII.* ad rationes ab AMMONIO in contrarium allatas, & a PETRO PETITO uberius explanatas, reſpondi. Non magis vero & illorum admittenda eſt ſententia, qui naturalem quandam ad vaticinandum diſpoſitionem homini tribuunt; cujus ſententiae patrocinium magno conatu, nec ſine adparatu eruditionis ſingulari, in ſe ſuſcepiſſe PETRUM PETITUM, ſupra ad *cap. III.* §. *IV.* docuimus. Hanc vero diſpoſitionem naturalem ad

influ-

influxum divinum recipiendum in mentis praecipue ſublimitate conſtituit, ad quam quidem, ceu cauſae adjuvantes, accedant, temperamentum melancholicum, poſitus ſiderum, hauſtus halitus ſubterranei, aliaeque. (340) Licet vero & BENEDICTUS DE SPINOZA ad vaticinia diſpoſitionem naturalem requirat, differt tamen ejus ſententia a ſententia PETITI, ſiquidem illius eo tandem redit, Prophetiam merae imaginationis effectum eſſe, cum PETITUS contra influxum quendam divinum requirat, ſaltem requirere videatur. Interim nec haec ullo modo admitti ſententia poteſt. Quid enim mentis ſublimitas naturalis ad influxum divinum recipiendum faciat, nulla, ne probabili quidem, ratione oſtendi poteſt. Immo plures fuere inter Prophetas veteris teſtamenti, in quibus naturalem iſtam mentis ſublimitatem agnoſcere non licet. Multo vero minus, quid aut temperamentum melancholicum, aut poſitus ſiderum, aut hauſtus halitus ſubterranei huc conferant, explicari ſolide poteſt. Ad rationes, pro iſta ſententia ſtabilienda in medium adferri ſolent, haud difficulter reſpondere licet. Quod enim de praeparatione ad vaticinandum, ſeu influxum divinum recipiendum, dicitur, qua Prophetae olim uſi ſint, id vero caute & cum grano ſalis intelligendum eſt. Erant ſane in gente Ebraea ſcholae, ſeu ſocietates quaedam, in quibus Propheta aliquis ceu magiſter, vel praefectus, reliquis praeerat; a quo qui inſtituebantur, בני־הנביאים *filii Prophetarum* dicebantur. Sed probe obſervandum, *Prophetarum* nomine eos olim veniſſe, qui rerum divinarum erant periti, ut de iis verba ad alios facere poſſent, ſimulque Canticis ſacris atque Pſalmis laudes divinas celebrare, ſuarum ducebant eſſe partium, adeoque & muſices periti erant; conf. 1 *Sam. X:* 7. Unde, quo pacto diſcipuli iſti atque filii Prophetarum in ſcholis iſtis inſtituti, & ad Prophetiam praeparati fuerint, conſtat, per doctrinae ſcilicet ſacrae communicationem, qua rerum divinarum notitia imbuebantur, tum & per preces, hymnos, ſimileſque exercitationes. Quod dum fiebat, contingebat interdum, ut motus extraordinarios Spiritus Sancti ſentirent, ut ex iis, quae de Saule 1 *Sam. X:* 5. *ſeqq. XIX:* 18. *ſeqq.* narrantur, liquet. Muſicam etiam inſtrumentalem cum Canticis ſacris ad animi adfectus aut ſedandos aut excitandos eos adhibuiſſe, tum aliunde conſtat, tum exemplum Eliſaei vatis 2 *Reg. III:* 15. nos dubitare non ſinit. Iſta vero praeparatio uti ſpiritualis erat, adeoque ad naturalem quandam animi diſpoſitionem producendam minime comparata; ita multo minus per ſe facultatem vaticinandi ſeu futura praedicendi, producebat, quam Deus potius liberrime mox huic, mox alii conferebat. Nec de omnibus ſane filiis Prophetarum dici poteſt, quod futura praedixerint; multo minus, quod per praeparationem iſtam hocce donum ſe impetrare poſſe exiſtimaverint. Erat enim hoc ejuſmodi, quod a ſola Numinis voluntate, non autem a praeparatione naturali, pendebat.

bat. Sed nec ex natura indoleque ſomniorum naturalis quaedam, ad vaticinandum, vel influxum divinum recipiendum, diſpoſitio probari poteſt. Cum enim, quae de eventu quodam futuro nos certiores reddunt, aut Deum, aut genium quendam, bonum vel malum auctorem habere queant, quid naturalis huc faciat diſpoſitio, non video. Nec etiam explicari poteſt, qualis illa diſpoſitio eſſe debeat, multo minus ratio dari, cur Deus aut genius aliquis citra certam diſpoſitionem ſomnium aliquod immittere nequeant. Occurrunt equidem quaedam circa ſomnia, quorum certam rationem reddere difficile fuerit, ſed ut ad ea ſolvenda hypotheſis de diſpoſitione certa, ad influxum aut Numinis aut genii recipiendum, non ſufficit, quae & ob rationes allatas admitti nequit, ita & in hiſce quaedam eſſe, quae noſtram cognitionem ſuperent, libere profiteri praeſtat. (341) De oraculis Gentilium jam antea dictum, in hiſce, praeter hominum impoſturas, infernalis genii operam interceſſiſſe. Nihil itaque inde pro naturali ad vaticinandum facultate elici poteſt. Idem & de Sybillis dicendum: quarum eo minus exemplum nobis opponi poteſt, quod, quae hodie Sybillis tribuuntur, oracula, conficta ab aliis & ſuppoſititia eſſe, jam pridem Viri doctiſſimi demonſtraverint. Sed de hiſce omnibus copioſius expoſui, in *diſſert.* citata, *an naturali homines polleant facultate vaticinandi?* §. *XXXII. & XXXIII.*

(334) *Vid. ea, quae ad memoratam ab Auctore* §. *IV. Capitis III. in genere notavi n.* 112. *ſeqq. Non certe aegre ferre licet, plurimos inter Gentiles, inſigniori attentione & mentis acumine oracula a Diis ſuis edita conſiderantes, Sacerdotum multiplices fraudes riſiſſe; fruſtra quippe in iſtis quaerebantur praecipui veri Vaticinii characteres, qui recte exprimuntur in Definitione* Witſii *Miſcell. Sacr. Tom.* 1. *pag. m.* 11. *ſeq. ſeu Lib.* 1. *Cap.* 2. §. 1. *ſecundum quam Prophetia, vel vaticinium eſt* cognitio & patefactio rerum arcanarum, tam praeteritarum & praeſentium, quam praeſertim futurarum, quas quis nec ex propria ſolertia, nec ex aliorum relatu & informatione, ſed ex coeleſti atque extraordinaria Dei revelatione novit. *Verſari proinde debet Vaticinium ſeu Prophetia ſtricte ſic dicta circa res* contingentes, *quae, antequam contingunt, ſciri non poſſunt ab ente intelligente finito. Conf.* Gurtlerus *in Syſt. Theol. Prophet. Cap.* 1. *Non igitur agitur de ſagacitate mentis longo rerum humanarum uſu limata, qua Politici praedicere norunt, per modum probabilis conjecturae, caſuum a libera ſaepe hominum voluntate pendentium exitum, quando ad ſimiles circumſtantias, quae ante obtinuerunt, attendunt, reſpiciuntque ad hiſtoriam cum naturalem, tum moralem humanae mentis; verum ubi veri nominis Prophetia obtinet, nihil conjecturale datur, & eventus pendet a talium circumſtantiarum*

rum concursu, quae praevideri non possunt, nisi ab Eo, qui totius Universi concatenationem ordinavit.

(335) *Licet ex illis praedictionibus, quae factae fuerunt diu ante illud tempus, quo res praenuntiata accidit, conclusiones manifestissimae deduci possint; attamen ad essentiam Prophetiae illud diuturnum intervallum non necessario requiritur, dummodo de talibus rebus agatur, quae a nullo ente finito possunt praevideri. Licet tempus, inter Jesaiae Prophetiam de Cyro (Cap. XLIV. & XLV.) & inter ipsam nativitatem istius Principis elapsum, duplo vel triplo fuisset brevius, tamen Prophetia fuisset, quae sine Entis omniscii operatione edi non potuit.*

(336) *Summa est* Porphyrii *ejusque sequacium impudentia; cum longe ante tempora* Antiochi Epiphanis *in Graecum sermonem fuerit translatus* Danielis *liber; &, si vera narraverit* Josephus *Hist. Jud. Lib. XI. Cap.* 8. *Pontifex Maximus* Jaddus *ipsi* Alexandro Magno *monstravit* Danielis *praedictionem de ipso manifestissime agentem. Neque vel minima adulteratio tolerata fuisset librorum sacrorum apud Judaeos, qui ad superstitionem usque curabant integritatem Scriptorum ad Canonem V. T. pertinentium. Vid.* Turretin *Diss. Theol. Vol. II. pag.* 107. *seqq. &* Stapfer *Theol. Polem. Tom. II. pag.* 1080-1085. *Sic temere loquitur* Spinosa *in Tract. Theol. Polit. Cap. X. pag.* 130. Daniells liber sine dubio ex Cap 8. ipsius Danielis scripta continet; undenam autem priora septem capita descripta fuerint, nescio. Possumus suspicari, quandoquidem, praeter primum, Chaldiace scripta sunt, ex Chaldaeorum Chronologiis. *Sed, si vel eo absurditatis procedere vellemus, ut totum hocce assertum* Spinosae *admittamus, omnia fere vaticinia continentur in Cap.* 8. *seqq. & sic nihil lucraretur homo impius, suisque ausis exciderent Revelationis, divinaeque praescientiae hostes.*

(337) *Supra* n. 334. *notavi, Prophetiam versari debere circa res* contingentes: *Astronomus enim Eclipsin Solis vel Lunae, aut reditum alicujus Cometae praedicens, non Prophetae agit partes, cum phaenomena haecce sint* Physice, *vel, uti alii loquuntur,* hypothetice necessaria, *in fixis & constantissimis legibus, quas Deus hujus Universi corporibus praescripsit, fundata; ita ut locum habere debeant, nisi regulae illae mutarentur, & sic subruerentur omnia fundamenta ratiocinii analogici. Res autem* contingentes *sunt,* quae sua natura ad existendum non determinatur; quae possunt esse & non esse; quae, si alio modo constituta supponantur, non involvunt repugnantiam; *quae & plures aliae definitiones reperiuntur apud* Bulffingerum *in*

Diluc. Philos. §. 42. *Hisce positis, res contingentes, actionesque liberae entium rationalium & decreto Dei sunt subjectae, & a Deo omniscio atque omnipotente & praesciri & praedici absque ulla laesione libertatis possunt, uti ab Ecclesiae nostrae Theologis est demonstratum. Praestabilivit E. Gr. Deus, praescivit & per Prophetam Jesaiam praenuntiavit, Cyrum, Persarum Regem, soluturum captivitatem Babylonicam, ac pretiosissima genti Israeliticae in restauratione templi Hierosolymitani praestiturum officia; sed voluit Deus ab omni aeternitate praescivitque, illum id facturum libere, sponte, rationibus determinantibus, eique de bonitate sui propositi persuadentibus, permotum. Actiones hae a* Cyro *patratae erant contingentes, quia, seposito Dei decreto, alio modo constitutae esse potuissent, nec ex essentia* Cyri, *sive ex natura mentis rationalis, in* Cyro *habitantis, profluebant necessitate absoluta, seu Metaphysica. Sed confundit Cl. Auctor varias necessitatis & contingentiae species, cum necessitas, quae ex Dei absoluto decreto nascitur, nequaquam repugnet contingentiae Metaphysicae, quae tantum necessitati Metaphysicae est adversa. Quid vero de divina omniscientia, immutabilitate, vita successionis omnis experte, & denique de independentia fieret, si, hominum actiones liberas a Deo non praevisas fuisse, statuere, Deoque* scientiam *quandam* mediam *cum Cl.* Buddeo *in Theol. Dogm. Lib.* 2. *Cap.* 2. §. 22. *aliisque tribuere vellemus? Conf. ea, quae in compendio exhibui in* Prim. lin. Theol. Nat. Theor. §. 77.

(338) *Sic Cl. Auctor & heic loci propugnat* decreta Dei conditionata, *quae tamen nodum, qui hic revera superest, solvere nequeunt: si certitudo eorum, quae contingentia sunt, non oriatur a praescientia divina (a qua etiam nos illam certitudinem non derivamus, verum a divino decreto, quo praescientia nititur nostro concipiendi modo) sed* a certa conditione; *positâ, scilicet, certa causae actione, ex qua effectus hicce oritur, quaeritur,* an illa conditio decreto Dei aeterno & immutabili sit definita, an vero minus? *Si eo non sit definita, tollitur Dei independentia, omniscientia, &c. atque ejus imperio subducuntur longe pleraeque hominum actiones, a quibus pendent momentosissimi eventus, imo scientia Dei evadit penitus conjecturalis; & licet haecce conjectura eo propior ad veritatem accedat, quo conjecturae auctor majori sagacitate & sapientia est conspicuus, atque adeo sapientissimi entis conjectura ipsam veritatem attingere debeat; manet tamen conjectura Dei independentiae adversa. Si vero & ipsa conditio, a qua illa certitudo rerum contingentium actionumque liberarum pendet, sit definita, nulla obtinet scientia media, nullum decretum vere conditionatum, ac per ambages itur, cum simpliciter dicendum sit, Deum ab omni aeternitate voluisse, ut conditio quaedam existeret,*

ut-

utque homo, in illa conditione positus, hanc vel illam actionem libere patraret. Agnosco, hic scrupulos remanere non facile eximendos, atque per ultimam analysin recurrendum esse ad responsum Pauli Rom. *IX: 19. seq. sed, si ab illis, quae proposui, placitis vel latum unguem recedamus, perit omnis divinarum perfectionum conceptus.*

(339) *Soli Deo rerum futurarum scientiam competere, Eumque solum futura praedicere, aut rerum futurarum notitiam entibus finitis concedere posse, manifestum redditur, si ad fundamentum hujus praescientiae attendamus, & conjecturas circa res actionesque contingentes, a callidis atque exercitatis hominibus aut etiam ab aliis intelligentiis finitis formatas, a veris vaticiniis distinguamus sollicite. Nititur praescientia (quae a scientia simplicis intelligentiae, circa res mere possibiles versata, nostro concipiendi modo differt) absoluto Dei decreto, per cujus conscientiam, quam solus habet, intime novit, quid futurum sit ex possibilibus, quid non futurum. Hanc igitur praescientiam nemo habere potest, nisi is, cui Deus ipse illam concessit, revelando id, quod futurum esse decrevit.*

(340) *Conf. ea, quae supra notavi ad Cap. III.* §. 4. n. 112.

(341) *Quia haec omnia Theologiam revelatam respiciunt, parumque faciunt ad refutationem dogmatum, quae cum Atheismo sunt conjuncta, abstineo ab eorum examine, falcem meam in messem Theologico-exegeticam immittere reformidans. Vid.* Witsius *l. c. Lib.* 1. *Cap. X. & XI.* Vitringa *in Typo Doctr. Proph. Cap. I. & II.* Gurtlerus *Syst. Theol. Prophet. Cap.* 1-3.

§. V.

Potentia Dei infinita & ad omnia, quae contradictionem non involvunt, sese extendens, nos nulla ratione, quin leges motus ab ipso constitutas iterum tollere atque suspendere possit, dubitare sinit. Id vero subinde ab eo factum, exempla certissima, & exceptionem non admittentia, testantur. Errant igitur, & falluntur magnopere, qui, miracula a Deo aut edi non posse, aut edita non fuisse, contendunt. *

* Ad duo etiam haec de miraculis disceptatio revocari capita potest, quorum alterum est: an & a quo miracula fieri queant? alterum: num miracula revera facta sint? Ad prius quod attinet: cum merito nunc ceu evictum ponamus, Deum existere, eundemque naturae auctorem esse; cum nemo etiam, qui Deum admittit, dubitet, eum infinita potentia esse praeditum; sequitur etiam, eum naturae leges, a se ipso constitutas, posse mutare, hoc est, miracula edere. Quae Atheorum princeps, BENEDICTUS DE SPINOZA hic in contrarium adferat, supra jam ad *cap. III.* §. *V.* indicavimus, atque rejecimus. Juvat tamen ad ea penitus confodienda nonnulla addere. Quod fundamenti loco ponit, *nihil contra naturam contingere, sed ipsam aeternum, fixum & immutabilem ordinem servare*, sua sponte corruit, cum per turpissimam principii petitionem supponat, quod minime evictum est, Deum & naturam esse unum idemque, uti jam *loc. cit.* observavimus. Loquitur equidem in asserti hujus probatione homo vaferrimus *de decretis divinis*, unde aliquis existimare posset, eum naturae ordinem ex libera Dei voluntate derivare. Sed mox, quid sibi velit, indicat, quando, *leges naturae universales mera esse decreta Dei*, asserit, *quae ex NECESSITATE & profectione naturae divinae sequuntur; tractat. Theolog. polit. cap. VI. pag.* 68, 69. Et paucis interjectis: *quicquid fit, per Dei voluntatem & aeternum decretum fit, hoc est, ut jam ostendimus, quicquid fit, id secundum leges ac regulas, quae AETERNAM NECESSITATEM & veritatem involvunt, fit, &c.* Atque hoc quidem ad fraudem ac fallaciam hominis detegendam, ipsumque ejus principium evertendum, sufficit. Ceterum si natura a Deo distinguatur, uti omnino distinguenda est, principium hoc, *nihil contra naturam fit*, tum demum admittendum, si addatur: *sine voluntate Creatoris.* Leges enim naturae a Deo semel stabilitae tamdiu firmiter persistunt, & mutari prorsus nequeunt, quamdiu ipse Deus, ceu naturae auctor, eas non tollit aut suspendit. Deum autem eas tollere aut suspendere non posse, si quis asserere vellet, illi simul admittendum esset, Deum nec naturae auctorem, nec omnipotentem esse, quorum utrumque absurdum est. Non minus inepte ac frivole agit, cum *nomen miraculi non nisi respective ad hominum opiniones posse intelligi*, pronuntiat, *& nihil aliud significare, quam opus, cujus causam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus, vel saltem ipse non potest, qui miraculum scribit & narrat.* Perinde enim hoc est, ac si rotunde dixisset, non dari miracula. Perperam vero itidem, & per ineptam principii petitionem supponit, nihil unquam, quod non causam naturalem habeat, contigisse, indeque concludit, eos, qui miracula credunt, nihil aliud agere, quam ut suam prodant ignorantiam, innuantque, se ejus, quod contigit, nescire rationem. Enim vero cum exempla in Scriptura prostent, quae doceant, talia contigisse, quae non

non tantum ex caufis naturalibus explicari nequeant, fed quae plane contra naturae ordinem funt, fruftra haec omnia dici, manifeftum eft. Non ignoro, quid ad haec exempla regerat; fed hac de re deinceps erit dicendi locus. Ut vero ex dictis liquet, miracula effe poffe, ita fimul a folo Deo ea edi poffe, palam eft. Solius enim Dei eft, leges naturae dare ac tollere, easdemque, fi ei vifum fuerit, fufpendere; quemadmodum itidem fupra *loc. cit.* copiofius jam haec explicavimus. Sequitur hinc fua fponte, ex miraculis firmiter exiftentiam Numinis demonftrari poffe: quod iterum negat SPINOZA, fed perperam. Omnia enim, quae hac de re adfert, fua fponte corruunt, cum jam demonftratum fit, poffe miracula edi, fed a folo Deo; & deinceps revera ejusmodi miracula dari, demonftrandum fit. Cum vero SPINOZA tanta fit impudentia, ut fuam fententiam ex ipfa Scriptura facra probare audeat, paucis ea diluemus. Quod enim Deum ex miraculis cognofcere nequeamus, inde probari poffe, putat, quod Mofes Prophetam feductorem, quamvis faciat miracula, non tamen admittendum, fed capitali adficiendum effe fupplicio, diferte fanciat, *Deut. XIII:* 1. *Ex quibus*, inquit, *clare fequitur, miracula a falfis etiam Prophetis poffe fieri, & homines, nifi Dei vera cognitione & amore probe fint muniti, aeque facile ex miraculis falfos deos, ac verum poffe amplecti. Nam addit:* כי מנסה יהוה אלהיכם אתכם וגוי *quoniam Jehova vefter Deus vos tentat, ut fciat, num eum amatis integro corde veftro & animo veftro.* Sed inde quoque hoc palam effe, exiftimat, quod Ifraëlitae ex tot miraculis nullum de Deo fanum conceptum fibi formare potuerint, cujus rei vel turpiffima illa μοσχολατρεία evidentiffimum argumentum praebeat. Afaphum praeterea, quamvis tot miracula audiviffet, de Dei tamen providentia dubitaffe, & fere a vera via deflexiffe, nifi tandem veram beatitudinem intellexiffet, *Pfalmo LXXIII:* 11. *feqq.* Immo ipfum Salomonem, cujus tempore res Judaeorum florentiffimae fuerint, fufpicatum, omnia cafu contingere, *Kohel. III:* 19, 20, 21. *IX:* 2, 3, *&c.* Verum haec omnia, fi paulo accuratius ea confideremus, nihil ad rem facere, deprehendemus. Ad legem enim Mofaicam quod attinet, non in ea dicitur, falfos etiam Prophetas poffe facere miracula, fed *figna* faltem atque *portenta* eis tribuuntur. Id autem facile concedimus, poffe falfos Prophetas per praeftigias aut humanas, aut Diabolicas, mirabilia perpetrare, quae ab imperitioribus pro miraculis habeantur, adeoque hoc fenfu figna atque portenta edere; fed inde non fequitur, eos poffe edere miracula, feu talia perpetrare, quae fublationem vel fufpenfionem legum naturae fupponunt. (342) Quo pacto autem mirabilia ejusmodi opera a veris miraculis difcerni queant, fupra jam ad *cap. III.* §. *V.* docuimus. (343) Non ergo negat Mofes, ex miraculis verum Deum agnofci poffe; fed non temere quibusvis fignis & portentis fidem adhibendam, praecipit,

cum pseudo - prophetae per praestigias talia efficere queant, idque permittente Deo, ut hominum obsequium exploret. Nimirum cum difficile interdum sit, mirabilia per praestigias effecta a miraculis discernere, certissimum tamen criterium, quo praestigiae dignoscuntur a veris miraculis, est, si, qui eas edit, homines a lege divina, verique Numinis cultu, iis abstrahere annititur. Hoc enim, ut pseudo - prophetam agnoscamus, sufficit; simulque certissimo documento est, quantumvis mirabilia sint, quae perperat, ea tamen non esse miracula. At Israëlitae, inquit, ex tot miraculis nullum de Deo sanum conceptum formare potuerunt. Sane Israëlitae, qui miracula a Mose perpetrata adspexerunt, inde plene convicti sunt, verum Deum coeli terraeque conditorem esse, qui per Mosen ad eos locutus est, ex Aegypto eos eduxit, legesque in monte Sinai tulit. Et hac de re nemo Israelitarum dubitavit. Quod vero in idololatriam deinceps lapsi sunt, ac vitulum Numinis loco adorarunt, ideo factum, quod existimaverint, se sub hocce Symbolo vel imagine, verum Deum colere posse. Hinc vero robori argumenti, quod a miraculis pro Dei existentia desumitur, nihil decedit, quippe quod praecipue ad existentiam Dei comprobandam comparatum est, quam omnino etiam ille supponit, qui erroneum de Deo conceptum sibi format, vel non ea ratione eum colit, qua coli debebat. Praeterea, de Asapho quod dicit, eum de providentia divina dubitasse, falsum est: namque hoc saltem asserit, posse ex felicitate impiorum dubium quidem aliquod oriri, sed hoc statim evanescere, si quis ad finem seu exitum eorum attendat, *Psalm. LXXIII:* 17. Salomoni denique summam injuriam SPINOZA facit, dum ea, quae ex mente sententiaque hominum profanorum dicit, ipsi Regi sapientissimo tribuit. (344) Atque hinc quidem patet, quam irrito conatu SPINOZA ostendere aggressus sit, ipsam Scripturam docere, ex miraculis Numinis existentiam cognosci non posse. Nec rectius procedunt, quae in medium adfert, ut ostendat, *ipsam Scripturam per Dei decreta & volitiones, & consequenter per providentiam nihil aliud intelligere, quam ipsum naturae ordinem, qui ex ejus aeternis legibus necessario sequitur.* Hoc enim si verum esset, nullum ex Scriptura probari posset miraculum. Ut vero hoc evincat, exempla quaedam profert: *In libro* 1 *Schamuelis*, inquit, *cap. IX: v.* 15, 16. *narratur, quod Deus Schamueli revelavit, se Saulum ad eum missurum, nec tamen Deus eum ad Schamuelem misit, ut homines solent aliquem ad alium mittere, sed haec Dei missio nihil aliud fuit, quam ipse naturae ordo; quaerebat nimirum Saul (ut in praedicto capite narratur) asinas, quas perdiderat; & jam absque iis domum redire deliberans, ex consilio sui famuli Schamuelem Prophetam adivit, ut ex eo sciret, ubi easdem invenire posset, nec ex tota narratione constat, Saulum aliud Dei mandatum, praeter hunc naturae ordinem habuisse, ut Schamuelem adiret.* Verum, quam frivola haec

haec ſint, nemo non intelligit. Etſi enim Deus aliquando naturae ordine uti videatur, non tamen iſte ordo naturae ſine ſingulari Numinis directione concipiendus eſt. Quae directio uti ab ipſo ordine naturae ſeu actione cauſarum ſecundarum diverſa eſt, & probe diſtinguenda, ita & decreta quoque divina & mandata ab eodem diverſa eſſe, manifeſtum eſt. Sane quod Saul, cum patris aſinas fruſtra quaeſiviſſet, jam domum reverti vellet, a famulo admonitus Samuelem Prophetam adiit, id quidem naturae quodam ordine contigit; nec tamen ſine ſingulari Numinis directione, qui ut reliqua ſic diſpoſuit, ut eodem tempore, quo volebat, evenirent, ita mentem famuli Saulis ea ratione direxit, ut ei conſilium de adeundo Samuele ſuppeditaret, & Saulis, ut conſilium hoc acceptaret. Qua de re eo minus dubitandum, quia Deus diſerte ad Samuelem dixerat, ſe Saulem ad illum miſſurum. Haec verba cum aperte actionem quandam Dei ſignificent, de ſolo ordine, ſeu eo, quod ſecundum naturae ordinem fieri poterat, ea capere, abſonum prorſus atque ineptum foret. Licet autem Deus naturae ordine quandoque utatur, ita quidem, ut liberrime & pro arbitrio cuncta dirigat, non tamen ſemper hoc facit, ſed quandoque ab eo diſcedit, aut illum plane immutat, ut in miraculis contingit; quae omnium evidentiſſime hanc impii hominis aſſertionem, *Dei decreta nihil aliud eſſe, quam naturae ordinem*, refellunt. Alterum vero, quo ſententiam ſuam comprobare annititur, exemplum, hoc eſt: *In Pſalm. CV. verſ.* 24. *dicitur; quod Deus Aegyptiorum animum mutavit, ut odio haberent Iſraëlitas, quae etiam mutatio naturalis plane fuit, ut patet ex cap. I. Exodi, ubi ratio non levis Aegyptiorum narratur, quae eos movit, Iſraëlitas ad ſervitutem redigere.* Plane ac ſi cauſae primae concurſus atque directio, cum cauſis ſecundis conſiſtere nequeat. In eo nimirum modus agendi ordinarius, quo Deus utitur, ab extraordinario, quorſum miracula pertinent, differt, quod in illo, cauſarum ſecundarum ordinem naturae utatur; in his autem eum ordinem non obſervet. Etſi enim in miraculis quandoque opera rerum creatarum utatur, non tamen hoc facit ſecundum ordinem naturae. Ordinarius vero ille agendi modus ſemper ſupponit concurſum, directionem & gubernationem ſingularem Numinis. Quare & cauſae iſtae odii Aegyptiorum erga Iſraëlitas *Exod. I.* commemoratae, locum habere potuerunt; & cum ſingularis in his omnibus ſimul interceſſerit Numinis directio, etiam *Pſalm. CV: verſ.* 24. dici potuit, Deum Aegyptiorum animos mutaſſe, hoc eſt, cuncta ita diſpoſuiſſe, & cauſas ſecundas direxiſſe, ut ea evenirent, quae eveniſſe Moſes memorat. Atque hinc, quid ad reliqua, ab eodem auctore allata, reſpondendum ſit, patet: ſunt enim cuncta ejuſdem generis. Supereſt, ut, quod alterum eſt noſtrae diſceptationis caput, paucis exequamur, &, cum hactenus oſtenſum ſit, miracula fieri poſſe, ea etiam facta eſſe, demonſtremus. Res autem

tem nobis non cum illis nunc erit, qui rejecta Scripturae auctoritate, quaecunque narrat, in dubium vocant, quorum impudentiam deinceps castigabimus, sed cum illis, qui Scripturam ita interpretantur, ne miracula ulla admittere cogantur: quod quam infeliciter illis cedat, vel paucis quibusdam exemplis declarabimus, quae ipse iterum SPINOZA nobis suppeditat. Is vero ita hac de re loquitur: *Si igitur quaedam in sacris litteris reperiuntur, quorum causas reddere nescimus, & quae praeter, immo contra ordinem naturae videntur contigisse, ea moram nobis injicere non debent: sed omnino credendum, id, quod revera contigit, naturaliter contigisse; quod etiam ex hoc confirmatur, quod in miraculis plures circumstantiae reperiebantur, quamvis tamen non semper narrentur, praecipue cum stilo Poëtico canantur; circumstantiae, inquam, miraculorum clare ostendunt, ipsa causas naturales requirere. Nempe, ut Aegyptii scabie infestarentur, opus fuit, ut Moses favillam in aërem sursum spargeret, vid. Exod. IX: vers.* 10. *locustae etiam ex mandato Dei naturali, nempe ex vento orientali, integro die & nocte flante, Aegyptiorum regionem petierunt, & vento occidentali fortissimo eandem reliquerunt, vid. Exod. X:* 14, 19. *eodem etiam Dei jussu mare viam Judaeis aperuit, vid. Exod. XIV:* 21. *nempe Euro, qui fortissime integra nocte flavit. Deinde, ut Elisa puerum, qui mortuus credebatur, excitaret, aliquoties puero incumbere debuit, donec prius incaluerit, & tandem oculos aperuerit; vid. Reg. libr. II. cap. IV.* 34, 35. *Sic etiam in Euangelio Joannis cap. IX. quaedam narrantur circumstantiae, quibus Christus usus est, ad sanandum coecum, & sic alia multa in Scripturis reperiuntur, quae omnia satis ostendunt, miracula aliud, quam absolutum Dei, ut ajunt, mandatum requirere, &c. tract. Theol. polit. cap. VI. pag.* 76. Nimirum, ex circumstantiis quibusdam miraculorum putat colligi posse, ea ex causis naturalibus contigisse, aut si ejusmodi circumstantiae non adsint, esse eas subintelligendas; tandem, si haec omnia ad elevanda miracula non sufficiunt, ad stilum Poëticum se recipit. Talia nimirum excogitanda erant, ad manifestissima, quae Scriptura sacra suppeditat, documenta eludenda. Sed haec omnia ita comparata sunt, ut sua se futilitate destruant. Ad circumstantias enim, quae aliquando memorantur, quod attinet, ex his intelligitur, Deum subinde mediis quibusdam in edendis miraculis usum: sed ista media cum per se effectum, qui secutus est, producere non potuerint, sequitur, ea in numerum causarum naturalium non esse referenda; multo minus inde colligi potest, in miraculi istius perpetratione naturae ordinem non esse mutatum. Idque inde liquet, quod Deus ejusmodi aliquando mediis usus est, quorum ad effectum istum producendum per se nulla efficacia, nullaque esse potuit proportio. Sic, cum ipse Servator in terram spueret, ex pulvere & saliva lutum conficeret, & eo oculos coeci hominis collineret, *Joann. IX: vers.* 6. quis existimaret, luti istius

in

in se spectati vim eam ac efficaciam fuisse, ut visum ei restituere posset? Sane, potuisset Christus idem vel unico verbo efficere; quia tamen ei ita visum, hocce medio uti, ob causas gravissimas sapientissimasque, licet nobis non satis exploratas, eum hoc fecisse, non est, quod dubitemus. Interim hoc certum, medium hoc ita comparatum fuisse, ut per se hunc effectum nulla ratione producere potuerit; adeoque in numerum causarum naturalium non est referendum. Atque idem de aliis ejusdem generis miraculis censendum. Cum vero etiam quaedam miracula occurrant, in quibus Deus nullo ejusmodi medio usus est, SPINOZAE quidem videtur, tum ejusmodi quid esse subintelligendum. Quae vero nos ad hoc cogit necessitas? Scilicet fingendum aliquid est, ne miracula admittere cogamur. Cum Christus unico verbo daemonia ejecit, aegrotos sanavit, mortuos resuscitavit, nullo sane usus est medio; cujusmodi nec subintelligi ulla ratione potest, cum Scriptura diserte referat, nullum eum adhibuisse, sed mandato & sola voluntate peregisse omnia. Jam ad exempla, a SPINOZA in medium allata, haud difficulter respondere licet. Cum Aegyptii scabie infestandi essent, Moses favillam in aërem sursum sparsit. Hoc pro causa naturali scabiei SPINOZA habet. Sed rationem primo nullam reddere potest, qui fieri queat, ut favillae in aërem sparsio scabiem producat. Deinde, nec ipse SPINOZA, nec ullus mortalium alius, id efficere potest, ut favillae in aërem sparsione scabies in aliis hominibus oriatur. Frustra itaque ista favillae in aërem sparsio, pro medio, vel causa naturali scabiei, in Aegyptiis venditatur. (344*) Locustae per ventum orientalem in Aegyptum advectae, & per occidentalem inde iterum remotae sunt. Sed, unde Moses scivit, quod eo tempore ventus orientalis locustas advecturus, & occidentalis iterum remoturus esset? Si dicas, ex revelatione Numinis; parum quidem hoc Atheis proderit, cum eodem plane jure dici queat, Deum extraordinaria quadam ratione hunc ventum excitasse, ut locustas & adveheret, & removeret. Non itaque *mandato Dei naturali*, ut subdole SPINOZA loquitur, sed *arbitrario*, adeoque liberrime factum, ut locustae ea ratione in Aegyptum adveherentur, & inde iterum removerentur. Non minus vero & illud ineptum est, quod dicit: *eodem etiam Dei jussu* (scilicet naturali) *mare viam Judaeis aperuit, nempe euro, qui fortissime integra nocte flavit.* Sed hic rursus scire velim, qui factum, ut eo tempore, quo Israëlitis, ut Aegyptiorum furorem evitarent, mare transeundem erat, eurus flaret, iisque viam per mare rubrum sterneret. Qui ex causis naturalibus hoc derivat, ei dicendum, casu fortuito hoc contigisse: quod tamen, qui rei circumstantias consideraverit, plane ineptum esse, statim intelliget. Obstat praeterea, quod Moses diserte dicat: *& aquae illis instar muri a dextra eorum, Exod. XIV: 29.* Hoc enim quo pacto per solum euri flatum contingere

 potue-

potuerit, nemo profecto dixerit. Sunt equidem, qui cum SPINOZA hocce telum evitaturi dicunt, Poëticam hanc esse locutionem, quae proprie intelligi nec possit, nec debeat. Verum, licet haud difficulter concedamus, in Cantico *Exod. XV:* 8. Poëticam hujus rei descriptionem esse, cum dicitur: *vento narium tuarum coacervatae sunt aquae, steterunt fluenta, quasi granorum acervus, in medio mari coagulatae sunt abyssi;* non tamen perinde censendum de stilo historico, ubi auctor rem, prout gesta est, velut oculis lectorum subjicere annititur. Similitudinem enim illam, *instar murorum*, eum in finem Moses adhibuit, ut eo clarius rem exprimeret, & condoceret, utrinque aquas constituisse, qua de re ut eo minus dubitaremus, addit: *a dextra eorum & a sinistra eorum.* Sane, si hoc sibi non voluit, quod verba ista aperte significant, data opera ita locutus videri potest, ut lectores erroneas de transitu isto animo conciperent opiniones, quod tamen vel cogitare nefas esset. Sed ex instituto jam hac de re dictum, in *Histor. Ecclesiast. vet. testam. period. II. sect. I.* ad §. *XV. pag.* 581. *seqq.* (345) Denique, quod ad Elisae miraculum attinet, puer, quem is excitavit, non *mortuus credebatur*, ut iterum subdole SPINOZA loquitur, sed revera mortuus erat. Ei autem, quod aliquoties Propheta incubuerit, ut vitam illi restitueret, non ideo factum, quod hac ratione ceu medio quodam naturali calorem iterum in eo excitare voluerit, sed quod solenne Prophetis Virisque sanctis esset, ex instinctu divini spiritus, in edendis miraculis mediis quibusdam interdum uti, quae tamen per se effectum istum producere non poterant, ut antea jam monuimus. Quod enim aliquis hominem mortuum, si ei aliquoties incumbat, revocare in vitam nequeat, neminem fugit, meritoque pro insano haberetur, qui id sibi aliisque persuadere vellet. Atque hinc reliqua, quae Athei ad elevanda Scripturae miracula in medium adferre solent, facile dijudicari possunt.

(342) *Ansam praebet Cl. Auctor distinctius paulo inquirendi*, an signa illa vel portenta, quae edi possunt a falsis Prophetis, veri nominis fuerint miracula? *quae quaestio, uti supra jam notavi ad Cap. III.* §. *V.* n. 118. *pendet a* Miraculi *definitione: id unum liceat observare in antecessum, vocabulum* אות, *quod* Deut. *XIII:* 2. *occurrit, etiam frequentissime adhiberi de miraculis, a Deo, vel Dei auxilio atque virtute patratis; uti* Exod. *IV:* 8, 17. Deut. *XI:* 3. *&c. adeoque, si ad contextum respiciamus, vix negare liceret, hic de* miraculis, *& non tantum de* mirabilibus, *agi, nisi aliunde demonstrari possit,* soli Deo miracula patrandi potestatem competere. *Neque satis solide responderetur cum quibusdam Theologis (apud* Serces *Traité sur les Miracles pag.* 198. *suiv.) id tantum voluisse Legislatorem, ut,* si vel *fieri posset, talia miracula patrari a falsis Prophetis,*

tis, Israëlitae non dimoverentur a cultu veri Dei; eodem modo, quo Paulus dicit Gal. *I:* 8. etiamsi nos aut Angelus e coelo euangelizet vobis praeter id, quod vobis euangelizavimus, Anathema esto: *minime supponens, id fieri posse. Contextus quippe iterum est consulendus, qui satis indicat, Deum supponere, talia miracula vel mirabilia* posse *praestari a falsis Prophetis; dicitur enim vs.* 3. *id evenire,* ut tentaret Jehova Israëlitas; ad cognoscendum, an essent amantes Dei sui ex toto corde. *Conf. ea, quae notabimus sequenti numero* 343.

(343) *Non satis Cl. Auctor Cap. III. §. 5. exposuit Characteres, quibus* miraculum *a* miris *istis, vel* mirandis *operibus possit distingui, quando dicit:* ipsa exempla eximent tibi facile hocce dubium. Excitare homines mortuos, iisque vitam reddere; mare dividere, ut per ejus medium homines sicco pede transire queant, Solis Lunaeque cursum impedire & quae his sunt similia, ita comparata sunt, ut coecum menteque destitutum esse oporteat, qui vim ad haec requiri infinitam non agnoscat. *Verum sic non exhibet Cl.* Buddeus *characteres, ad quos, tanquam ad lapidem Lydium, facta vires humanas superantia examinare poterimus; cum ab iis, qui, permittente Deo, miracula etiam patrari posse ab intelligentiis finitis, sibi persuadent, alia exempla proferri soleant, in quibus, ut videtur, vis finitâ major adesse debet: E. Gr. facere, ut serpens, qui organa loquelae destinata possidet nulla, sermones bene cohaerentes proferat; ut baculus transformetur in serpentem, &c. ita haberi possent comparata, ut suspensionem saltem legum naturalium involvant, si modo simulacra non fuerint, arte excitata vel formata, quae humanâ est major. Si baculus vere transformari possit in serpentem virtute finita, sed humanâ majori; (quae Metamorphosis an vera fuerit, an vero apparens tantum, nunc non disquiro; de quo videantur ea, quae* n. 329. *observavi) cur non etiam vi finitâ, sed hominum virtutem longissime superante dividi posset mare & cursus Lunae Solisque sisti? Adeoque non exempla, sed regulae dari debent, ad quas miracula examinentur, an* vera *sint, an* spuria, *an* miracula *sint, an vero* miranda *tantum, captum nostrum atque humanas vires superantia; caeteroquin incerta haeret mens, quis mirandorum istorum sit Auctor; cum vires omnium causarum secundarum non cognoscamus, ac limites, quibus sunt circumscriptae, non habeamus exploratos. Si ex sola doctrina, ad cujus confirmationem miraculum tendit, dijudicare debeamus, an* mirandum *aliquod sit* verum miraculum *& an* a solo Deo *possit patrari; doctrina, ut videtur, confirmat miraculum, non vero miraculum doctrinam; de cujus quippe veritate & divinitate, antequam miraculum fiebat, jam sumus certi; quod minime conspirat*

 cum

cum Marc. *XVI:* 20. Act. *XIV:* 3. Heb. *II:* 4. *Imo si vera Deoque digna sit doctrina, ex miro aliquo phaenomeno vires* humanas *superante, atque excitante in nobis admirationem, dijudicari non poterit, an verum fuerit miraculum, quod leges naturae suspendit, (si talis suspensio in omni miraculo requireretur), an vero sit* mirandum *aliquod, vires quidem* humanas, *non vero vires* omnium *causarum secundarum excedens, Deique auxilio existens. Demonstrari E. Gr. apodictice nequit,* viribus finitis *aquam elici non posse ex petra; aquas amaras non posse dulces reddi; os Leonum non posse obturari; ignem a corpore humano non posse arceri, &c. licet id omne fieri nequeat sine permissione Numinis, ac sine Ejus efficacissimo concursu, qui ubique requiritur. Si ponamus, solum Deum* propria vi *patrare posse miracula, eumque solum suspendere posse naturae leges, quaestio erit, an in casu, qui mirandum quid nobis exhibet, semper certi esse possimus,* quod suspendantur naturae leges? *hoc vero determinari nequit ab iis, qui naturae leges, in hoc vel illo casu suspensas, non habent, exploratas. Distinguunt nonnulli propterea inter* Miracula primi ordinis *&* stricte sic dicta, *& inter* miracula secundaria *seu* comparative talia, *quae distinctio magnam partem debetur* Leibnitio *Theod.* §. 249. *& de la Conformité de la foi avec la raison* §. 3. *vid. etiam idem* Leibnitius *Recueil des diverses pieces Tom.* 1. *pag.* 144. Bulffingerus *Dilucid.* §. 215. *seq.* Wolff. *Theol. Nat. Part.* 1. §. 470. *seq. coll. Cosmol.* §. 510. *seqq.* Canzius *in Medit. Philos.* §. 600. *seqq.* Miraculum stricte dictum *causarum secundarum vires excedit, uti creatio ex nihilo, cordium scrutatio, mortuorum resuscitatio, ac morborum atrocissimorum unico nutu vel verbo sanatio extemporanea; virginis & decrepitae partus. Non opus est, ut* omnes *leges naturales, viresque* omnium *causarum secundarum habeamus cognitas; sufficit, si hic vires requirantur infinitae, quae in ente finito suam habere non possunt sedem;* sufficit, si leges illae naturae suspendantur, quae per innumera experimenta & per observationes repetitas omnibus innotuerunt. *Hisce autem miraculis applicanda est definitio, quam dedi in* Theol. Nat. §. 105. *quod, scilicet, sint* opera potentiae divinae extraordinaria, quae non obtinuissent, si Deus consuetum naturae ordinem, quem Ipse posuit, fuisset secutus, quaeque suam rationem sufficientem non habent repositam in viribus rerum creatarum, sed unice in earum Creatore & Conservatore, Deo. *Et haec sunt miracula illa, quae Deus sibi soli vindicat, vel a Scriptoribus sacris soli Deo adscribuntur uti* Deut. *IV.* 1 Sam. *XII:* 20. 1 Reg. *XVIII.* Psalm. *LXXII:* 18. Psalm. *CXXXVI:* 4. *&c. Quod attinet vero ad* miracula secundaria, *ad horum numerum referri possunt ea facta, ordinarium naturae cursum excedentia & admiratio-nem*

nem in nobis excitantia, quae vires humanas *ſuperant; quae tamen viribus* finitis *poſſent patrari*, de quibus ſaltem certi eſſe non poſſumus, quod rationem ſuam in cauſis ſecundis, dependenter a Deo operantibus, non habeant repoſitam: *& ad hanc claſſem fortaſſis pertinent exempla, quae modo protuli; imo huc referri poſſent operationes, quae habentur a plurimis diabolicae, Magorum Aegyptiacorum;* & ſigna illa magna & miracula, *quae ab excitatis pſeudo-chriſtis & pſeudo-prophetis ederentur, ut ſeducerent (ſi fieri poſſit) ipſos etiam electos* Matth. *XXIV:* 24. *conf.* 2 Theſſ. *II:* 9. *Unica igitur, hiſce poſitis, quaeſtio ſupereſſet*, quomodo diſcernere queamus Miracula ſecundaria, quae ab intelligentiis bonis patrantur, ab iis, quae proficiſcuntur a Daemonibus; *niſi detur diſtinctivus aliquis Character, fruſtra ad talia miracula provocaſſent Viri ſancti, ut demonſtrarent, ſe a Deo eſſe miſſos. Ex ipſis certe miraculis, vel ſignis, (quae diſtinctionis gratia,* mira *vel* miranda *poſſent appellari) indolem patrantis dijudicare non licet, ſed tantum ex circumſtantiis; cum ſupponatur, illa, quae fiunt, proficiſci ab eo, cujus vires ad id, quod exhibetur, non ſufficerent, niſi ab ente, quod* homines *viribus ſuperat, fuiſſent adjutae; ſive illud ens bonae ſit indolis, ſive malae, Deus optimus maximus, qui Deus eſt veritatis, nunquam permittere poteſt Diabolo, ut miranda, ac vires humanas ſuperantia praeſtet, ad oppugnandam veram & ſalutarem de Deo rebusque divinis doctrinam, niſi ſimul ſuſtentatione ſua dilectis ſuis cultoribus adſit, eorumque ſaluti & conſervationi potentiſſime proſpiciat; ſed, ſalva ſua ſanctitate,* miranda *a Diaboli miniſtris peragi ſinit, ut puniat nocentes, vel fidem ac obedientiam ſuorum cultorum quaſi exploret, ſecundum* Deut. *XIII:* 2. *Ipſa igitur doctrina eſt examinanda, & explorandi ſunt mores fineſque eorum, qui miranda illa praeſtant: ſi dogmata ſanae rationi ſint adverſa, ſi in Deum ſint injuria, ſi eorum auctores doctoreſque ſuam quaerant gloriam, ſi hi a vera probitate ſint alieni, vana ambitione ducantur, alioſque ad impia facinora ſeducere ſtudeant, certiſſimum eſt, miranda illa, ipſorum vires naturales manifeſtiſſime ſuperantia, favente, & approbante Deo non patrari. Equidem fatendum, miracula a Chriſto, Deique Miniſtris olim fuiſſe facta*, ut haec teſtarentur, quod a Deo eſſent miſſi, *ſecundum* Joh. *V:* 36. *aliaque S. S. loca; ſed haec fere ad* primam *claſſem pertinebant; & ab altera parte nullum proſtat exemplum, ex quo pateſcit, Deum permiſiſſe diaboli miniſtris, ut falſam doctrinam mirandis ſuis ſive* miraculis ſecundariis *confirmarent, ſeque comprobarent Dei eſſe Legatos: Ipſi Magi Aegyptiaci nequaquam ſuis prodigiis, vel mirandis, cujuscunque etiam fuerint indolis, monſtrare tentabant, ſe a vero Deo eſſe miſſos ſuamque doctrinam eſſe coeleſtis ori-*

 ginis,

ginis, ſed adfuerunt Pharaoni, vel *ut evincerent, Deos, quos colebant, potentiâ non cedere Diis Hebraeorum, ideoque Regem Aegypti nullo modo teneri ad dimittendam ex ſua ſervitute Gentem Iſraëliticam juſſu iſtius ignoti Dei, cujus potentiae aequalem potentiam ſe opponere poſſe perhibebant;* vel *ut Pharaoni perſuaderent, Moſen non vera patrare miracula, ſed aut a Diabolo, aut a propria calliditate juvari in praebendis iſtis ſpectaculis, quae admirationem & metum excitabant inter Aegyptios. Neque exiſtimandum, acſi vitioſus committeretur in demonſtrando circulus, ſi veritatem doctrinae ex miraculis, & miraculorum ſecundariorum coeleſtem originem ex doctrina velimus probare: nam miracula non demonſtrant veritatem doctrinae, ſed divinam miſſionem eorum, qui iſtius doctrinae fuerunt Praecones; ita ut ipſius Dei eſſent Legati, nec propria auctoritate dogmata, in ſe veriſſima, proferrent. Si hac ratione totum hocce negotium concipiatur, ſatisfit ſimplicitati narrationis, quae apud Moſem aliosque Scriptores ſacros occurrit, circa operationes mirandas Diaboli ejusque Miniſtrorum; praeſertim Hiſtoriae* Act. *XVI:* 16. *ſeqq. & ſic demum intelligitur defenſio Chriſti* Matth. *XII:* 25. *ſeqq. ubi non negat, Diabolum miranda praeſtare poſſe, ſed ipſum, ſe ſuosque ſubditos ejicientem proprium regnum deſtructurum eſſe, animadvertit. Verum pleraque, ſi non omnia miracula, quae a Chriſto fuerunt patrata, quaeque Deus oriri fecit ad preces vel ad interceſſionem Prophetarum, Apoſtolorum aliorumque Virorum ſanctorum ſub V. & N. Teſtamento, ſunt ad* primam *claſſem referenda, uti eorum hiſtoriam meditanti manifeſtum redditur, cujus partem inſigniorem brevi in tabella exhibuit Cl.* Witſius *Meletem. Leid. Diſſ. V.* §. 6. *ſeqq. Haec ſunt* mirabilia illa, quae ſolus Deus facit (Pſalm. *LXXII:* 18.), *quibusque, tanquam apertiſſima ſuae aſſiſtentiae declaratione, ſuos miniſtros commendabiles reddit, qui ipſi proinde ſunt cauſae* occaſionales, *non efficientes, illorum miraculorum. Sic ipſe Chriſtus dicit* Joh. *V:* 36. Ego habeo teſtimonium majus Johanne; opera enim, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipſa opera, quae ego facio, teſtimonium perhibent de me, quod Pater miſerit me; *vid. etiam* Joh. *X:* 37. Matth. *XI:* 4. *ſeq.* Marc. *XVI:* 17. Act. *XIV:* 3. *conf.* Act. *II:* 22. *ubi Petrus eandem veritatem ſupponit, quando dicit:* Viri Iſraëlitae, audite ſermones iſtos: Jeſum illum Nazaraeum, Virum a Deo approbatum apud vos praeſtantibus factis & prodigiis & ſignis, quae edidit per eum Deus in medio veſtri, ſicut & ipſi noſtis.

(344) *Vid. ea, quae monui ad Cap.* 1. §. 5. *n.* 5.

(344*) *Si ex favillis, quas ſparſit in aere, enata ſit ſcabies, an non omnes adſtantes, & cum iis Moſes, debuerunt eſſe infecti? an favillae coram Pharaone ſparſae hunc morbum excitare potuerunt per totam terram Aegyptiacam?*

(345) *Vid. ea, quae notavi ad Cap. III. §. 5.* n. 120.

§. VI.

Religio Chriſtiana cum nihil contineat, quod non cum veritate conveniat, nihil etiam, quod non majeſtate Numinis dignum ſit, cuncta contra, quae homini, ut aeternae ſalutis compos fiat, neceſſaria ſunt, ſufficienter prodat; documentis praeterea & teſtimoniis certiſſimis, omnique exceptione majoribus, nitatur; ſola etiam pro vera religione eſt habenda. Operam itaque oleumque perdunt, qui ad eam aut evertendam, aut labefactandam, omnes animi & diligentiae nervos intendunt. * (346)

* Chriſtiana religio duplici ſpectari ratione poteſt. Primo, qua dogmata, non tantum propria, ſed & *communia*, hoc eſt, quae in religione etiam naturali continentur; deinde ſolum qua dogmata *propria*. Priori modo ſpectata, a Naturaliſtis quidem, qua dogmata illa communia, ejus veritas admittitur; non aeque ab Atheis. Nec tamen, ut hac de re contra hos ex inſtituto diſputemus, neceſſe eſt, quia ex Numinis exiſtentia, quam hactenus abunde demonſtravimus, ejusque providentia, itemque juſtitia, ceterisque attributis, religio naturalis ſua ſponte fluit. Ad religionis autem Chriſtianae dignitatem & excellentiam omnino pertinet, quod non tantum nihil, quod religioni naturali repugnet, contineat, ſed eam etiam puriſſima quadam ratione exhibeat, atque confirmet, immo perficiat, & quae ei ob naturalis luminis imperfectionem deſunt, ſuppleat. (347) Qua *propria dogmata* ſpectata religio Chriſtiana iterum duplici ratione conſiderari poteſt; primo, prout religionem Veteris Teſtamenti, praeſertim Iſraëlitarum, per Moſen a Deo ſancitam ſimul complectitur; tum, prout ea ſaltem exhibet, quae ad Novi Teſtamenti oeconomiam pertinent. Nobis quidem poſteriori praecipue ratione hic in cenſum venit; nec tamen prior conſideratio prorſus praetermittenda, cum haec ſimul inſigne argumentum pro veritate religionis Chriſtianae, qua novum teſtamentum ſpectatae, ſubmini-

miniſtret. Ad veritatem autem religionis Iſraëliticae demonſtrandam, ſequentia ſaltem obſervare ſufficit. (I) Moſen revera extitiſſe, eaque aetate vixiſſe, qua vixiſſe perhibetur, multisque & magnis inclaruiſſe miraculis, ut, quae Dei nomine fecit, aut locutus eſt, eum a Deo accepiſſe, nulla ratione dubitari queat; (II) eundem pentateuchi, ſeu librorum, qui ei tribuuntur, auctorem eſſe; (III) nihil denique in hiſce libris occurrere, quod non veritati ſit conſentaneum. Ad *primum* quod attinet, quotquot in terrarum orbe extiterunt, aut adhuc exiſtunt, Judaei, tot extant teſtes, qui nos, divinum virum Moſen extitiſſe, legesque genti Iſraëliticae, quibus a reliquis gentibus omnibus diſtingueretur, dediſſe, miraculisque, ut legibus illis divina conſtaret auctoritas, effeciſſe, nos dubitare non ſinunt. Tanta quidem eſt Atheorum impudentia, ut, ſi hodie nulli amplius Judaei eſſent, haud dubio ſtrenue negaturi eſſent, ullam ejusmodi in terrarum orbe unquam extitiſſe gentem. Singulari autem Numinis imputandum eſt providentiae, quod hodienum gens iſta per orbem univerſum diſperſa extet, quae de iis, quae Majoribus ejus contigerunt, teſtimonium perhibere poſſit. Eo minus vero teſtimonio huic fides denegari poteſt, quo accuratiori ſtudio leges & ritus, quos a majoribus ſuis acceperunt, per multa ſecula ad ſe propagatos obſervant, cujus profecto rei nulla alia dari ratio poteſt, quam quod illi eorum Majores, qui a Moſe leges iſtas ritusque acceperant, de divina ejus legatione pleniſſime fuere convicti. (348) Ad haec accedunt profanorum Scriptorum de Moſe, rebusque ab eo geſtis, teſtimonia, diligenter jam a FLAVIO JOSEPHO, *contra Apionem*, CLEMENTE Alexandrino, *ſtrom. libr. I.* CYRILLO, *contra Julianum lib. I.* EUSEBIO, *praeparat. Euangel. lib. IX. cap. XXVII.* aliisque, collecta, quae rem omnem extra dubitationem ponunt. Addenda, quae & ipſe hac de re dixi, *hiſtor. Eccleſiaſt. veter. teſtam. period. II. ſect. I. ad §. XXXVII. pag.* 789. *ſeqq.* Immo & miraculorum a Moſe editorum tanta olim apud Ethnicos fuit celebritas, ut eam ob rem ſubinde inter Magos referretur, tum a NUMENIO Pythagoraeo apud EUSEBIUM *praepar. Euang. libr. IX. cap. VIII.* tum a PLINIO, *hiſt. natural. libr. XXX. cap. I.* (349) *Alterum*, quod ad veritatem religionis Iſraëliticae comprobandam facit, caput eſt, Moſen hunc Pentateuchi eſſe auctorem. Id vero, cum abunde jam ab aliis, & a me ipſo quoque, in *hiſtor. Eccleſ. vet. teſtam. period. II. ſect. I. ad §. XI. pag.* 541. *ſeqq.* demonſtratum ſit, nunc merito, ceu evictum ſatis a me ſupponitur. Auctoribus, qui idem argumentum tractant, *loc. cit.* a me laudatis, addendus PETRUS ALLIX, in *conſideratione rationabili librorum ſacrae Scripturae, ad veritatem religionis Chriſtianae demonſtrandam, part. I. cap. V. ſeqq. pag.* 32. *ſeqq.* editionis, quae lingua Germanica prodit. (350) *Tertium* itaque ſaltem caput ſupereſt; nihil in hiſce libris contineri, quod non veritati ſit conſentaneum.

taneum. Hoc vero ut demonſtretur, obſervandum, quaecunque in libris Moſaicis occurrunt, aut ad dogmata, aut ad facta poſſe referri. A dogmatibus ut incipiamus, ea aut ita comparata ſunt, ut ipſa ratio ea capere queat, e. g. Deum eſſe unum, eum eſſe ſumme bonum, juſtum, ſapientem, &c. aut captum rationis tranſcendunt. De prioribus nullum eſt dubium. Inter poſteriora locum praecipuum tenent dogmata, de creatione mundi & Meſſia, futuro humani generis redemtore. Quemadmodum vero, quae de mundi rerumque omnium origine Moſes litteris conſignavit, adeo nihil continent, quod rationi rectae repugnet, ut potius nullus Philoſophorum veterum aptius ſyſtema explicandis rerum omnium originibus excogitaverit, aut excogitare potuerit, ita doctrina de Meſſia mundi redemtore, cum origine peccati, quod homines per primorum parentum lapſum invaſit, arctiſſime cohaeret, ſimulque juſtitiae & bonitati Numinis tam concinne reſpondet, viamque ad conciliandam peccati originem cum bonitate divina pandit, ut ratio profecto nihil ſolidi, quod ei opponat, invenire queat. Hinc vero &, quo pacto reliquis dogmatibus cum hiſce connexis, ſua conſtet veritas, patet. Ad dogmata etiam leges, Iſraëlitis latae, referri poſſunt, quarum quaedam etſi a noſtris moribus abhorreant, pro iſtius tamen temporis populique, cujus genio accommodatae fuere, ratione, ita comparatae ſunt, ut ſummam Numinis ſapientiam facile in iis deprehenſuri ſint, qui non data coecutire opera velint. (351) Satis hoc oſtenderunt Viri docti, qui de cauſis rationibusque legum particularium populi Iſraëlitici, ex inſtituto commentati ſunt. Facta, quorum mentionem Moſes facit, iterum duplicis generis ſunt; vel enim talia ſunt, de quibus gentium aliarum ſcriptoribus etiam aliquid innoteſcere potuit, vel talia, quorum notitiam ſolus ſuppeditare potuit Moſes. In illis ſi conſenſus ſcriptorum profanorum adſit, eorum, quae Moſes tradidit, veritas mirifice confirmatur. Sin vero diſſenſus aliquis deprehendatur, plurimae graviſſimaeque adſunt cauſae, cur Moſi potius, quam aliis ſcriptoribus, adhibenda ſit fides. Namque, ut alia taceam, cum Moſes reliquis ſcriptoribus omnibus longe ſit antiquior, de rebus etiam antiquiſſimis longe certiora memoriae prodere potuit, quam ſcriptores, qui poſt multa demum eum exceperunt ſecula. Antiquiſſima etiam, quae ex profanis ſcriptoribus conſtant, hiſtoriarum documenta tam incerta ſunt, tam obſcura & ambigua, tot defectibus laborant, ut ea Moſi, non niſi de rebus certis ſibique exploratis, ſcribenti, opponere velle, a ſumma parum abeſſet ſtultitia. Legenda, quae hanc in rem erudite diſſerit EDUARDUS STILLINGFLEET, in *originibus ſacris*, *libr. I. cap. I, II. ſeqq.* (352) Multo magis adhuc ſtolidum pariter ac ineptum eſſet, in rebus, quarum notitiam accuratam ſolus Moſes ſuppeditare potuit, uti ſunt, res Patriarcharum, origo gentis Iſraëliticae, & ſimilia, aut

STRABONEM, aut alium quendam ſcriptorem extraneum eidem opponere velle, quod JOANNEM TOLANDUM, in *originibus Judaicis*, facere notum eſt. (353) Nec, quae de miraculis Moſes refert, in dubium vocari poſſunt. Cum enim capite praecedenti demonſtratum ſit, miracula fieri poſſe, nec quidquam obſtet, quo minus facta ſint, nonnullorum etiam tanta fama & celebritas fuerit, ut in profanorum ſcriptorum monumentis eorundem fiat mentio, abſonum profecto eſſet, narrationi de iis Moſaicae fidem denegare velle. His, quae pro veritate religionis Iſraëliticae in compendio diſputavimus, addi adhuc poſſunt, quae de eodem argumento diſſerit JAC. ABBADIE, de *veritate & certitudine religionis Chriſtianae, ſect. III. cap. XVI. & XVII. pag.* 331. *ſeqq.* qui & *cap. XVIII. & XIX.* ad rationes, quae in contrarium ab Atheis adferri ſolent, reſpondet. Jam Chriſtianae religionis, prout ab Iſraëlitica veteri diſtinguitur, veritatem demonſtrare haud difficile fuerit. Primo namque, cum Chriſtiana religio quoad ipſam rei ſubſtantiam cum Iſraëlitica veteri una eademque ſit, hujus demonſtrata veritate, non poteſt non illius quoque veritas inde ſequi. Non aliud enim diſcrimen intercedit, quam quod Chriſtiana religio quaedam paulo plenius & clarius exhibeat, quae in Iſraëlitica obſcurius adhuc proponebantur: itemque, quod in illa quaedam ut jam facta ſupponantur, quae in hac ceu futura adhuc ſpectabantur, & per umbras varias atque imagines repraeſentabantur. Immo ipſa illa utriusque religionis harmonia, & concentus cum perennitate, quae inde oritur, & vaticiniorum Veteris Teſtamenti eventu, qui in Novo conſpicitur, argumentum minime contemnendum pro Chriſtianae religionis veritate ſuppeditat. Ut tamen etiam argumenta, quae ei propria ſunt, attingamus, obſervandum, Chriſtianam religionem itidem partim factis, partim dogmatibus niti. Quodſi ergo demonſtraverimus, utraque ita eſſe comparata, ut veritas illis conſtet, de ipſius quoque religionis Chriſtianae veritate nullus amplius erit dubitandi locus. Ad facta quod attinet, ea iterum duplicis ſunt generis. Quaedam tam manifeſta ſunt, ut dubio careant, & ab ipſis etiam Atheis admittantur, e. gr. Jeſum Nazarenum vixiſſe quondam in Judaea, rerum Romanarum potiente Tiberio; plurimos habuiſſe diſcipulos, qui ejus diſciplinam ſecuti ſunt, & doctrinam ab eo hauſtam propagarunt; eum a gentis ſuae Sacerdotibus accuſatum, damnatumque a Pontio Pilato, & cruci adfixum eſſe. Id enim non tantum Chriſtiani per omnes terrarum oras ſparſi, conſtantiſſime profitentur, ſed & Judaei omnes, qui nunc ſunt, & qui unquam poſt illa tempora ſcripſerunt, immo & pagani ſcriptores idem teſtantur; ut SUETONIUS, in *Claudio cap. XXV.* C. CORNELIUS TACITUS *Ann. XV. cap. XLIV.* PLINIUS junior, *lib. X. epiſt. XCVII.* confer. & HUGO GROTIUS, de *veritate Chriſtian. rel. lib. II. §. II.* (354) Alia contra facta, quibus praecipue Chriſtianae reli-

religionis veritas innititur, ita comparata sunt, ut non aeque ab omnibus admittantur, immo ab incredulis & Atheis negentur strenue, & prorsus rejiciantur; e. g. Jesum Nazarenum sine virili semine natum ex Maria virgine; eum miracula maxima divinam in eo arguentia potentiam perpetrasse; postquam cruci adfixus mortuusque esset, iterum resurrexisse, &c. Horum ergo similiumque factorum ut ostendatur veritas, observandum, Apostolos testes horum factorum plane idoneos fuisse, & ita comparatos, ut plenissimam fidem mereantur. Quatuor namque potissimum idonei testis sunt conditiones, quas etiamsi summo jure experiaris, cum ratione ab eo exigere queas: (I) accurata rerum, de quibus testaturus est, scientia, (II) probitas & fides, (III) omnis proprii commodi abnegatio, (IV) invicta animi in asserenda testimonii veritate constantia. Haec vero omnia in Apostolos & Euangelistas prorsus quadrare, nemo, nisi rerum omnium expers, negaverit. Iis enim, qui in consortium Christi adsciti, perpetui omnium ejus actionum publicarum pariter ac privatarum inspectores fuerant, accurata rerum ab eo gestarum scientia deesse non poterat. Homines probos, honestos, inculpatae vitae, & ab omni fraude ac fallacia alienos fuisse, ne ipsi quidem hostes illorum abnuerint, quemadmodum & experientia docuit, eos non lucri aut commodi cujusdam causa ad propagandam Christi doctrinam inductos fuisse, sed mercedis loco opprobria, ignominiam, plagas, supplicia & varia cruciatuum genera retulisse. Quae omnia cum eos ab instituto illorum dimovere non possent, invicta animi in asserenda testimonii veritate, constantia, inde satis elucescit. Legenda, quae hanc in rem differit HERMANNUS WITSIUS, in *dissert. de miraculis Jesu, quaest. II. §. III. & seqq.* in *meletematibus* ejus *Leidensibus pag.* 356. *seqq.* (355) & JOANNES CLERICUS, in *dissertat. de sinceritate Apostolorum*, addita ejusdem tractatui de *incredulitate*, *pag.* 325. *seq.* Nonnulla praeterea ex his ita comparata sunt, ut extraneorum etiam scriptorum testimonio confirmari queant. Plurima namque Christum edidisse miracula, ipsemet auctor FL. JOSEPHUS, in notissimo illo de Servatore nostro testimonio, *antiquitat. jud. libr. XVIII. cap. IV.* nec diffitentur reliqui Judaei, etsi per nomen tetragrammaton, aut alias artes illicitas, eum id fecisse, blaspheme jactitent. Legenda, quae hac de re collegit RAIMUNDUS MARTINI, in *pugione fidei part. II. cap. VIII.* & quae ad *h. l.* observavit JOSEPUS DE VOISIN. Ad JOSEPHI equidem testimonium quod attinet, non me fugit, a plurimis Viris doctis hoc in dubium vocari, & ceu supposititium rejici: sed genuinum illud esse, invictis argumentis demonstravit CAROLUS DAUBUZ, in *libris duobus pro testimonio Flavii Josephi de Jesu Christo*, Londini, MDCCVI. editis. Ex Graecis ipse Julianus Apostata, etiam tum, quando ex instituto Christianos impugnat, & facta Jesu extenuat, miracula tamen ejus negare non sustinuit.

nuit. Ὁ δὲ Ἰησοῦς, inquit, *ἀναπείσας τὸ χείριστον τῶν παρ' ὑμῖν ὀλίγους πρὸς τοῖς τριακοσίοις ἐνιαυτοῖς ὀνομάζεται, ἐργασάμενος παρ' ὃν ἔζη χρόνον ἔργον οὐδὲν ἀκοῆς ἄξιον· Εἰ μή τις οἴεται τοὺς κυλλοὺς καὶ τυφλοὺς ἰάσασθαι, καὶ δαιμονῶντας ἐφορκίζειν ἐν Βηθσαϊδᾷ καὶ Βηθανίᾳ ταῖς κώμαις τῶν μεγίστων ἔργων εἶναι; Jesus autem paucis vestrorum ac deterrimis quibusque persuasit, trecentos aut circiter annos celebratur. Hic toto vitae tempore nihil admodum memoratu dignum, egit; nisi quis claudos ac coecos curare, & daemonio correptos adjuvare in pagis Betsaida & Bethania, magni alicujus facinoris numero habeat;* apud CYRILLUM, *libr. VI. advers. Julianum, pag.* 19. (356) Ita ergo cum facta, quibus veritas Christianae religionis innititur, sibi constent, de dogmatibus idem facili negotio demonstrari potest. Ea vel ita comparata sunt, ut a ratione etiam capi queant, vel ut ejus circulos transcendant. De priorum veritate, cum ipsa ratio eam perspiciat, atque confirmet, nullum est dubium. Pertinent huc praecepta moralia quaevis, in quibus recta ratio, quod reprehendi queat, adeo non inveniet, ut nihil praestantius, nihil rectius, nihil Deo & hominibus dignius, dici vel cogitari posse, omnes facile intelligant. (357) Res ipsa quoque docet, eam, quae religioni Christianae propria est, doctrinam moralem, multis parasangis praestare doctrina morali gentilium Philosophorum; quod cum alibi ex instituto demonstratum sit, hac quidem vice nihil ea de re addemus. Nec cum Atheis, aut aliis religionis Christianae hostibus super hisce magna nobis lis est, sed super iis praecipue, quae rationis captum superant, atque mysteria continent. Haec vero ut ab ejusmodi hominum insultibus vindicemus, primo quidem supponendum, ea, quae sunt supra rationem, non statim esse contra eam; adeoque, licet Christiana religio quaedam contineat, quae rationis captum transcendunt, nihil tamen continet, quod revera cum ratione pugnet. Demonstratum hoc subinde est a doctissimis Viris, praecipue non ita pridem ab illustri viro GODOFR. GUIL. LEIBNITIO, in *discursu de conformitate rationis & fidei*, praemisso ipsius *tentaminibus Theodiceae super bonitate Dei, libertate hominis, &c.* Mysteria itaque sunt ejusmodi dogmata, quae non quidem contra, sed supra rationem sunt, seu quae ratio sibi relicta capere nequit. Ejusmodi vero mysteria cur admitti nequeant, nullam rationem video; immo admittenda esse, probari evidenter potest. Etenim cum in rebus naturalibus plurima occurrant, quorum nobis rationes plane ignotae sunt, licet res ipsae constent, quis dubitet, multo magis in divinis talia occurrere? Nec enim omnia intellectus hominis cognoscere potest, quippe qui suis circumscriptus est limitibus. Atque haec sane, quae nostri intellectus viribus assequi non possumus, nobis sunt mysteria. Ita namque intuitu virium naturalium intellectus dicuntur, etsi ex divina revelatione in tantum nobis innotescant, in quantum Deo ea nobis patefacere placuit. Cum ergo quaeritur, an religio Christiana mysteriorum expers sit?

sit? sensus est, an talia Deus revelaverit, quae homo solis intellectus sui viribus, ad luminis naturalis ductum, cognoscere non potuit. (358) Hoc vero quemadmodum res ipsa docet, & exempla ejusmodi mysteriorum praesto sunt, ita simul patet, nullam adferri posse causam, cur religio Christiana mysteriorum expers esse debeat, aut cur Scriptura ita interpretanda sit, ne mysteria admittantur. Immo eam mysteriorum expertem esse non posse, ex antea observatis sequitur. Cum enim intellectus humanus suis limitibus circumscriptus sit, sequitur, multa in rebus divinis esse, quae per se cognoscere nequit, quae adeo ipsius intuitu sunt mysteria. Eadem vero cum homini ad salutem scitu necessaria essent, divinae bonitatis fuit, haec ei revelare. Scitu necessaria ad salutem mysteria ista esse, inde patet, quod totus ordo salutis iis innitatur, quod alibi copiosius & ex instituto demonstratur. (359) Si quaeras, cur Deus ampliorem homini intellectum non concesserit, ut sine revelatione cuncta cognoscere potuerit, perinde hoc est, ac si cum Creatore expostulare velis, legesque ei praescribere, quas in homine condendo observare debuisset, vel etiam profundam illam calliginem, quae hominibus post tristem primorum parentum lapsum incumbit, dissimulare velle. Nec quicquam hac in re occurrit, quod aut indignum Deo, aut hominibus noxium sit, cum ipsa illa mysteria hominem suae imbecillitatis admoneant, & ad majorem rebus divinis reverentiam exhibendam excitent. Et haec generatim monuisse sufficiat; ad specialia descendere, instituti nostri non permittit ratio. Ex dictis autem facile respondere licet ad rationes, quibus Athei veritatem Christianae religionis impugnant. Ad facta istae partim pertinent, partim ad dogmata. Ad facta, quando e. g. nonnulli resurrectionem Christi impugnaturi, ipsam Apostolorum fidem sollicitant, aut, cum BENEDICTO DE SPINOZA, eos decipi potuisse, contendunt, uti supra ad *cap. III.* §. *IV.* observavimus. Quo ipso tamen nihil aliud agunt, quam ut summam impudentiam prodant. Qui enim cogitat, quae antea de sinceritate Apostolorum monuimus, & quam alienum ab illorum moribus fuerit, quemquam mortalium decipere; qui porro circumstantias resurrectionis Christi tam sollicite commemoratas, & apparitiones non uni aut alteri, sed omnibus factas, & tot vicibus repetitas, expenderit, nihil praeter ineptissimas calumnias homines istos proferre, facile intelliget. Quae SPINOZA ad speciem quandam calumniae suae conciliandam excogitavit, jam in compendio profligavi in prolusione Academica, qua *veritatem resurrectionis Christi contra Benedicti de Spinoza obtrectationes assertam*, exhibui, quae extat, in *meditationibus sacris*, *syntagmati Dissertationum Theologicarum* additis *pag.* 47. *seqq.* sed idem etiam fecit JOANNES COLERUS, in *veritate resurrectionis Jesu Christi contra Spinozam & ejus sectatores defensa*, quae una cum *vita Spinozae*, Gallicana lingua scripta, Hagae Comitum

prodiit, anno MDCCVI. 8. (360) Quae dogmatibus Chriſtianae religionis opponunt, eo fere redeunt, nihil admittendum eſſe, quod ratio capere nequeat. Nec aliam rationem Chriſti admittere nolit, dum dicit, ſibi videri eos, qui, Deum naturam humanam aſſumſiſſe, aſſerunt, *neſcire, quid dicant, immo non minus abſurde loqui, quam ſi quis dicat, quod circulus naturam quadrati induerit*, ut ſupra ad *cap. III.* §. *VI.* hanc ejus mentem de incarnatione Chriſti pluribus expoſuimus. Sed manifeſtum eſt, ejusmodi homines rationis limites ultra, quam par eſt, extendere; adeoque, dum ratione vel maxime uti videri volunt, ſe ratione prorſus deſtitutos, oſtendere. Poterant, ſi vellent, ex quotidiana condiſcere experientia, rationem multis laborare infirmitatibus; plurima quoque eſſe, quae nemo mortalium rationis acumine penetrare poteſt. Quae ergo temeritas! quae impudentia! nihil, quod ratio capere nequeat, admittere velle! Tandem nec illud praetermittendum, quod Athei tum reliquas religiones omnes, tum ſpeciatim Chriſtianam pro callidorum hominum commento, ad continendum in obſequio populum, habeant. Quemadmodum vero jam vel *cap. V.* §. *I.* (361) oſtendimus, ne unico quidem exemplo probari poſſe, religionem a Principe quodam, aut Legislatore, inventam primum aut introductam; etſi ſubinde religione, qua jam antea homines imbuti fuerunt, ceu dominandi inſtrumento uſi ſint: ita multo minus de Moſe hoc dici poteſt, quod aut religionem invenerit primus, aut eadem ceu dominandi inſtrumento uſus ſit. Iſraëliticam enim religionem eo minime comparatam eſſe, ipſa ejus conſideratio docet, cum omnia eo ſpectent, ut ipſi Deo ceu regi ac domino ſuo obſequium, honorem ac venerationem exhibeant. Moſes etiam ut ipſe dignitatem regiam non uſurpavit, miniſtri ſaltem fidelis munere functus, *Ebr. III:* 2. ita nec ad poſteros eam transmiſit, aut transmittere voluit; immo ne Sacerdotium quidem ſibi aut poſteris vindicavit, cum id in Aäronem ejusque filios contulerit. Miracula autem quae edidit, quibus fidem dictis conciliavit, ut inde, a Deo ſe miſſum, intelligerent, pàlam & inſpectante populo edidit; & ita ſe geſſit, ut ne minima quidem fraudis aut impoſturae ſubeſſe ſuſpicio potuerit. Sed ab iſtis impiorum hominum calumniis abunde jam vindicavimus Moſen, in *hiſtor. Eccleſiaſt. Vet. Teſtam.* ad *period. II. ſect. I.* §. *XI. pag.* 533. *ſeqq.* (362) De Chriſtiana autem religione, prout ab Iſraëlitica diſtinguitur, ſi quis dicere vellet, eam ut reipublicae rationibus inſerviret, inventam aut excogitatam, nae! is ſe ipſum traduceret turpiter. Doctoris enim ſaltem munere ipſe Servator functus eſt, cui reipublicae conſervatio non fuit curae; & Apoſtoli piſcatores erant, hominesque plebeji, quos reipublicae rationibus religionem accommodaſſe, nemo, niſi rerum omnium expers, dixerit. Et quid opus erat, religionem Chriſtianam hunc in finem excogitare, cum & Iſraëlitica,

aut

aut ipſa etiam naturalis, eundem in finem adhiberi potuiſſet? Eſt ſane Chriſtiana religio hactenus reipublicae rationibus conveniens, quod eas ſectari virtutes homines docet, quibus firmitas ſtabilitasque imperii innititur; interim eadem pravis mortalium cupiditatibus prorſus adverſatur, quibus tamen vel maxime indulgere ſolent, qui civilium rerum adminiſtrationem ſibi vindicant. (363) Eſto etiam, fuiſſe nonnullos, qui ſpeciatim Chriſtiana religione, ceu inſtrumento dominandi, vel potentiam, auctoritatem, imperium ſibi comparandi, vel haec omnia conſervandi uſi ſint; id tamen ipſi religioni tribui nequit, cujus longe alium ſcopum eſſe, dogmata ejus ſatis ſuperque oſtendunt, multo minus, eam ideo aut inventam aut excogitatam, dici poteſt, cum non rerum dominis aut principibus, ſed ipſi Servatori & Apoſtolis, hominibus a rerum civilium adminiſtratione longiſſime remotis, originem debeat.

(346) *Cum Religio Chriſtiana, qua Chriſtiana, unice nitatur Revelatione, mirum videri poſſet, quod Cl. Auctor hic primum agere ſuſcipiat de Religione, eamque contra Atheorum, ac Naturaliſtarum molimina defendere annitatur, & demum in §. ſequenti VII. Scripturae ſacrae auctoritatem ex ipſius doctrinae, quae in ea proponitur, origine, veritate, ſufficientia, aliisque argumentis ſtabilire ſtudeat; cum, demonſtratâ ſacrae Scripturae auctoritate atque divinâ origine, Religionis, quae illam Cynoſuram ubique ſequitur, veritas, atque divina origo ſua ſponte ſequatur. Attamen Revelationis veritas atque divina origo omnium optime demonſtratur ex dogmatibus, quae comprehendit; adeoque dogmata Religionis, tum Judaicae, tum Chriſtianae, prout illa praeſertim in libris Moſaicis, haec vero in Euangeliis maxime continentur, praemiſit Cl. Auctor in hac §. Sic* veritatem *Religionis primum evincere allaborat, & ſecundo loco ejus* divinam originem *ponit ante oculos.*

(347) *Non heic loci fuſe diſſerere licet de pretioſiſſimis incrementis, quae Theologia Naturalis per Revelationem acquiſivit, cum unice de Chriſtianae Religionis veritate agendum ſit, ut eradicentur ex animis dogmata, quae vel cum Atheiſmo ſunt conjuncta, vel quodammodo ad Atheiſmum ducunt. Ingens eſt numerus eorum, qui* utilitatem *Theologiae revelatae in Theologia Naturali, & craſſos ſagaciſſimorum Gentilium ab illo lumine deſtitutorum in hac ſcientia errores monſtrarunt; atque oſtentationem redoleret, ſi vel optimorum ex omnibus illis vellem exhibere catalogum; praeſertim cum hoc jam ſit praeſtitum a Cl.* Fabricio *de Verit. Relig. Chriſt. Cap. 21. ſeqq. & Cap. 35. prae reliquis commendandus* Turretin *Diſſ. Theol. Vol. II. Diſſ. II. ſeq. Egregie autem nuperrime demonſtravit eximius* Leland (*the Ad-*

Advantage and Neceſſity of the Chriſtian Revelation ſhewn from the State of Religion in the Antient Heathen World, &c.) primam Religionis cognitionem Protoplaſtis per revelationem divinam eſſe datam; eam per traditionem eſſe propagatam, ſed, tractu temporis extenuatam; per meras Philoſophorum ſpeculationes non potuiſſe reſtitui ob varia impedimenta, ita ut Gentiles ab Idololatria ſua retrahere nec potuerint nec voluerint; monſtrat in ſpecie Vir Venerandus, doctrinam de Providentia, aliisque verae Religionis capitibus, ipſamque morum diſciplinam innumeris naevis apud Ethnicos, mentis perſpicacia caeteroquin praecellentes, fuiſſe obſitam; usque dum plenius vividiusque Revelationis lumen adfulgeret, Soſpitatore praeſertim in mundum veniente, viamque ſalutis manifeſtius annuntiante per Euangeliſtas ſuos & Apoſtolos. Et ſane hodierni Philoſophi, qui Theologiam naturalem in formam ſyſtematis redegerunt, ejusque dogmata rigidis muniverunt demonſtrationibus, multum quidem debent emendatae Logicae, Ontologiae & Pneumatologiae, ſed longe plura vividiori Revelationis lumini; cum admoniti de veritatibus longe facilius eas etiam a priori eruant, quam ſi ſibi fuiſſet relicti & ſolam rationem fuiſſent ſecuti. Equidem Gentiles, ſi ratione recte fuiſſent uſi, ad veram Dei unius rerumque divinarum notitiam pervenire potuiſſent; ſed ſufficit, quod eâ non recte fuerint uſi, quodque eorum dogmatibus de rebus illis momentoſiſſimis innumeri iique craſſi penitus errores fuerint admixti; ſufficit, quod hi errores detecti ſint, ac nebulae diſparuerint, ſimulac Revelatio adfulſit, & Euangelium per Chriſtum ejusque Diſcipulos, homines ſimplices & nulla eruditione ſplendidos, fuit annuntiatum.

(348) *Si ſecundo loco demonſtraverit Cl. Auctor, Moſen eſſe Auctorem Pentateuchi, etiam manifeſtum erit, eum extitiſſe, eumque eo tempore extitiſſe, quo illa, quae narravit, tanquam ſuo tempore geſta, acciderunt. Imo omnia ſcripta tum Veteris, tum Novi Teſtamenti ſupponunt, Moſen extitiſſe; & reliqua Chronologiae ſacrae pars foret mutila & ſubleſtae fidei, ſi Moſes non vixiſſet, eaque, quae Mundi primaevi annales complectuntur, non annotaſſet; ubi memorata ſcripta, quae nobis ſub* ſacrae Scripturae *nomine veniunt, hactenus conſideramus, ut fide digna, ſepoſita tantiſper eorundem divina origine. Neque ullus inter Deiſtas vel Naturaliſtas extitit, qui Moſen vixiſſe negavit, licet plurimi fuerint, qui, eum Pentateuchi Auctorem eſſe, agnoſcere noluerunt.*

(349) *Loca Gentilium praeter Scriptores ab Auctore memoratos collegerunt* Grotius *de Ver. Relig. Chriſt. Lib.* 1. *§. XVI. ibidemque* Koecherus *aliique in annotationibus Tom.* 2. *pag.* 139. *ſeqq.* Huetius *De-*

Demonſtr. Euangel. Prop. IV. Cap. II. Stillingfleet *Orig. Sacr. Lib.* 2. *Cap.* 1. §. 7. *Attamen non omnia, quae vulgo adducuntur, ejusdem ſunt ponderis. E. Gr.* Longinus *de ſublimitate ſermonis Lib.* 1. *manifeſtiſſime quidem de Moſe ejusque ſtylo nervoſo atque ſublimi teſtimonium praebet; ſed ſerius vixit, & ab Epiſtolis fuit Zenobiae, mulieri Judaeae; fuitque, rebus Politicis nimium immixtus, juſſu Imperatoris Aureliani circa A. Chr.* 273. *interfectus. Omnino de hiſce conferendus eſt* Des-Vignoles *Chronologie de l'Hiſtoire Sainte Tom.* 1. *pag.* 595. *ſeqq. ubi accuratius inquirit in tempus, quo Moſes Iſraëlis poſteros ex Aegypto deduxit verſus Terram Cananaeam.*

Quod attinet ad Plinii *locum Lib. XXX. Cap.* 1. *non multum ex eo concludere licet, niſi quod Moſes aliquis extiterit; dicit enim:* Eſt & alia Magices factio, a Moſe, & Jamne, & Jotape, Judaeis, pendens, ſed multis millibus annorum poſt Zoroaſtrem; *ita ut pateſcat,* Plinium, *qui tot committit in una alterave linea errores, parum facere, ad demonſtrandam veritatem, quam heic loci ante oculos habemus, neque ad iſtiusmodi teſtimonia provocaret prudens, ſi de exiſtentia* Alexandri Magni, *vel* Julii Caeſaris *ageretur. Denique* Juſtinus *Lib. XXXVI. Cap.* 2. *clarius & verius de Moſe ſcribit, atque Hiſtoriam Judaicam quodammodo cognoviſſe videtur; ſed in eo errat, quod Moſen Joſephi perhibeat filium. Vid. omnino* Bernecceri *notae ad memoratum* Juſtini *locum. Omnium autem manifeſtiſſimum eſt dictum* Taciti *Hiſt. Lib. V. cap.* 3.

(350) *Complectitur Pentateuchus hiſtoriam* tum *eorum, quae ante Moſis tempora acciderunt;* tum *ea praeſertim, quae, Moſe vivente & res Iſraëliticas dirigente, fuerunt geſta; & denique accedunt pauciſſima quaedam, quae poſt Moſis obitum adſcripta eſſe potuerunt. Quae ante ipſius tempora contigerunt, inſpirante & dirigente Deo, collegit praeſertim ex ſchedulis Patriarcharum, ſive ex Annalibus a Majoribus ſuis conſcriptis; quod adeo aperte conſtat, ſi Geneſeos librum attento animo perluſtremus, ut nemo amplius de eo dubitare poſſit; idque a variis Viris eruditis fuit ad oculum quaſi monſtratum, inter quos eminet Cl.* Vitringa *Obſ. Sacr. Lib.* 1. *Cap. IV. cujus veſtigia praeſertim preſſit Ampliſſimus* Reinhard *in Epiſtolis nuper ex Teutonica in Belgicam linguam translatis pag.* 1. *ſeqq. ut & Anonymus Auctor* Conjecturarum, de monumentis, quibus in componendo Geneſeos Libro uſus videtur Moſes (*Conjectures ſur les Memoires originaux, dont il paroit, que Moyſe s'eſt ſervi pour compoſer le livre de la Geneſe*) *paſſim, qui tamen ulterius fuit progreſſus: Id autem facile dari poteſt Cll.* Relationum-Gottingenſium *Auctoribus* Faſcic. XI. *pag.* 162. *ſeqq. Moſen* non tantum *Annotationibus*

Patriarcharum fuiſſe uſum, ſed etiam veteribus carminibus, columnis, quibus inſcripta fuerunt monumenta antiquiſſima, & oralibus traditionibus; ſaltem eum haecce adminicula in uſus ſuos convertere potuiſſe; ſi modo Spiritum Sanctum perpetuum agnoſcamus Moſis ductorem & directorem, ne talia transſcriberet, quae a veritate & a ſapientiſſimo ſummi Numinis ſcopo erant aliena; licet alio modo cenſuerit ingenioſiſſimus E. B. d'E. . . . de la Population de l'Amerique *Tom.* 1. *pag.* 187. *ſuiv. cujus doctrinam ad examen revocaſſe hujus non eſt loci. Nulla datur difficultas circa res geſtas Moſe vivente, quas omnium optime memoriae poſterorum tradere potuit. Verum non defuerunt, qui, Moſen Pentateuchi auctorem eſſe, ideo praeſertim negarunt, quia in eo continentur nonnulla, quae poſt mortem hujus Ducis Iſraëlitici acciderunt, aut quae ad ſeriora tempora videntur reſpicere; quorſum referuntur* Gen. *II:* 11. *&* 12. Cap. *X:* 8—11. Cap. *XI:* 28. *&* 31. Cap. *XIII:* 6. *&* 7. Cap. *XIV:* 14. Cap. *XXXV:* 21. Cap. *XXXVI:* 31. Cap. *XXXVII:* 14. Cap. *XL:* 15. Exod. *XVI:* 35. Deut. *I:* 1. Cap. *III:* 14. *Omnia haecce loca ad examen revocare non ſinit inſtituti ratio; praeſtitum hoc fuit a variis, praeſertim a Cl.* Witſio *in Miſcell. Sacris. Tom.* 1. *Lib.* 1. *Cap. XIV. qui pro candore ſuo fatetur, &, ſalva perſuaſione, quod Moſes ſit Auctor Pentateuchi, agnoſcere potuit, quaedam, pauciſſima tamen, a ſeriori manu fuiſſe profecta. conf. Princip. Relig. Nat. & Revel. Tom.* 2. *pag.* 5—60. *&* Huetius *Dem. Euang. Prop. IV. Cap.* 14.

(351) *Vid. ea, quae notavi ad Cap. VI.* §. 9. *n.* 286. *&* 287. *Adjicere liceat, egregium* Taciti *de Judaeis teſtimonium, eorum* dogmata Religioſa, *& leges ſpectans Hiſt. Lib. V. Cap.* 5. Judaei mente ſola unumque numen intelligunt. Profanum, qui Deum imagines mortalibus materiis, in ſpecies hominum effingant. Summum illud & aeternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum templis ſinunt. *Inter leges autem* forenſes, *quas Moſes ex auctoritate Divina tulit, plurimae reperiuntur in legibus naturalibus & aequitate fundatae, quae ubique introduci merentur, utpote ſocietatibus omnibus civilibus ſaluberrimae; & ſane ſive Deum ſpectant, ſive alios homines Moſaicae leges, ſapientia & beneficentia atque adeo provida cura ſummi imperantis ubique eluceſcit. Vid. praeſertim Traité de la Verité de la Religion Chretienne tiré du Latin de Monſr. J. A. Turretin Sect. III. Chap.* 3. *&* 4. *Principia Relig. Nat. & Revel. Tom.* 2. *pag.* 303. *ſeqq.*

(352) *Nemo certe propius adfuit rebus, quas narrat tanquam ante ſuam nativitatem geſtas; non tantum enim ſcire plurima potuit ex ſchedu-*

lis

lis Patriarcharum (n. 350); *verum etiam* orali traditione; *cum pauci illi, qui inter Adamum atque inter Mosem vixerunt, sua longaevitate satis fida praebere potuerunt testimonia: dudum enim observatum fuit a Theologis, Mosis Patrem,* Amram, *videre potuisse proavum suum* Jacobum; *Jacobum narrationes sui avi* Abrahami *potuisse audire; hujus autem Pater* Thare *audivit* Noachum; *hujus vero pater* 156. *annos vixit cum* Adamo. *Vid.* Koecherus *ad* Grot. *de Verit. Relig. Christ. Lib.* 1. *Cap.* 15. *&* Stillingfleet *l. c. Lib. II. Cap. II.* §. 9.

(353) *Praesertim narrationem Mosaicam de regione Judaica ejusque* fertilitate *impugnat* Tolandus *in Orig. Judaicis* §. *X. pag.* 138. *seq. eam comparans cum iis, quae refert* Strabo *Geogr. Lib. XVI. pag.* 1104. *Edit. Almeloveenii, ubi dicit, locum, ubi condita est Hierosolyma, esse saxosum, aquis quidem abundantem, cum regio circum sterilis ac sicca esset, & intra sexaginta stadia etiam solum habeat lapidosum inferne* (ὑπόπετρον). *Ex hoc* Strabonis *loco hanc format conclusionem homo impudentissimus:* Strabonica Judaeae descriptio cum hodierno situ & soli statu ab omnibus juxta Peregrinatoribus observatis, optime concordat; etsi immensum recedere videatur a Pentateuchi scriptore, qui eam ut frugum feracissimam, ac lacte & melle (sive rerum omnium necessariarum copiâ) fluentem exhibet; quae, si non figurate cum plerisque accipienda, ut animus tamen & calcar adderetur occupaturis, per avia jam longo tempore & devia errantibus (quorum respectu Paradisus certe dici potuit Judaea) sic repraesentari omnino necesse fuit, quod prudentissime pariter factum. *Verum observandum* 1°. Strabonem *tantum loqui de locis Hierosolymae circumjacentibus, non vero de tota Regione Judaica; uti ex ipsissimis ejus verbis manifestum est; caeteroquin etiam sibi ipse contradiceret, cum pag.* 1106. *de Hierichunti adjacente planitie, & pag.* 1095. *de regione Gennesaritico lacui propinqua testetur, eas fertilitate fuisse insignes: quod etiam conspirat cum* Plinii *Hist. Nat. Lib. V. Cap.* 14, 15. *&* 17. *& Lib. XII. Cap.* 25. Taciti *Hist. Lib. V. Cap.* 6. *aliorumque veterum narrationibus, quas collegit* Fayus *contra* Tolandum, *in defensione Mosis & Gentis Judaicae Cap. V. Vid. etiam* Relandi *Palaestina Lib.* 1. *Cap.* 57. 2°. Strabonem *quaedam immiscuisse, quae apertissime sunt falsa, adeoque fidem ejus comparari non posse cum illa, quae Mosi debetur; refert E. Gr.* Mosem *bonos homines* (*Judaeos*) *deduxisse in ea loca, ubi nunc condita sunt Hierosolyma, quod factum fuit a Josua; idque non* facile, *uti perhibet, sed post plurima eaque sanguinolenta bella* 3°. *ex hodierna Palaestinae facie nullam conclusionem elici posse ad priscam ejus constitutionem; post tot seculorum lapsum, post tot vastatio-*

nes, quae, dirigente divina providentia, illis regionibus ob sapientissimas & justissimas rationes acciderunt, necessario status istius terrae plurimas mutationes subire debuit, quae hodie est irae divinae monumentum; licet plurima exhibeat antiquae fertilitatis vestigia ac quasi rudera. Nec in aliis historiarum monumentis desunt exempla regionum olim fertilissimarum, quae hisce temporibus steriles sunt & incultae jacent: hoc de pluribus locis Asiae minoris, Italiae & Hispaniae adfirmare licet. Quis quaeso, hodiernam Thessaliae nunc Turcarum imperio subjectae ac proinde parum cultae faciem considerans, nisi ad fide dignissima Veterum testimonia attenderet, a se impetrare posset, ut credat, eandem illam regionem olim non tantum fertilissimam sed & sua amoenitate celeberrimam fuisse. Ab altera parte dantur regiones olim incultae, quae nunc, versa fortuna locorum, proventibus sunt divites.

(354) *Hoc pulcre demonstratum fuit a* Koechero *in Dissert. qua continetur Historia Christi ex scriptoribus profanis eruta & demonstrata, quae habetur inter varias Dissertationes, quas operi laudatissimo* H. Grotii *adjecit. pag.* 294. *seqq. Evidentissimus & notatu penitus dignus foret locus* Josephi *Antiq. Jud. Lib. XVIII. Cap.* 4. *cujus etiam meminit in seqq. Cl.* Buddeus (*ubi de Jesu loquitur, qui ipsi dicitur* σοφὸς ἀνὴρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή· *&c.* vir sapiens, si modo virum eum fas est dicere, *&c.*) *&, paucis interjectis, addit:* ὁ χριστὸς οὗτος ἦν Christus hic erat, *&c. nisi a variis Viris doctis dubitatum fuisset, an non sit adulterinus, quam quaestionem erudite pertractavit laudatus* Koecherus *l. c. pag.* 297--308. *conf.* Fabricius *in Delectu Argum. Cap.* 2. *pag.* 135—141. *& Biblioth. Graecae Lib. IV. Cap. VI.* §. 5. *sive Tom. III. pag.* 237. *seq.* Huetius *Dem. Euang. Prop. III. Tit. XI. seqq. Attamen, quantum mihi perspicere datum est, argumenta eorum, qui genuinum esse putant locum huncce* Josephi, *inter quos etiam Cl. Auctor numerandus, majoris sunt ponderis, quam quae in contrarium adducuntur; & licet forte non omnes scrupulos removerit* Huetius, *qui injecti fuerunt a* Tan. Fabro *in Epistola ad* Joannem Chabrotium *Lib.* 1. *Epist.* 44. *& post eum a* Clerico *Art. Crit. Part.* 3. *Sect.* 1. *Cap.* 14. §. 8. *seqq. praesertim* §. 13. *seq. attamen non mirum, quod* Justinus Martyr, Tertullianus *&* Cyprianus *hocce loco contra Judaeos non fuerint usi; cum exigui esset ponderis Josephi, qui semi-apostata habebatur, apud eos auctoritas; dum alii Ecclesiae Doctores ad hoc testimonium provocarunt diligenter, uti* Eusebius, Hieronymus, Sozomenus, Cassiodorus *& plures alii. Conf. omnino* Lipsienses *in Act. Erud. Supplem. Tom. IV. pag.* 245-255.

(355)

(355) *Optimo conſilio & ſucceſſu Cl.* Witſius *l. c.* §. 9. *ſeqq. defendit Apoſtolos contra iniquas criminationes* Oroſii, *qui eos depinxerat ut ambitione turgidos, ut victum Euangelii praedicatione quaerentes, qui facile eo devenire potuerunt, ut, honorum, aut commodorum ſpe allecti, Hiſtorias Euangelicas finxerint. Honores ſibi ex periculoſo ſuo miniſterio polliceri non poterant, ſi de divinitate ſui Magiſtri, qui plurinas calamitates, plurimaque opprobria ipſis praedixerat, non fuiſſent convicti. Neque divitiarum ſpe allecti Euangelium annuntiarunt, cum omnia, quae collegerant, quaeque ex venditione liberali bonorum proveniebant, diſtribuerent inter pauperes, prout cuique erat opus; &, ut omnem ſuſpicionem a ſe amoverent, acſi lucri cupido eſſet ſuorum moliminum incitamentum, ſubſtituerunt ſeptem Diaconos ab ipſo coetu eligendos. Imo ſummo jure quaerit* Witſius *l. c.* §. 13. Ullusne ex omni hominum memoria monſtrari poterit Hiſtoricus, qui, ad fidem narrationi ſuae adſtruendam, tantum unquam cruciatuum ſubire animum induxerit? *nunquam certe latebras quaeſiverunt, quibus, cum praejudicio veritatis, ſe adverſus Procerum perſecutiones & crudelitatem abderent; nunquam trepide, aut diſſimulanter egerunt, ubi Euangelium vel apud Judaeos, vel apud Gentiles erat annuntiandum, eorumdemque crimina ipſis ponenda erant ante oculos.*

(356) *Miracula Chriſti agnita fuerunt ab ipſo* Joſepho *l. c. & licet vocabula:* ὁ χριστὸς οὗτος ἦν (n. 354.) *nonnullis per pias, ut appellantur, Chriſtianorum fraudes inſerta videantur; non tamen priora illa* (erat Jeſus mirabilium patrator, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimosque Judaeos & Ethnicos habuit ſectatores) *a* Joſepho *profecta fuiſſe, facile negabitur. Ipſe* Julianus *ſuppoſuit veritatem illorum miraculorum, ſed eadem extenuare fuit conatus; dicit enim apud* Cyrillum (*quam poſt* Witſium *l. c.* §. 22. *excitat ipſe Auctor*) Hic (*Jeſus*) toto vitae tempore nihil admodum memoratu dignum egit; niſi quis claudos & coecos curare, & daemonio correptos adjuvare, in pagis Betſaida & Bethania, magni alicujus facinoris numero habeat. *Conf.* Koecherus *in Diſſert. laudata pag.* 354. *ſeqq.* Ditton *Kriſtelyke Godsdienſt betoogd door de Opſtandinge van Kriſtus III. Deel X. Hoofdd.* 10. *Afd.*

(357) *Nemo melius praeſtantiam Doctrinae moralis, quae in Novo Teſtamento praeſertim continetur, ejusque utilitatem, neceſſitatem, atque defectus Ethicae Gentilium Philoſophorum evidentius demonſtravit, quam Vener.* Leland *the advantage and neceſſity of the Chriſtian Revelation Tom. II. paſſim. Si vel duas Orationes Paulinas conſide-*

 re-

remus solas, quales occurrunt Act. *XIV.* & Cap. *XVII. statim deprehendimus, quot parasangis doctrina Euangelica, quatenus etiam illa continet, quae ratio naturalis non quidem detegit, sed capere potest, post se relinquat non cohaerentia & passibus ambiguis errantia Gentilium Philosophorum dogmata. Conf. la verité de la Religion Chretienne par* Turretin *Sect. IV. Chap.* 4. *suiv. ut plurimos alios taceam, quorum catalogum dedit* Fabricius *Delect. Argum. Cap.* 24. *seqq. praesertim Cap.* 30. *Cap.* 32. *seqq.*

(358) Mysteria *sunt veritates ex principiis rationis non demonstrabiles, quae Revelatione patefieri debent, atque ab illis, quas mens humana cognoscit esse necessarias & immutabiles, diversae, non tamen iisdem oppositae; igitur* supra rationem *sunt, non* contra rationem, *licet haec distinctio displicuerit quibusdam ad Scepticismum proclivioribus. Vid.* Baile *Dict. Crit. in V.* Marcionites, Origene, Pauliciens, Hoffman *lit. C. Plures esse Deos, Deum contradictoria simul vera reddere posse, est* contra rationem; *Deum esse triunum, secundam Deitatis Personam (uti loquuntur Theologi) sese junxisse cum natura humana, ita ut cum hac unam Personam constituerit, est* supra rationem. *Deus autem in hominibus accendens rationis lumen, sibi non ademit facultatem alias veritates iisdem manifestandi per vias extraordinarias, ad quas pertingere non poterat ratio, & circa quas nulla alia adfert eadem illa ratio adjumenta, quam examinando characteres Revelationis, in qua veritates illae sunt propositae; in hoc igitur Dei veracissimi testimonio est acquiescendum, & ab absentia, imo ab impossibilitate clarae cognitionis in nostro intellectu ad rei negationem non valeret consequentia. Recte igitur* Verulamius *de Augmento scientiarum Lib.* 9. *in initio:* Si ea duntaxat credamus, quae sunt rationi nostrae consentanea, rebus assentimur, non Auctori; quod etiam suspectae fidei testibus praestare solemus. *Vid.* Witsius *Miscell. Sacr. Tom.* 2. *pag.* 582-597. de Vries *Exerc. Rat. pag.* 475-506. Turretin *Diss. Theol. Vol.* 1. *pag.* 51. *seqq. conf.* Bruckerus *Hist. Crit. Philos. Tom.* 4. *Part.* 2. *pag.* 270. *seq.* Hollman *in Proleg. Logicae praemissis* §. *XXXI. pag.* 44-48. Crusii *Opuscula Theolog. Philos. pag.* 295-356. Fabricius *in Delect. Argum. Cap.* 22. *la Defense de la Religion Tom.* 2. *pag.* 447-463.

(359) *Vid. Cl. Auctoris Theol. Dogm. Lib.* 1. *Cap.* 1. §. 28. *conf.* Stapfer *Theol. Polem. Tom. II. pag.* 859. *seqq.* & *pag.* 895. *seqq.* Bernard *de l'excellence de la Religion Liv. II. Chap. V. suiv. Defense du Christianisme par* de Roches *Tom. II. pag.* 1-24.

(360) *Summo jure ingens Christianorum numerus sollicitus fuit de demonstranda veritate ac certitudine resurrectionis Christi; cum merito dixerit* Paulus 1 *Cor. XV:* 14. Quod si Christus non est resuscitatus, vanum est praeconium nostrum, vana etiam est vestra fides. *Actum agerem, si eorum, qui momentosissimam hanc veritatem defenderunt, catalogum exhibere, aut eorum rationes in compendio exponere vellem. Vid.* Fabricius *Delect. Argum. Cap.* 44. Leland *View of Deistical Writers Epist. XI.* Koecherus *ad* Grot. *de Verit. Relig. Christ. Lib. II. Cap. VI.* Stapfer *Theol. Polem. Tom.* 3. *pag.* 225-260. *Principia Relig. Nat. & Revel. Tom. II. pag.* 396-426. *ut plurimos alios taceam, quorum scripta memorantur apud* Fabricium, *inter quae eminet supra* (n 356.) *memoratum* Dittoni *opus eximium, in quo non tantum veritatem hujus dogmatis, sed etiam ejus fructus uberrimos exponit* 1. *D.* 2. *H. en* 3. *D.* 12. *en* 13. *H.*

(361) *Vid. ea, quae notavi* n. 157.

(362) *Vid. ea, quae supra dixi* n. 286. *Si Moses inter impostores fuisset numerandus, qui sibi auctoritatem conciliare studebat, atque imperium adfectabat in Israëlitas, longe alio modo sese debuisset gerere; propria commoda publicae utilitati anteposuisset, adulatione captare allaborasset suorum popularium benevolentiam, suos dissimulasset errores & peccata; quorum omnium contrarium reperitur in historia Mosaica: alto silentio premit vitam suam aulicam, & gloriam inde nascentem; in propriam familiam invehitur, inque eam animadvertit vehementius; quin imo eam de se ipso instituit narrationem, ut si ab alio fuisset profecta, invidiose videretur scripta; cum in se laudando fuerit parcus, in reprehendendo severus, ubique utens sermone simplici & ingenuo, & minime dissimulans labem familiae suae ex caede Sichemitarum inustam, una cum maledictione in Levi pronuntiatâ a Jacobo morti vicino. Vid. omnino* Principia Relig. Nat. & Revel. *Tom.* 2. *pag.* 121. *seqq.*

(363) *Vid. ea, quae notavi* n. 150.

§. VII.

Divina denique Scripturae sacrae auctoritas tum ex ipsius doctrinae, quae in ea proponitur, origine, veritate, sufficientia, tum ex aliis argumentis tam evidenter elucescit, ut, qui eam agnoscere nolunt, nihil aliud agant, quam ut animum

mum ad repudiandam veritatem obfirmatum prodant. Nec, quae in contrarium adferri poſſunt, argumenta tanti ſunt, ut vim & robur immotum eorum, quibus divina haecce Scripturae auctoritas demonſtratur, infringere aut labefactare queant. * (364)

* Cum de argumentis, quibus divina Scripturae ſacrae auctoritas atque θεοπνευστία probari queat, ſumus ſoliciti, ea intelligimus, quibus fides, quam vocant, humana progignitur. Fides enim divina ex Spiritus Sancti teſtimonio, quod fideles per ipſam Scripturae ſacrae efficaciam, quando haec in illorum animis, illuminando eos, atque convertendo, ſeſe exerit, ſentiunt, oritur. (365) Hanc vero ab Atheis fruſtra poſtulaveris, quippe qui verbum divinum repudiando atque contemnendo, vim ejus atque efficaciam ſentire nequeunt. Interim ea, quae humanam fidem progignunt, ita comparata ſunt, ut recte intellecta & junctim ſumta, firmiſſimae aequipollere demonſtrationi merito cenſeantur. Omnia autem ediſſerere aut copioſe explicare, inſtituti ratio non patitur; praecipua ſaltem, eundo per ſumma rerum capita, indicabimus. *Primum* ipſa *doctrinae*, quae in Scriptura ſacra continetur, *origo* ſuppeditat: ejus enim ſumma cum eo redeat, quod homini per primorum parentum lapſum in ſummam miſeriam detruſo, via ad ſalutem per Meſſiam iterum pandenda ſit, ejusmodi quidem hoc eſt, ut ratio haec ignoret, nec tamen, haec ita ſe habere, negare queat. Sunt enim bonitati & juſtitiae divinae plane conſentanea. Ab ipſo itaque Deo cum iſtud miſeris mortalibus revelatum ſit, nullum etiam eſt dubium, quin Scriptura, quae revelationem hanc proponit, Deum auctorem habeat. (366) *Alterum* argumentum Scripturae ſacrae *veritas* praebet: nec enim ullius erroris aut qua facta, aut qua dogmata, convinci poteſt; id quod cum ad §. *praecedentem* evidenter demonſtratum ſit, ut hic id repetamus, neceſſe non eſt. Namque, quod de religionis Chriſtianae veritate ibi diximus, id de Scripturae ſacrae veritate procedit; quam ſummam & admirabilem prorſus eſſe, tamdiu firmiter credimus, donec evidenter probetur contrarium. Cujus argumenti vim & efficaciam ut eo rectius intelligamus, probe obſervandum, nullum unquam etiam a ſapientiſſimo mortalium elaboratum eſſe ſcriptum, quod non (niſi ex ipſa Scriptura deſumtum ſit) errores quosdam, falſasque opiniones, contineat. Vel praeſtantiſſimorum Philoſophorum, Platonis, Ariſtotelis, & inter Latinos Ciceronis, exemplo hoc patet. In humanis itaque viribus cum poſitum non ſit, ſcriptum aliquod, quod omnis erroris expers ſit, praeſertim in rebus tam magni momenti, componere, ſequitur utique, pro divino illud habe-

habendum, in quo veritas ubique ita ſibi conſtat, ut ne minimus quidem error locum inveniat. (367) Accedit porro, quod *tertium* ſimul argumentum erit, *conſenſus* mirificus atque *harmonia* tot ſcriptorum, qui libros biblicos ex inſtinctu Spiritus Sancti compoſuerunt. Cum enim vix unus homo, quantumvis ſapiens ſit & eruditus, ſibi conſtet, raro admodum autem duo aut tres de uno eodemque argumento ſcribentes prorſus inter ſe conſentiant, divini ſane operis certiſſimum eſt indicium, ſi tot homines, temporum, quodammodo etiam locorum, intervallo a ſe invicem remoti, in doctrina ſalutis, quam proponunt, tam mirifice inter ſe conſpirent, conſentiantve. Cujusmodi conſenſionis exemplum cum inter humanos ſcriptores non extet, divina Scripturae ſacrae auctoritas recte inde evincitur. Sed *quarto* loco etiam *ſufficientia* Scripturae hic eſt commemoranda. Pleniſſime enim, quae hominibus ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt, exhibet. Quae enim de miſeria humana, ejusque origine & profunditate, itemque de ratione per fidem in Chriſtum inde eluctandi, ceu unico ſalutis obtinendae medio, cognitu ſunt neceſſaria, ratio aut plane ignorat, aut admodum obſcure cognoſcit. Eadem ipſa vero ratio evidenter cognoſcit, bonitati divinae conſentaneum eſſe, medium aptum & conveniens juſtitiae divinae, hominibus ſuppeditare, per quod liberari a peccatis ac a calamitatibus omnibus queant. Cujusmodi medium cum divina revelatio, quam Scriptura ſacra ſiſtit, nobis exhibeat, & ſufficienter, quae de his omnibus ſcitu ſunt neceſſaria, tradat, eam a Deo ipſo profectam eſſe, ſua ſponte inde ſequitur. Erudite & copioſe hoc argumentum tractat VINCENTIUS PLACCIUS, in *fructu pleniori Philoſophiae moralis*. *Quinto* nec illud praetermittendum, Scriptores ſacros earum imbecillitatum, quas in aliis ſcriptoribus deprehendimus, prorſus immunes eſſe. Nec enim, quod aliis ſcriptoribus ſolenne, eos aut voluptati, aut ambitioni quicquam dediſſe, deprehendimus, aut gloriae cupiditate inductos ad ſcribendum acceſſiſſe; ſed unice hoc eos magno ſtudio, omnique conatu egiſſe, ut ad veri Numinis agnitionem, pietatisque ſtudium, mortales perducerent. Immo, quod *ſexto* notari poterat, ſcriptorum biblicorum indoles atque adfectus, a genio & adfectibus aliorum ſcriptorum adeo differunt, ut nulla ratione conveniant, cum illi perpetuum velut bellum ambitioni, voluptatis cupiditati, aliisque vitiis indixerint, nec ullum illicitae cupiditatis veſtigium reliquerint, quod profecto de nullo ſcriptorum Gentilium, quantumvis cautus aut ſapiens fuerit, dici temere poterit. Praeterea Scriptura ſacra, quod *ſeptimum* argumentum erit, de rebus plurimis nos informat, quas, ſine ea ſi eſſemus, plane ignoraremus; quo ipſo & plurima ſolvit dubia, & rationem in rebus maximi momenti, certam animi ſcientiam tranquillitatemque conſequendi, nobis ſuppeditat.

Quod cum nullum ſcriptum humanum efficiat, aut efficere queat, divina iterum Scripturae ſacrae inde eluceſcit auctoritas. Hoc ut eo rectius capiatur, juvabit primo phaenomena omnia, de mundi rerumque omnium ſpeciatim hominum, origine, deque origine mali, de inventione & propagatione artium & ſcientiarum, de linguarum diverſitate, & quae reliqua ſunt ejusdem generis, proponere; ſimulque Hiſtoricorum, & Philoſophorum veterum, de his omnibus ſententiam perquirere. Tum ſane deprehendemus, Hiſtoricos de hiſce omnibus nihil certi tradidiſſe; Philoſophos autem, dum principium aliquod, quod hiſce phaenomenis omnibus ſolvendis explicandisque ſufficeret, excogitare voluerunt, in abſonas quasvis atque ridiculas incidiſſe opiniones, dum aut cum Ariſtotele mundi, prouti eſt, aeternitatem defenderunt, aut cum Epicuro, homines fungorum inſtar ex terra erupiſſe, aſſeruerunt, aut ſimile quid, quo ignorantiam ſuam, mentisque imbecillitatem proderent, commenti ſunt. Si contra ea aſſumas, quae Scriptura ſacra ſuppeditat, de his omnibus principia, cuncta, quae ſe offerunt, phaenomena, tam apte, tam concinne ſolvi & explicari poſſunt, ut nullum remaneat dubium, ſimulque fatendum, nihil convenientius ab ullo Philoſophorum dictum, aut dici potuiſſe. *Octavum* argumentum *vaticinia* ſuppeditant, eorumque complementa. Totam Scripturam vaticiniis velut ſcatere, nullumque fere librum eſſe, Veteris praeſertim Teſtamenti, qui non vaticinia quaedam contineat, notum eſt. Vaticinia etiam, ſeu rerum futurarum, & quidem contingentium, praedictiones, ſolum Deum auctorem agnoſcere, luculenter ni fallor, ſupra evicimus. (368) Nunc id ſaltem addendum, duplici potiſſimum ratione ex vaticiniis, eorumque complemento, divinam Scripturae ſacrae auctoritatem comprobari poſſe. Primo quidem, ſi ipſe ſcriptor, cujus liber in Scriptura ſacra extat, etiam ſimul vaticinia de rebus futuris ediderit, ut Eſaias, Jeremias, aliique Prophetae, & David Rex ſanctiſſimus in Pſalmis. Immo & ipſe Moſes non tantum aliorum vaticinia refert, ut Jacobi, *Gen. XLIX.* & Bileami, *Num. XXIV.* ſed ipſe quoque nonnulla praedixit, ut vel ex *Deut. XXXIII.* liquet. Eos enim, qui hac ratione ſe veros Prophetas demonſtrarunt, etiam reliqua, quae ſcripſerunt, ex divina inſpiratione protuliſſe, non eſt, quod dubitemus. Quae tamen tum demum rite procedit ratiocinatio, ſi reliqua divinae inſpirationis κριτήρια conſpirent. Ceteroquin enim fieri omnino poteſt, ut aliquis quaedam ex divina revelatione praedicat, nec tamen inde ſequatur, omnia, quae idem auctor, etiam ex proprio motu aut inſtinctu ſcribit vel loquitur, eſſe θεόπνευστα. Deinde, totus ille contextus & ordo vaticiniorum rite expendendus, ſimulque conſiderandum, quo pacto omnia illa, quae ad oeconomiam regni gratiae in Novo Teſtamento inſtituendam pertinent,

nent, qua ſingulas partes, accurate fuerint praedicta, eventu omni rite comprobante. Hinc enim Euangelii, prout in Novo Teſtamento annuntiatum eſt, ſimulque totius doctrinae ſacrae origo divina evidentiſſime eluceſcit, ſimulque Scripturae, quae ad eam hominibus manifeſtandam tota comparata eſt, auctoritas divina comprobatur. Hinc vero &, quid de *miraculis* cenſendum intelligitur, ex quibus merito *nonum* argumentum petitur. Per ea enim tum Moſis, tum Chriſti & Apoſtolorum doctrinam confirmatam, eo minus dubitandum, quo certius eſt, & edita ab iis miracula, & ſola Dei virtute ea edi poſſe, uti ſupra evidenter demonſtravimus. (369) Ex divina autem ipſius doctrinae origine recte auctoritatem divinam Scripturae ſacrae colligi, antea jam obſervavimus. Certe manifeſtatio doctrinae coeleſtis parum hominibus profuiſſet, niſi ab iis etiam litteris fuiſſet conſignata, & ad poſteros propagata, quos divina Spiritus gratia extra erroris conſtituit periculum. Quod cum divina bonitas, hominumque ſalus, requirat, quis dubitet, eum hoc feciſſe? Ad haec omnia denique accedit ſingularis in ſtilo Scripturae majeſtas, & in modo proponendi θεοπρέπεια, adeo, ut nihil, quod Deo indignum ſit, ſi modo cuncta recte intelligantur, & ad ſcopum ſpecialem cujusque auctoris accurate attendatur, in Scriptura ſacra deprehendatur. Quod eo magis iterum mirandum, quo plures fuere ſcriptores, qui libros Scripturae ſacrae compoſuerunt, ingenio quidem & dicendi generis diverſi, ſed in eo mirifice inter ſe conſpirantes, quod nihil unquam ſcripſerunt, quod non a ſcriptore θεοπνεύστῳ ſcribi aut dici debuerit. Mitto reliqua ab aliis jam allata, qui hocce argumentum ex inſtituto tractant, quod Theologi facere ſolent, quoties de Scriptura ſacra agunt, ex quibus ſpeciatim laudandus AEGIDIUS HUNNIUS, in *tractatu, de ſacro-ſancta majeſtate, auctoritate, fide ac certitudine ſacrae Scripturae Propheticae & Apoſtolicae Veteris ac Novi Teſtamenti;* itemque JOANNES MUSAEUS noſter, in *introd. in Theolog. part. II. cap. VI. pag.* 458. *ſeqq.* quibus ex Reformatae Eccleſiae doctoribus praeter alios addendus ISAACUS JAQUELOT, cujus non ita pridem, & quidem poſt auctoris mortem, prodit *Traité de la verité & de l'inſpiration des livres du Vieux & du Nouveau Teſtament,* Amſtelodami anno M DCC XV. 8. conf. & JAC. ABBADIE, de *veritate & certitudine Religionis Chriſtianae ſect. III. cap. II. pag. m.* 200. *ſeqq.* Jam ad argumenta quod attinet, quibus Athei divinam Scripturae ſacrae auctoritatem impugnant, cuncta eo redeunt, quod falſa quaedam, erronea, contradictoria, ſimiliaque in ea ſibi obſervaſſe videantur, quae cum divina ejus origine nullatenus conſiſtere queant. Ad ea vero in ſpecie deſcendere, & cuncta, quae hinc inde congerunt, diluere ac diſſipare, cum integri voluminis res ſit, adeoque noſtri inſtituti non patiatur ratio, generatim ſaltem quaedam nebulis ejusmodi diſpellendis inſervi-

vitura, obſervabimus. *Primo* quidem omnes, qui uſum rationis non prorſus amiſerunt, facile mecum conſentiunt, iniquiſſimum eſſe, argumentis, certiſſimis, evidentiſſimis, praegnantiſſimis, ideo denegare fidem, quod dubia quaedam ac difficultates, ad caput inſuper cauſae minime ſpectantes, occurrant, ex quibus tam promte nos expedire nequeamus. Res ipſa namque poſtulat, ut, ſi ejusmodi quid contingat, noſtrae mentis potius accuſemus imbecillitatem & agnoſcamus ignorantiam, quam rejicere aut negare ea, quae ſua luce radiant, & a ſanae mentis homine rejici aut negari nequeunt. Eo magis vero, quod *alterum* eſt noſtrae obſervationis caput, hoc aequitati eſt conſentaneum, quod plerique Scripturae ſacrae libri temporibus antiquiſſimis, in locis etiam a noſtris remotiſſimis, & quae varias deinde mutationes ſubirent, fuere compoſiti; hinc & ſubinde ad ejusmodi circumſtantias hiſtoricas aut geographicas reſpiciunt, quae nobis non poſſint non eſſe ignotae. In ejusmodi vero libris quid mirum, ſi quaedam occurrant, quae difficultate quadam laborant, minusque ſunt expedita? Quam vero ineptum & prorſus abſonum eſt, in ejusmodi dubiis Auctoris potius inſcitiam aut negligentiam accuſare, aut pugnas & contradictiones fingere malle, quam ſuam agnoſcere ignorantiam! Accedit porro, quod Veteris Teſtamenti libri ejusmodi lingua ſcripti ſunt, qua jampridem loqui homines deſierunt, & in qua non alia monumenta, quam quae Scriptura ſacra continet, ad nos pervenere. Ejus itaque linguae indolem genuinam, intimosque receſſus perſpicere, ut longe eſt difficillimum, ita certiſſimum, plurimas difficultates ex iſtius ignorantia oriri; quae ſtatim ceſſaturae eſſent, ſi indolem geniumque ejus accuratius perſpectum haberemus. Haec ſimiliave qui rite & accurate ſecum expenderit, difficultates omnes, quae hac in re oriri poſſunt, promte ſuperabit. SPINOZAE autem, quas ſupra ad *cap. III. §. VII.* commemoravimus, rationes vix dignae ſunt, quae in cenſum veniant. Prophetiam, futurorumque praedictionem, pro mera imaginatione haberi non poſſe, ſed vim divinam arguere, abunde liquet ex iis, quae in praecedentibus hac de re diſputavimus. Unde &, quae de Prophetis ipſis, ſtolide non minus, quam blaſpheme, pronuntiavit, ſua ſponte corruunt. Ineptum etiam prorſus eſt, quod in *tractat. Theologic. polit. pag.* 29. dicit, *Chriſtum ſuas rationes opinionibus & principiis uniuscujusque accommodaſſe.* Nimirum, cum ad Phariſaeos verba faciens, dixit: *Si Sathanas Sathanam ejicit, adverſus ſe ipſum diviſus eſt, quomodo ergo ſtare poteſt regnum ejus? nihil, niſi,* ſi SPINOZAE credimus, *Phariſaeos ex ſuis principiis convincere voluit, non autem docere, dari daemones, aut aliquod daemonum regnum, &c.* Sed fallitur homo impius, aliosque fallit. Sane, ſi vel maxime Servator ex hypotheſi conceſſa aliquando contra adverſarios ſuos diſputaſſet, inde tamen

non-

nondum ſequeretur, eum *rationes ſuas opinionibus & principiis uniuscujusque accommodaſſe.* Falſiſſimum autem eſt, Servatorem hic ex mente ſaltem ac hypotheſi Phariſaeorum locutum, cum ex aliis Scripturae locis quam plurimis conſtet, & dari daemones, & eorum aliquod regnum eſſe. Quod porro de Apoſtolis dicit, eos in circumſtantiis de reſurrectione Chriſti fuiſſe deceptos, id itidem antea jam profligavimus. Frivolum etiam prorſus eſt, quod *loc. cit. pag.* 339. ſcribit: *Longas Pauli deductiones & argumentationes, quales in Epiſtola ad Romanos reperiuntur, nullo modo ex revelatione ſupernaturali ſcriptas fuiſſe, concedo.* Diſcrimen enim facere debuiſſet inter revelationem, ſtricto ſic dictam, qua Deus alicui ea revelat, quae prorſus ei ignota erant, & inter inſpirationem, qua Deus ea, quae antea equidem nota erant, per inſpirationem tamen, qua verba, qua rem ipſam ſuggerit, ut omne erroris periculum adimatur, taliaque Scriptores ſacri proferant, quae pro verbis vere divinis haberi queant. Negari enim equidem nequit, Scriptores ſacros talia quandoque protuliſſe, quae aliunde eis etiam nota erant, quaeve revelationem ſtricte ſic dictam non requirebant; utpote quae ipſi viderant, audierant, ab aliis acceperant, aut juſta ratiocinatione & diſcurſu quodam, ex veris principiis deducebant, colligebantque. Quae enim Moſes, quae Joſua, de rebus ſui temporis litteris conſignarunt, maximam partem non modo viderant, ſed ipſimet etiam geſſerant. Matthaeus atque Joannes teſtes ἀυτόπται illorum fuerunt, quae de Chriſto litteris conſignarunt. Unde & Joannes dicit: *Quod fuit a principio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod & ſpectavimus, & noſtris ipſis manibus tetigimus (de ſermone vitae loquor, qui vita patefacta eſt) id, inquam, & vidimus & teſtamur, &c. 1 Joan. I: verſ.* 1, 2. Pari ratione & Lucas, de rebus Chriſti ſervatoris ea ſcripta eſſe, litteriſque conſignata teſtatur, *quae tradiderunt, qui ab initio & ſpectatores & adminiſtratores rei fuerunt, cap. I. verſ.* 2. Nihiloſecius, etſi haec, quae viderant, audiverant, aut alia ratione ſciebant Scriptores ſacri, illis nota erant, Spiritus tamen ſanctus ea omnia, qua verba, qua rem ipſam, illis ſuggerebat, ne ulla in re fallerentur, & ut ita Scriptores vere θεόπνευστοι dici poſſent. (370) Et hac etiam ratione intelligendum, (ut hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam) quod alicubi ſcripſi, Scriptores Novi Teſtamenti nonnulla ex cabbala pura, ſeu doctrina Catechetica Judaeorum veterum accepiſſe; ſeu quasdam oraculorum Veteris Teſtamenti interpretationes allegoricas, apud Judaeos jam ceteroquin receptas adhibuiſſe, & *more in gente Ebraea repto excogitaſſe, tom. I. obſervat. Hallenſ. obſervat. I.* §. *VIII. pag.* 10. Intelligendum namque hoc eſt, ut res ipſa docet, ſalva θεοπνευστίᾳ. Etſi enim de rebus quibusdam aut ex Theologia Judaica, aut experientia, vel ſenſuum teſtimonio notis, ſcribebant, haec omnia tamen aeque

ac diſcurſus, quos ipſi formabant, & ratiocinationes, Spiritus Sanctus, qua verba, qua res ipſas, illis ſuggerebat. Interim ipſis Scriptoribus, ceu cauſis ſecundariis, hic actus *cogitandi* vel *excogitandi*, *ratiocinandi*, *diſſerendi* tribui poteſt, & ſubinde etiam ſolet, ut tamen cauſa primaria, ſeu Spiritus Sancti inſpiratio, non excludatur, ſed ſupponatur. Reliqua, quae SPINOZA, & cum eo THOM. HOBBESIUS, & ISAAC PEYRERIUS contra Scripturae ſacrae auctoritatem, adferunt, eo redeunt, quod multa falſa, erronea, contradictoria, contineat, quodve Moſes ipſe non ſit auctor Pentateuchi, & quae reliqua ſunt ejusdem generis; ad quae quid generatim reſpondendum ſit, jam antea indicatum; ſpeciatim vero iſtorum hominum Sophismata profligavit PETRUS DANIEL HUETIUS, in *demonſtratione Euaugelica*, & qui nuper diligenter hac in re verſari coepit, vir clariſſimus, JOAN. GOTTLOB CARPZOVIUS, in *introductione ad libros hiſtoricos Bibliorum Veteris Teſtamenti*, *&c.* In contradictionibus apparentibus ſolvendis jampridem operamque ſtudiumque collocarunt Scriptores harmonici, ut MICHAEL WALTHERUS, in *harmonia Biblica*, qui tamen aliis multa adhuc rectius monendi reliquerunt occaſionem: nonnulla etiam AUGUSTUS PFEIFFERUS, in *dubiis vexatis*, & alii ejusdem generis Scriptores, attingunt.

(364) *Divina Scripturae, quam nos cum omnibus Chriſtianis* ſacram *dicimus, auctoritas & origo a tot celebrioris nominis Theologis ſolidiſſime fuit demonſtrata, ut non tantum argumenta pro hac momentoſiſſima veritate militantia in compendio exhibere longum foret atque difficile, verum etiam catalogum eorum recenſere, qui egregia hic praeſtiterunt, nimium a ſcopo abduceret: Magnam eorum ſeriem dedit eximius* Fabricius *in Delect. Argum. Cap.* 26. *quibus plures recentiores poſſent adjici, ſi tale quid pateretur inſtituti ratio; imo id ipſum eo minus neceſſe judico, quia contra Atheos pugnandum, non vero contra* Naturaliſtas (*qui plerumque* Deiſtae *dicuntur*) *licet a Naturaliſmo facilis quandoque ad Atheismum ſit tranſitus, & utrumque monſtrum ab iisdem ſaepe genitoribus procreetur.*

(365) *Probe hic notandum, Spiritus Sancti teſtimonium, ejusque illuminationem rationali hominum indoli ſemper eſſe convenientem; non vero per illam, vires intellectus naturales ſuperantem, operationem hominem converti in machinam ratione carentem; potius facultates mentis naturales perficiuntur, pelluntur ignorantiae & praejudiciorum nebulae, ut mens ſerenata teſtimonii divini evidentiam vividiſſime ſentiat, eoque pleniſſime convincatur. Sic Dei Spiritus non utitur bruta vi, ſed perſuadendo agit; aſt veri nominis perſuaſio absque rationibus perſuadentibus dari poteſt nulla; caeteroquin veram perſuaſionem a ſomniis*

niis Enthusiasticis discernere non liceret. Vid. omnino Cl. Pictet *la Theolog. Chret. Liv.* 1. *Chap.* 17.

(366) *Videbitur forte, acsi minus recte Cl. Auctor sua disposuisset ratiocinia; quatenus* auctoritas divina *S. S. demonstrari non potest ex* doctrinae, *quae in ea continetur,* origine, *nisi alia argumenta vocentur in subsidium: tota enim quaestio in eo versatur,* an Revelatio divina detur, *sive* an detur doctrina, quae a Deo est revelata, *&* an haec contineatur in illis libris V. & N. Testamenti, qui a Christianis habentur Canonici; *ideoque primo loco est demonstrandum, res illas, quas memorat Auctor, veras ac Deo dignas esse, easque ad salutem esse necessarias, & denique, easdem a nullo ente finito, sed a solo Deo potuisse manifestari: humani ingenii vires pertingere non posse ad originem mali moralis indeque profluentis miseriae, in hoc mundo obtinentis, multo minus ad cognitionem istius viae unicae, qua homo in peccata lapsus cum Deo reconciliari potest & debet, satis est evidens; cum Gentiles, ab hoc lumine destituti, licet caeteroquin perspicacissimi, in meris tenebris erraverint, cumque etiam nunc, postquam haec patefacta fuerunt, hebescat mentis nostrae acies, si lapsus & redemtionis circumstantias earumque modum studeamus pervestigare; verumtamen ratiocinia Cl.* Buddei *non ita sunt capienda, acsi quodlibet eorum rem conficeret; ipse satis innuit, quod firmissimae demonstrationi tum demum aequipolleant,* quando junctim sumuntur: *sed sagacitatis est, argumenta, quae totalem quasi demonstrationem debent constituere, ita ordinare & disponere, ut omnium maximam habeant efficaciam in convincendis Naturalistis.*

(367) *Non tantum ea, quae per Revelationem veritatibus naturae lumine cognitis fuerunt superaddita, non pugnant cum rationis placitis* (n. 358.) *verum etiam illa, quae ante de Deo rebusque divinis innotuerant quodammodo, longe clariora evaserunt, postquam vividius hocce lumen adfulsit; ita ut ipsa Theologia Naturalis in formam systematis redigi non potuerit, antequam per Sacrae Scripturae doctrinam errorum nebulae essent fugatae* (n. 347.). *Quin imo ipsae illae veritates, quae per rationis vires nec inveniri, nec inventae per easdem demonstrari possunt, undique cohaerens systema constituunt, licet annuntiatae fuerint per viros indoctos, & simplices, qui magnam partem systemata mutila & absurda veterum Philosophorum non intelligebant, neque novo systemati excogitando erant apti.*

(368) *Vid. supra* §. 4. *hujus Capitis, collatis iis, quae notavi* n. 334. *seqq. &* n. 339.

(369) *Vid. ea, quae supra proposui* n. 342. & 343. *Miracula certe non directe demonstrant, libros, in quibus enarrantur, divinae esse originis & auctoritatis; scripta etiam ab aliis hominibus parata, qui divino Spiritu non fuerunt adflati, miraculorum historiam, eamque verissimam potuerunt continere: sed divinae originis & auctoritatis debet esse doctrina, quae in omnibus conspirat cum dogmatibus eorum, qui miraculis a se, vel potius ab ipso Deo in ipsorum gratiam patratis indicia praebebant omni exceptione majora, quod ab ipso Deo essent missi; quatenus Hic, pro sua sanctitate, beneficentia, & veracitate, testimonium publicum praebere non potuisset hominibus, qui vel falsam, vel per rationis vires facile a quolibet eruendam demonstrandamque doctrinam praedicabant: in quo casu miracula, sive ejusmodi testimonia forent vel damnosa, vel superflua. Miracula igitur indirecte probant divinam auctoritatem Librorum sacrorum, cum indirecte demonstrent veritatem doctrinae, directe vero* divinam legationem *eorum, qui verissimam illam doctrinam annuntiabant, quae rigidissimum rationis examen sustinebat, divinis perfectionibus convenientissima, quaeque, novas aperiens veritates lumine rationis incognitas, cognitas quasi in vividiori luce ponens, veram salutis & reconciliationis viam monstrabat illis, qui supremi Judicis erant laesores & inimici, quique, sibi relicti, & hac doctrina non illustrati, viam illam invenire potuissent nunquam. Non autem heic loci contra ingeniosissimum in sua damna* J. J. Rousseau *disquirere lubet,* an Miraculis necessario indigeamus, ut fides adhiberi possit doctrinae Euangelicae; *haec ipsa sese ab omni parte commendat, ita ut veritas ejus etiam aliis modis magisque directe demonstretur, sepositis tantisper miraculis, divinae missionis testibus indubiis. Neque nunc morabor impietatis plenas comparationes, quas periculosissimus Auctor (Lettres ecrites de la Montagne pag. 89. suiv. Edit. d'Amsterd.) instituit inter miranda quaedam experimenta Physica & inter Miracula, quibus se ab ipso Deo missos esse docuerunt Viri sancti: ipsius conscientia facile eum convincet, quanta detur differentia inter phaenomena, quae mira apparent, quia eorum originem cognoscimus una cum modo, quo eorum causae operantur; & inter facta, quae leges naturae* nobis cognitas *transgrediuntur manifestissime, conf.* n. 343.

(370) *Non necesse est, ut statuamus, Dei Spiritum sacris Scriptoribus singula, quibus usi fuerunt, verba dictasse, quod innuere videtur Cl.* Buddeus, *quodque fusius exposuit in Theol. Dogm. Lib.* 1. *Cap.* 2. §. *X; sufficit, si nihil scripserint, nisi per directionem divinam Sanctique Spiritus operationem immediatam; ita ut ab omni errore immunes, & revelato lumine gaudentes, proprio stylo fuerint usi ad exprimen-*

mendas veritates salutares, plurima immiscentes utilissima, sed per rationis vires quodammodo cognita, cum revelatis arctissime connexa; imo talia quandoque inseruerunt, quae ipsorum res domesticas respiciebant, quaeque vix ullam ad res revelatas habebant relationem. Sic Spiritus Sanctus illis Scriptoribus non fuit usus tanquam brutis machinis, sed tanquam hominibus ratione praeditis, quorum intellectus a praejudiciorum & errorum nebulis erat defoecatus, quorumque voluntas virtuti ac pietati dedita erat reddita, quod ex illuminatione intellectus non profluere non poterat.

CAP. VIII.

SUPERSTITIO QUID ET QUOTUPLEX?

SPECIATIM

DE IIS SUPERSTITIONUM GENERIBUS, QUAE DIRECTE CIRCA NUMINIS CULTUM VERSANTUR.

Σύνοψις.

Atheismum evitaturi, haud raro in ſuperſtitionem, ceu alterum extremum, prolabuntur; ſuperſtitio quid? §. I.

Diſcrimen inter ſuperſtitionem, & veram religionem, §. II.

Prima ſuperſtitionis ſpecies eſt, quae circa objectum cultus divini aberrat, unde idololatria, craſſior & ſubtilior, §. III.

Pertinet huc illorum quoque error, qui Deo ea tribuunt, quae ei non conveniunt; item, qui motus & inſtinctus naturales pro divinis habent; unde Enthuſiasmus, §. IV.

Altera superſtitionis ſpecies circa modum cultus divini verſatur, idque ea primum ratione, ut nonnulli mandatum divinum ſe ſequi exiſtiment, ſed non recte illud intelligant, §. V.

Huc & illi pertinent, qui in ſolo Numinis cultu externo ſpem omnem ſalutis collocant; unde religio ſuperficiaria, §. VI.

Ulterius progrediuntur, qui ipſimet colendi Deum quandam rationem ſibi fingunt; unde ἐθελοθρησκεία, §. VII.

Quae circa ritus praecipue & ceremonias, occupatur, §. VIII.

§. I.

Ut raro admodum homines in regia veritatis via, quae inter duo extrema media eſt, conſiſtunt, ita in Numinis praecipue cultu hoc contingit, dum plurimi Atheismum evitaturi in contrarium currunt, * Deumque equidem & credunt & colunt, ſed perverſe admodum, nec ea, qua hoc fieri debebat, ratione. Hinc *Superſtitio;* quo nomine nihil aliud, quam praepoſtera atque perverſa colendi Deum ratio, intelligitur. **

* Atheismus & ſuperſtitio duo ſcopuli ſunt ſibi invicem e diametro oppoſiti, ad quorum alterutrum facile naufragium faciunt, qui non ſatis caute ac circumſpecte incedunt. Non male JOANNES TOLANDUS: *Atheismus ergo & ſuperſtitio ſunt veluti animorum ſcylla & charybdis. Sed extrema haec tam ſunt evitanda, quam ſequenda religio eſt, in medio ſita; adeiſidaemon.* §. *XXIV. pag.* 79. Satis quidem egregie, modo ſerio, & ex animi ſententia, & non ſaltem ad fucum incautis faciendum iſta dixiſſet. Eum enim revera ſuperſtitionem a religione non diſtinguere, ſed utramque uno eodemque loco habere, ex dicendis patebit.

** THEOPHRASTUS ſuperſtitionem ita deſcribit: Ἀμέλει ἡ δεισιδαιμονία δόξειν εἶναι δειλαία πρὸς τὸ δαιμόνιον· *Superſtitionem ſane definire poſſumus, meticuloſum erga Numen adfectum;* in *characterib. morum, pag.* 47. ISAACUS CA-

CASAUBONUS ad *h. l.* obſervat, alios ſuperſtitionem ita definire: δεισιδαιμονία ἐστὶ φόβος θεῶν καὶ δαιμόνων· *Sed Theophraſtus*, inquit, *voce* δαιμόνων & *deos, & daemones complexus eſt, & quicquid divinitatis eſſe particeps male ſana putavit antiquitas.* Addit porro: Δειλίαν *accipe metum alium ab eo, qui pios decet. Scite enim Varro apud Auguſtinum dicebat, Deum a religioſo vereri, a ſuperſtitioſo timeri.* Recte quidem, cum reverentia Numinis ſeu timor cum amore conjunctus, & recta ratione innixus, pars praecipua ſit verae religionis; uti contra ex metu ſervili vel puerili, ac irrationabili, ſuperſtitio, ſeu perverſa Deum colendi ratio proficiſcitur. Luculentius hoc ex infra dicendis patebit, cum de cauſis ſuperſtitionis verba faciemus. Ne autem cauſam ſuperſtitionis cum re ipſa confunderemus, eam per praepoſterum ac perverſum Numinis cultum definire maluimus, voce inſuper nec ſtricte nimis, nec nimis late, ſed in ea amplitudine accepta, ut omnes ſuperſtitionis ſpecies, deinceps enumerandas, complecteretur. Conjuncta etiam cum ſuperſtitione eſt *credulitas*, niſi & hanc inter cauſas ejus referre velis, quae & latius patet, cum & credulitas ſine ſuperſtitione eſſe queat, ad varia quippe objecta ſeſe extendens. (371)

(371) *Ex §. ſeq. & ex Cl. Auctoris Theolog. Mor. P.* 2. *C.* 3. *Sect.* 1. §. 79. *conſtare poteſt, definitionem, quam hic exhibet, non ſatis eſſe generalem; cum non tantum ſuperſtitio adſit, ſi verus Deus praepoſtera atque perverſa ratione colatur, ſed etiam quando a recto tramite aberratur circa objectum cultus; ita ut aliquid a Deo diverſum cultu religioſo proſequantur, aut rebus creatis plus virium attribuant homines, quam iis ineſt; adeoque haud male* Superſtitio *definitur a* Canzio *Diſcipl. Moral.* §. 611. *tanquam* cultus Dei ſpurius, qua quis vel falſa Deo attributa adfingit, vel ex veris, ſed minus diſtincte ideoque confuſe cognitis agendi motiva ſumit, vel rebus extra Deum plus tribuit, quam revera virium habent, *ſub qua definitione quodammodo* Idololatriam *comprehendere licet. conf.* n. 372. *Unde vero vocabulum* ſuperſtitio *fuerit ortum, indicare ſtuduit* Cicero *loco cit. ab Auctore ad* §. *II. an rem acu tetigerit, non diſquiram; longius ſaltem quaeſita, etiam meris Grammaticis, videretur derivatio, niſi* Ciceronem *haberet Auctorem.*

§. II.

Atque hinc quantopere *vera religio* & *ſuperſtitio* a ſe invicem differant, patet. Illa non alium, quam verum Deum, & ea quidem ratione, qua coli vult ac debet, colit; *haec* aut

aut aliud quid, quam verum Deum, aut alio ſaltem modo, aliaque ratione, colit. Illa immotis certisque nititur veritatibus, quas ſanae mentis homo repudiare nequit; haec adfectibus pravis, figmentis, commentisque ſubinde ludicris, quae ſanae mentis homo nunquam admiſerit. Unde ratione omni ſe deſtitutos demonſtrant, qui religionem cum ſuperſtitione confundunt, nec hanc ab illa differre, ſibi aliisque perſuadere annituntur. *

* Eo diligentius, hoc, quod, ni fallor, luculenter expoſui, obſervandum eſt, religionis & ſuperſtitionis diſcrimen, quod ſolennius eſt Atheis, haec inter ſe commiſcere, & ſub ſuperſtitionis nomine etiam religionem refutare atque traducere. Sane quidem non negaverim, Veteres quandoque religionis voce pro ſuperſtitione uti, ut cum T. LUCRETIUS CARUS, de *natura rerum lib. I.* dicit:

Tantum religio potuit ſuadere malorum.

Quae verba cum JOANNES TOLANDUS adduxiſſet, ſubjicit: *Ubi notandum eſt, religionis voce in plerisque auctoribus claſſicis non genuinam denotari pietatem, aut internum Numinis cultum, ſed pro quavis abſurdiſſima ſuperſtitione uſurpari, (quod mille poſſemus demonſtrare exemplis) ac maxime pro externis ritibus & ceremoniis; quo ſenſu idem Lucretius notari debet, quando dicit:*

Religio peperit ſceleroſa atque impia facta,

adeiſidaem. pag. 70. Verum & illud certum eſt, minus accurate loqui, qui hac voce ita utuntur, quemadmodum alii caute & circumſpecte religionem a ſuperſtitione diſtinguunt. LUCRETIUM autem hoc non facere, mirum non eſt, cum Epicuraeis, utpote Atheis, omnis religio non niſi mera videri potuerit ſuperſtitio. Ceterum etſi TOLANDUS haec velut improbando referat, & ſubinde teſtetur, ſe religionis ac ſuperſtitionis diſcrimen agnoſcere, revera tamen omnia ſaltem ad caliginem imperitorum animis offundendam pertinent. Cum enim non alium, ut ſupra jam demonſtratum, quam ipſam naturam admittat Deum, quaenam quaeſo ejus poteſt eſſe religio? aut nonne omnis religio revera vana & inepta, hoc eſt, mera ſuperſtitio ei videri poteſt? Sed, ut reliquis Atheis, ita & TOLANDO ſolenne eſt, vocibus ludere, ſimulque illudere lectoribus. Sapientiam namque, religionem, pietatem,

tatem, dum in ore habent, nihil aliud intelligunt, quam cognitionem rerum caussarumque naturalium, qua induratus animus omni metu, tum praesentium, tum futurorum, exsolutus, & ad omnes casus paratus sit, nec vacillet unquam, aut turbetur, eo, quod probe sciat, nihil esse, nisi naturale, nec contingere quicquam, nisi quod secundum ordinem naturae necessario contingere debebat. Paucis: talis juxta Atheos est vir pius & religiosus, in quem illud VIRGILII quadret:

Felix! qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

Georgicor. libr. II. vers. 415. Atque hinc, qualis & TOLANDI, quam prae se fert, religio sit, intelligere licet, quam & ex callidae dissimulationis tenebris evolutam exhibet JAC. FAYUS, in *defensione religionis, &c. part. I. cap. IV. pag.* 25. *seqq.* Ceterum, quod diximus, nonnullos Gentilium, ex ipsis etiam Philosophis, religionem a superstitione rite discrevisse, id vel CICERONIS testimonio constat, qui & utriusque vocis veram originem simul nos condocet: *Cultus autem deorum est optimus, idemque castissimus, atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur; non enim Philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt adpellati, quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, sunt dicti religiosi, ex relegendo, ut elegantes ex eligendo, tanquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. Hic enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem, quae in religioso. Ita factum est in superstitioso & religioso, alterum vitii nomen, alterum laudis;* de *natur. deor. libr. II. cap. XXVIII. pag. m.* 1224.

§. III.

Cum vero non una ratione a recto Numinis cultu homines aberrare queant, non unum quoque datur superstitionis genus. * Primo autem loco merito illi commemorandi sunt, qui non verum Deum, sed ejus loco aliud quid, ut Solem, Lunam, ceteraque coeli Sidera, aut reliquas res creatas, vel

ipsos

ipſos etiam homines colunt. Quae ſuperſtitionis ſpecies *idololatriae* nomine venit, eſtque vel *craſſior*, cum quis directe & ipſa animi ſententia rebus creatis divinitatem tribuit, vel *ſubtilior*, cum quis indirecte & animi adfectu idem facit, amore, qui ſoli Deo debetur, ſe ipſum, vel alios homines, aut res creatas proſequendo, vel alia ratione. **

* Duplici potiſſimum ratione contingere poteſt, ut in Numinis cultu ſe perverſe gerant homines; primo, ſi circa *objectum* cultus religioſi, deinde, ſi circa *modum*, a recto tramite aberrent. Hinc omnia ſuperſtitionum genera ad duas velut claſſes revocari poſſunt. Si circa objectum aberretur, *idololatria* inde oritur, quam nonnulli a ſuperſtitione diſtinguunt, hac voce illud vitium deſignantes, quo circa modum aberratur, quos etiam ſecutus ſum in *inſtitutionib. Theolog. moral. part. II. cap. III. ſect. I.* ad §. *LXXIX.* Hic vero vocem ſuperſtitionis in latiori, ut antea jam monuimus, ambitu ſumimus, prout omnem, quae in cultu Numinis conſpicitur, perverſitatem denotat, ſive ex objecto, ſive ex modo oriatur. (372)

(372) *Suam definitionem ita interpretatur Cl. Auctor, ut comprehenderet utramque ſuperſtitionis ſpeciem; verum ſi ſimpliciter dicatur*, ſuperſtitionem eſſe praepoſteram & perverſam Deum colendi rationem, *nemo facile exinde colliget, cultum, qui non circa Deum, ſed circa objectum aliquod a Deo diverſum verſatur, ſub eadem denominatione venire poſſe. Si quis Solem, Lunam, caeteraque coeli Sydera, aut reliquas res creatas colat, inſtar Numinum, omiſſo religioſo cultu veri Dei, dici non poteſt*, perverſa ratione Deum colere; *cum Eum penitus non colat, ſed, Ejus loco, entia bruta, ſaltem finita atque creata; licet ſe* Numen *quoddam colere ſibi perſuadeat.*

** De origine, progreſſu, & praecipuis generibus craſſioris idololatriae, dictum a me in *hiſtor. eccleſiaſt. Vet. Teſt.* ad *per. I. ſect. II.* §. *XII. pag.* 241. *ſeqq.* ubi & auctores, qui hac de re ex inſtituto egerunt, laudavi. Nec perfunctorie obſervandum puto, quod ibidem luculenter, ni fallor, oſtendi, craſſiorem idololatriam a ſubtiliori originem trahere. Paucis autem, ſed ἐμφατικῶς, craſſiorem illam idololatriam deſcribit Gentium Doctor optimus Paulus, de Gentilibus aſſerens, eos *gloriam immortalis Dei ad imagines ſimiles hominis mortalis, & volucrum & quadrupedum, & ſerpentium tranſtuliſſe, Rom. I: verſ.* 23. Sed ab iſta idololatria, cujus foeditatem & abſurditatem ipſa ratio facile intelligit, (quemadmodum & Philoſophi, ac qui ſapientiores fuerunt inter

inter Gentiles, intellexerunt) liberata hodie per Dei gratiam magna orbis pars eſt, poſtquam religio Chriſtiana a plerisque gentibus eſt recepta, etſi adhuc quaedam ejusmodi tenebris immerſae hinc inde reperiantur. (373) Inter ipſos vero Chriſtianos, praeſertim in Eccleſia Romana, non deeſſe, qui non procul ab iſta idololatria abſint, conſtat, & alibi ex inſtituto docetur. (374) De ſubtiliori idololatria idem Gentium Doctor *Rom. II:* 22. eleganter loquitur: ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα, ἱεροσυλεῖς· Nimirum, qui ſibi ipſis, aut ſui cauſa, rebus creatis, ut avaritiam, ambitionem, voluptatisque cupiditatem expleant, plus, quam decebat, tribuunt, quamtumvis externam idololatriam deteſtentur; revera tamen nihil aliud agunt, quam ut, quae Deo debentur, ei eripiant, omnique eum ſpolient honore ac veneratione. Jungenda, quae hac de re dixi, *inſtitution. Theolog. moral. part. II. cap. III. ſect. I.* ad §. *LXXIX.*

(373) *Vix dicere licet, Religionem Chriſtianam a* plerisque *Gentibus eſſe receptam: hoc verum eſt de longe maxima parte Gentium Europaearum, imo etiam pleraeque ditiones, quas Turcarum Imperator in Europa poſſidet, incolas habent Chriſtianae Religioni addictos; ſed in maxima parte Aſiae dominatur Muhamedica, in reliquis regionibus Ethnica viget ſuperſtitio. In Africae regionibus Aegypto, Barbaria, Abyſſinia, Nubia, Nigritarum Terrâ Muhamedica Religio dominatur. Ethnicismus viget in China, Japonia, in imperio Magni Mogolis, aliisque Aſiae regionibus; in multis, praeſertim mediterraneis & meridionalibus, Africae locis; in Americae pluribus regionibus, praeſertim in Peruvia, Florida, nova Mexico, multi reperiuntur, qui craſſiori idololatriae ſunt dediti, & de Chriſto nihil unquam audiverunt, aut ad religionem, quae ab Illo nomen habet, non potuerunt perduci. Vid.* de Beauſobre *Introduction a l'etude de la Politique pag.* 446-462.

(374) *Reſpicere videtur Cl. Auctor ad cultum religioſum, quo Eccleſia Romano-catholica proſequitur Mariam, Angelos, Sanctos, horumque reliquias: nimium vero eſt notum, qua ratione Pontificii huncce ſuum colendi modum excuſare conantur, quam ut heic loci exhiberetur & revocaretur ad examen: accedit, quod ſacrificium Miſſae & Hoſtiae adoratio a plurimis inter Proteſtantes ſpectentur tanquam idololatria. Vid.* Velthuyſen *Oper. Tom.* 1. *pag.* 417. *ſeqq.*

§. IV.

§. IV.

Referre ad hancce claſſem quodammodo & illos licet, qui per errorem, nimiamque credulitatem, Deo ea tribuunt, quae ei minime tribuenda erant. Nec illi tantum hic peccant, qui nonnulla de Deo ſibi credenda putant, quae neutiquam a Deo, ut crederentur, ſunt revelata, * ſed & qui inſtinctus motusque mere naturales, pro divinis habent; eo difficilius ab errore liberandi, quo gravius ſe admiſſuros crimen metuunt, ſi quae divina eſſe putant, ceu humana aut naturalia, rejicerent atque repudiarent. Uude &, quousque *Enthuſiasmus* hic locum ſibi vindicet, patet. **

* Ut vera religio ſibi conſtet, non tantum circa objectum verum cultus religioſi verſari debet, ſed idem etiam objectum rite cognoſcendum eſt. Nec enim verum Deum recte colere poteſt, qui eum non recte cognoſcit. Deum autem non recte cognitum qui colit, eum perverſe colit, adeoque & ſuperſtitionis reus eſt. Tam late autem haec ſuperſtitionis ſpecies patet, quam ipſa Dei cognitio vera extenditur. Plurima autem eſſe, quae homines a Deo ſibi revelata eſſe, imaginantur, cum revelata non ſint, exempla quotidiana, ut dogma de *transſubſtantiatione*, de *purgatorio*, ſimiliaque, in Eccleſia Romana, ſed alibi quoque, obvia, docent.

** De Enthuſiasmo, variisque ejus generibus, cauſis item & reliquis eo ſpectantibus, ex inſtituto dictum *inſtitution. Theolog. moral. part. I. ſect. V. §. XVIII. ſeqq.* quae ut hic repetamus neceſſe non eſt. (375) Eo minus autem ad ſuperſtitionem eum referre dubitavi, quod non tantum Deum perverſe colant, qui hocce morbo laborant, ſed quod plerumque fons & ſcaturigo multorum aliorum actuum ſit, quibus Deus perverſe colitur, & ſuperſtitio ſeſe exerit. Intelligimus autem hoc de Enthuſiasmo vere tali, ſumta voce in partem deteriorem. Motus enim credentium vere divinos, aut Enthuſiasmi aut Superſtitionis nomine inſignire velle ſummum foret piaculum. (376) Obſervandum hoc contra Atheos, ſimileſque homines profanos, quibus vera & falſa, bona & mala, divina & naturalia, inter ſe confundere volupe eſt.

(375) *Conf. ea, quae obſervavi Cap. II.* §. 5. n. 82. *Conſiſtit Enthuſiasmus in perſuaſione lubricis falſisque fundamentis nixa, Spiritum Dei in*

ſe agere immediate & modo ſupranaturali, ſive per revelationes peculiares, ſive per qualescunque impreſſiones in animo factas; licet id, quod in ſe experiuntur, nihil aliud ſit, quam effectus mere naturalis ferventis imaginationis, aut vehementiorum animi adfectuum. Sic Enthuſiaſtae Deo tribuunt ex errore & credulitate ea, quae ab Eo non proficiſcuntur, niſi quatenus nihil ſit absque divina Providentia; atque adeo, cum non penitus injuſtam calumniandi anſam praebent Atheis ac Religionis verae irriſoribus, ingens detrimentum adferunt ſinceris ſummi Numinis cultoribus.

(376) *Plerumque ſatis facile diſcernere licet motus vere divinos, qui in credentibus ſe exſerunt, a ſuperſtitione Enthuſiaſticâ. Enthuſiaſtae enim ſomniare ſolent, Dei Spiritum ſine mediis, quae exhibentur in Revelatione, ſine auditione verbi divini, homines ad ſe trahere, illuminare, ſalvosque facere. Sed Spiritus Sanctus in credituris intellectum illuminat, ignorantiae nubes, ac praejudiciorum nebulas efficaciſſime pellit, verbo Dei ejusque praedicatione utens, hominique perſuadens de ſua miſeria, & de reconciliationis cum Deo neceſſitate; non vero mentem rationalem agitat tanquam brutam machinam. Sic omnes illi motus ſuſpecti ſunt habendi, qui ſolidam veritatum ſalutarium cognitionem, & rationalem perſuaſionem de Religionis, quam profitemur, veritate non habent comites.*

§. V.

In modo etiam verum Numen colendi, vel maxime ſuperſtitio ſeſe exerit; idque iterum non una ratione. Interdum enim ipſum Numinis mandatum in ejus cultu ſe ſequi homines exiſtimant, per errorem tamen, falſamque imaginationem, non recte illud intelligentes, aut ultra, quam par erat, extendentes. Cumque leges divinae vel negativae ſint, vel affirmativae, in utrisque quandoque ſuperſtitio campum ampliſſimum, in quo vim ſuam exerat, invenit. *

* Omnis equidem ſuperſtitio non Dei mandato, ſed figmentis, vanisque ingenii humani commentis nititur. Interdum tamen contingit, ut ſpecies quaedam juris ac mandati divini adſit, quae in aliis generibus ſuperſtitionis deeſt, de quibus deinceps dicemus. Nunc ergo de ea ſuperſtitione loquimur, quae ſpeciem quandam mandati divini habet, per

per erroneam legis interpretationem, aut indebitam ad ea, quae nec prohibita sunt, extensionem, idque tum qua omissionem, tum qua commissionem. Utriusque exempla passim prostant. Ad omissionem superstitiosam referre licet illa Apostoli: μηδὲ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς, *Coloss. II:* 21. Erant nimirum in primitiva Ecclesia, qui haud dubio ex superstitiosa Pharisaeorum schola, prodierant, qui sibi aliisque persuadebant, nefas esse, hoc aut illo ciborum genere vesci, quia a Deo prohibita essent; immo nefas esse, hoc aut illud attingere, ne quis pollueretur; sed legitimas quoque nuptias damnabant, & inter vetita referebant. Nimirum Deus equidem in Veteri Testamento certas de animalibus puris & impuris leges sanciverat, itemque de impuritate, quam quis ex cadaveris, aut alterius rei impurae, contrectatione contrahere poterat. Hasce leges recte observabant ii, quibus datae erant, & quamdiu vim habebant obligandi. Sed, qui illas aliis etiam obtrudebant, easque observandas contendebant, cum earum obligatio jam cessaret, superstitionis rei erant. (377) Multo magis eodem crimine se obstringebant, dum nuptias a Deo prohibitas fingebant, quae tamen licitae erant; cujusmodi homines in veteri Ecclesia extitisse, ex *constitutionibus*, quas vocant, *Apostolicis* discimus: τοιαῦτα καὶ νῦν ἐποίησαν οἱ δυσώνυμοι, διαβάλλοντες δημιουργίαν, γάμον, πρόνοιαν, τεκνογονίαν, κ. τ. λ. *consimiles libros nunc quoque ediderunt inauspicati homines, calumniantes creationem, nuptias, providentiam, procreationem liberorum, &c. lib. VI. cap. XVI.* Sunt, qui putant, Apostolum, *loc. cit.* ad Pythagoraeos, vel Gnosticos potius, qui ex Pythagorae schola quaedam acceperant, respicere, eo quod abstinentia ab esu animalium haud ultima pars disciplinae Pythagoraeae esset; vid. HUGO GROTIUS, atque HENRICUS HAMMONDUS, ad *h. l.* Quod minus equidem verosimile mihi videtur, cum, quae Apostolus adfert, Pharisaicam superstitionem satis aperte redoleant. Interim ipsa illa Pythagoraea ab esu animalium abstinentia, superstitionis ejusmodi, de qua hic verba facimus, exemplum praebet; ex hac quippe opinione orta, quod omnium inter se esset cognatio quaedam, & anima ex uno corpore in aliud transiret. Hanc enim istius rei causam, de abstinentia illa disserens, adfert SENECA: *At Pythagoras, omnium inter omnia cognationem esse, dicebat, & aliorum commercium in alias atque alias formas transeuntium; Epist. CVIII. pag. m.* 534. Etenim, si temperantiae causa saltem ab esu animalium abstinuissent; si non laudem, certe excusationem promeruissent. Sed, cum errore vano ducti, ob rationem allatam, cum jure naturae illicitum putarent, si, quae a SENECA dicta, admittamus, a superstitione quadam absolvi non poterant. (378) Et ea quidem ratione saepissime homines vetitum aliquid esse, sibi imaginantur, quod vetitum non est. Rursus vero & praeceptum aliquid esse putant, quod tamen praeceptum non est. Exemplum

plum rursus Pharisaei praebent, praeter alia in phylacteriis haud exiguam religionis partem constituentes, inque iis ad ineptias usque superstitiosi, uti ex iis, quae ipse R. MOSES MAIMONIDES, *tractat. de Thephillin*, aliique ejusdem gentis magistri de iis disputant, patet. Errore namque ducti ab ipso Mose ejusmodi quid sibi praeceptum esse, existimabant, *Exod. XIII:* 16. & *Deut. VI:* 8. cum tamen istorum locorum is minime sensus sit, ut alibi ostensum. Legenda, quae in compendio hac de re disserit AUGUSTUS PFEIFFERUS, in *antiquitatib. Ebraic. selectis cap. XI.* cumprimis §. *IV.* (379) In hisce tamen omnibus rite dijudicandis cautio adhibenda; primo quidem, ne in alterum curramus extremum, & ea aut prohibita aut praecepta negemus, quae revera prohibita aut praecepta sunt; multo minus eos, qui evitant, quae revera prohibita sunt, aut faciunt, quae sunt praecepta, statim superstitionis arguamus. Si quis enim, e. g. ad monitum Apostoli *Rom. XII: vers.* 2. τὸ σχῆμα hujus mundi in sermone, gestu, aliisque rebus, quae vulgo pro indifferentibus habentur, sed revera illicitae sunt, assumere nolit, tantum abest, ut jure superstitionis argui queat, ut suis potius quam rectissime rebus consulat. Deinde, si quis forte per imbecillitatem ductus in errore quodam versetur, non statim ceu homo superstitiosus traducendus aut rejiciendus est. Tales enim tolerandos, & aequo ferendos animo, immo cavendum, ne temere eos offendamus, Paulus Apostolus nos condocet, *Rom. XIV:* 15. *seqq.* it. 1 *Corinth. VIII:* 11, 12, 13.

(377) *Facile excusari possent illi, & ab superstitionis macula liberari, qui leges cerimoniales sibi datas observabant, etiam cum earum obligatio jam cessaret: Lex quippe cerimonialis non fuit abrogata per Legislatoris divini declarationem expressam omnibusque notam; sed umbrae evanescere debebant, ipso veniente corpore undique vividissimo lumine splendente: Judaei vero, se certos existimabant, legem Mosaicam duraturam, donec ipsa Gens Israëlitica subsisteret: adeoque Deum quidem perversa ratione colebant, ritibus antiquis adhaerentes; sed, licet eorum ignorantia non penitus esset invincibilis, Conscientiae tamen, utut erroneae, sequebantur motus; quos nos facilius erroneos deprehendimus, postquam fulgentiori Euangelii lumine fuimus gavisi.*

(378) *Vid.* Bruckerus *Hist. Crit. Philos. Tom.* 1. *pag.* 1036. *seq. Cl.* Buddeus *provocans ad* Senecae *locum, addere debuisset ea, quae sequuntur, quaeque omnium maxime ad rhombum faciunt; adjicit enim:* Interim hominibus sceleris ac parricidii metum fecisse, cum possint in parentis animam inscii incurrere & ferro morsuque violare, in quo cognatus aliquis Spiritus hospitaretur.

(379) *Vid.* Lundius *Joodsche Heiligd. IV. Boek XIV. Hoofdst.* 53. *Afd.* Goodwini *Mos. & Aar. Tom.* 1. *pag.* 101. *seqq.* D Knibbe *Republ. der Hebreen X. B. VII. H.* Reland *Antiq. Sacr. P.* 2. *C.* 9. §. 15. *qui sufficere possunt, ut patescat, quanta circa haecce Phylacteria apud Judaeos, praesertim apud Pharisaeos viguerit superstitio.*

§. VI.

In eundem hic censum merito & illi veniunt, qui in solo cultu Dei externo spem omnem salutis collocant, de interno, seu animo a vitiorum sordibus per veram poenitentiam purgando, parum soliciti. Placet namque plerisque mortalium ista colendi Deum ratio, eo quod cum pravis, quibus indulgent, cupiditatibus, eam consistere posse, sibi persuadent. Quia tamen revera & hic perversus praeposterusque Numinis cultus est, non alio, quam superstitionis nomine est insigniendus, quamvis aliis *religio superficiaria*, eodem tamen sensu, dicatur. *

* Loquimur de eo cultu Numinis externo, qui ab eo praeceptus est, aut saltem a Deo praecepto non adversatur. Hic enim, etsi in se spectatus recte se habeat, & non modo licitus, sed quandoque prorsus necessarius sit, in meram tamen superstitionem degenerat, quando homines eo solo, misso cultu interno, se Deo placere posse, existimant. Quid enim aliud perversa ratio Numen colendi est, si hoc non est? Mirifice mihi semper placuerunt, quae hac de re scripsit SAMUEL PUFENDORFIUS: *Est praeterea & illud circa diversitatem religionum in universum observandum, complures earum satis habere, actibus ac ritibus quibusdam exterioribus defungi, qui etiam absque interiore emendatione & sanctimonia animae peragi possunt; quam tamen Deus praecipue in genuino sui cultu requirit. Idque inde provenit, quod ii, queis Deus veram religionem manifestavit, irrepente paulatim tepore ac segnitie, libidinibus frenum injicere, animumque iisdem expurgare, durum nimis judicarunt; eoque demum devoluti sunt, ut exterioribus acquiescerent, ac ejusmodi religionem comminiscerentur, per quam cupidinibus suis indulgere possent, ac simul tamen de pace Numinis opinionem conciperent. Illi autem, qui sibimet ipsis religionem invenerunt, omnes in eo consensere, ut eandem fere ad exteriores quosdam actus redigerent, qui etiam ab impurissimis hominibus exacte observari possent. Sicuti & fieri non potest, ut citra divinam revelationem hu-*

humanum ingenium religionem possit excogitare, quae ad purificandum animum pertingat. Unde in universum religionem possis dividere in solidam & superficiaram, *seu histrionicam. Sane, si omnes commentitias religiones, veteres juxta ac recentes excutias, omnes ad superficiariarum classem referendas agnoscas, quae fere certis ritibus absolvuntur; ac si maxime quid de moribus adspergant, id tamen expurgandis humani pectoris sordibus haud quidquam sufficit. Sacrum autem codicem evolventi perpetuus labor divini spiritus adparebit circa eam opinionem animis hominum eradicandam, quasi ad cultum divinum qualescunque actus externi sufficiant, nisi interna animi purificatio adfuerit. Et quanquam sapientiae divinae placuerat, populum Israëliticum operosarum jugo ceremoniarum adstringere, ac praecipue per sacrificia futuram mundi expiationem a Messia praestandam ipsorum animis subinde ingerere: tamen cum isti in solis istis ritibus defixi haererent, ac demum Messiae fere obliti, per victimas revera animi sui labem expiare, ac earum animas in sui locum substitui sibi persuaderent, adeoque totum cultum Leviticum in superficiariae religionis instrumentum verterent, Deus per Prophetas eum errorem subinde castigabat, uti & quod legi morali qualicunque actus externi observantia satisfieri putarent. vid.* 1 *Sam. XV:* 22. *Psalm. L:* 8. *seqq. Esa. I: vers.* 1. *seqq. XXIX:* 13. *Jerem. VI:* 20. *VII:* 3. *Amos. V:* 21. *seqq. Mich. VI:* 6, 7, 8. *& passim. Sic & Salvatori nostro maximum fuit certamen cum sui temporis Judaeis, qui divinitus traditam religionem fere in superficiariam veterant; vid. Matth. V:* 20. *seqq. VI:* 1-18. *XV:* 1-20. *XXIII:* 13-28. *Marc. VIII:* 1-23. *Luc. XI:* 38-47. *XIV:* 33. *XVII:* 20, 21. *in jure feciali divino, seu de consensu & dissensu inter Protestantes, &c. XI. pag.* 42. *seqq.* Non minus lectu digna, quae de Romanensibus subjicit, eorum totam fere religionem superficiariam esse. Nec tamen aut Judaei soli, aut Pontificii hocce morbo laborant, ad quem omnes homines natura sua sunt pronissimi. Quo enim illis molestius est cupiditatibus pravis, quibuscum verus & internus Numinis cultus consistere nequit, quippe qui animum purum castumque, Deique amorem, omnibus hujus seculi rebus praeferentem, requirit, frenum injicere, eo avidius eam religionis speciem arripiunt, qua se Deo gratos esse putant, etiamsi vitiorum sordibus immersi maneant. Quare ut olim in scriptis Prophetarum Veteris Testamenti nihil fere frequentius, quam quod Judaeos hoc nomine objurgaverint, demonstraverintque, preces, sacrificia, jejunia, si fides, seriumque pietatis ac virtutis studium, absit, Deo minime grata esse; ita & ad hodiernum usque diem cordatissimi quique Doctorum Ecclesiae Euangelicae idem sibi datum crediderunt, ingentem illam, quae per errorem huncce plurimis mortalium infertur, stragem perspicientes, aegerrimeque ferentes. Neutiquam autem haec ita capienda sunt, ac si cultui externo Numinis legitimo hac ratione quidquam

dero-

derogetur. Hic enim prout ad cultum internum promovendum, ac conſervandum facit, non tantum utilis, ſed prorſus neceſſarius eſt, legeque divina nititur. Eadem enim lex, quae jubet, ut Deum colamus, ſimul etiam jubet, ut media cultum internum promovere apta, adhibeamus. Idque cum ipſa ratio dictitet, hactenus etiam dici poteſt, cultum externum niti jure naturae, prout ex ipſa ratione nobis innoteſcit. (380) Prout vero cultus divinus externus ejusmodi quid ſupponit, quod ex revelatione tantum conſtat, uti Sacramenta, & tota Euangelii doctrina, directe quidem ratio de eo nihil cognoſcit; quod & de legibus particularibus, quibus cultus externus Veteris Teſtamenti nitebatur, intelligendum: quanquam in hiſce omnibus principium illud generale Juris Naturae, homini ea omnia facienda, quibus ſalutem ſuam promovere poteſt, fundamenti loco ſubſternatur. Cultus praeterea externus, in ſe & absque cultu interno ſpectatus, animas hominum a vitiorum ſordibus purgare nequit; prout autem ad excitandam, fovendam, confirmandam fidem, qua hominum corda purgantur, *Actor. XV:* 9. neceſſarius eſt, facile intelligitur, quousque etiam ad cordium purgationem aliquid conferre queat. Sed neceſſitatem cultus externi legitimi, & in uſu ſuo recte ſpectati, pluribus adſtruxi in *inſtitut. theolog. moral. part. II. cap. III. Sect.* 2. §. *XVIII. ſeqq.*

(380) *Uti cultus externus, ſi internum non habeat comitem, hypocriſin redolet; ſic cultus internus in plerisque caſibus absque externo conſiſtere non poteſt:* Quicunque enim (*ſunt verba* Jac. Gab. Wolffii *in Inſtit. Juriſpr. Nat. Part.* 2. *Sect.* 1. *Cap.* 1. §. 10.) Deum vero modo colit, non poteſt non quavis data occaſione, amoris, quem pectore fovet, externa edere in humana ſocietate documenta. Fruſtra enim magnifice de amore ſuo interno ſentit, qui externis eum ſignis omnino non exprimit: fruſtra etiam metum Divini Numinis crepat, in cujus actionibus nulla illius veſtigia obſervare licet. *conf.* de la Chapelle *de la neceſſité du culte public paſſim, cui tamen in omnibus adſentiri nequeo. Uti vero is, qui omnem Dei cultum in externis ritibus reponit, a ſuperſtitione abſolvi nequit, ſic ab altera parte in ſimile vitium incurrit, qui externum illum cultum, in ſe laudabilem & neceſſarium, ubique exercet, non reſpiciens ad circumſtantias, in quibus verſatur: abſtinendum potius ab actibus externis, ſi forte in talium hominum conſortium inciderimus, qui anſam inde arriperent ridendi ſanctiſſimas veritates. Imo qui vitae communis negotia continuo negligunt, ut cultus publici exercitio adeſſe poſſint, raro agunt ex laudabili principio, & a ſuperſtitione abſolvi nequeunt, cum idem ille Deus, qui publice coli voluit ab hominibus, etiam juſſerit, ut iidem laborarent, & ſic ſibi ſuisque proſpicerent de illis, quae*

quae ad vitam ſuſtentandam ſunt neceſſaria, quaeque divina providentia non ſuppeditat per miracula.

§. VII.

Subinde & ulterius homines progrediuntur, & ſibimet ipſis cultum quendam Numinis externum fingunt, qui nec mandato divino ſpeciali nititur, nec generali, dum ad cultum internum aut promovendum, aut conſervandum, nihil facit. Quo gravius autem peccant, in eo omnem religionem collocantes, eo turpior eſt ſuperſtitio, cujus hoc ipſo rei fiunt; quae ſpeciatim ἐθελοθρησκείας nomine venire ſolet. *

* Vox ἐθελοθρησκεία, qua Paulus *Coloſſ. II: verſ.* 23. utitur, *cultum voluntarium* & *ſpontaneum* denotat, ut ERASMUS SCHMIDIUS, ad *h. l.* pluribus oſtendit. Paulus tamen in malam partem eam accipit, eaque ſuperſtitionem illorum deſignat, qui ἐντάλματα & διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων docebant. Hi autem quoniam ſub προφάσει cultus ſpontanei & voluntarii illud faciebant, ideo Gentium Doctor ἐθελοθρησκείαν illis tribuit. Ut enim reliquis mortalium vitiis, ita & ſuperſtitioni non temere color aut ſpecies deeſt, qua incauti fallantur; conf. ABR. CALOVIUS, ad *Coloſſ. II:* 23. Poteſt equidem generatim omnis ſuperſtitio hac voce deſignari, cum homo ſuperſtitioſus in perverſa colendi Deum ratione, non mandatum aut praeceptum divinum, ſed ſuum potius ingenium, ſuumque arbitratum, ſequatur: ſpeciatim tamen rectiſſime de iis adhibetur, qui cultum Numinis, omni mandato divino ſpeciali & generali deſtitutum ſequuntur, adeoque nihil aliud, quam ἐντάλματα & διδασκαλίας ἀνθρώπων pro norma habent & in eo omnem religionem collocant. Tales utique Apoſtolus, *loc. cit.* deſignat. Unde & quo pacto haec ſuperſtitionis ſpecies a praecedenti differat, patet. Illicitam autem prorſus eſſe ejusmodi ἐθελοθρησκείαν, haud difficulter probari poteſt. Cultus enim Numinis majeſtati ejus & dignitati reſpondere debet; adeoque ſolus Deus, quo pacto coli velit, hominibus poteſt revelare. Id autem abunde fecit, primo quidem quodammodo per rectam rationem, ſed plenius & ſufficienter per revelationem. In hocce itaque cultu, qui non acquieſcit, ſtolido conatu aliquid ſibi tribuit, quod hominum vires longiſſime ſuperat, immo ipſo velut Deo ſapientior ſibi videtur. Cultus praeterea Dei reſpondere debet ejus cognitioni. Prout ergo homo non aliter Deum cognoſcere poteſt, quam prout ſe hominibus revelavit, ita nec aliter eum colere debet, quam prout ſe coli velle ipſe-

ipſemet oſtendit. Non alia denique cauſa eſt, cur miſere mortales ad ἐθελοθρησκείαν adeo proni ſunt, quam quoniam hac ratione religionem ſe inventuros ſperant, quacum pravae illorum conſiſtere queant cupiditates; quo ipſo animum perverſum ſatis ſuperque indicant. Deus equidem in Veteri Teſtamento per leges ſpeciales populo Iſraëlitico datas, nonnulla ſancivit, quae in ſe ſpectata, ſunt arbitraria. Quemadmodum vero Deo cauſae graviſſimae ſanctiſſimaeque fuere, cur illud faceret, quae alibi ex inſtituto explicantur; ita quod Deus fecit, non ſtatim hominibus imitari fas eſt. Habent mortales ſatis ſuperque, quod agant, ſi ea obſervare rite velint, quae interni cultus ratio, ſed externi quoque, prout mandato divino nititur, ab omnibus poſtulat, ut ſuis in cultu Numinis inventis facile carere queant. Quod ſi etiam ſemel ea in re ingenio ſuo indulgere coeperunt, facile ad abſona quaevis, inepta & Deo plane indigna prolabuntur. Non Ethnicorum impias ſuperſtitiones, bacchanalia, eleuſiana ſacra, & reliqua commemorabo, in quibus eo usque illorum inſania proceſſit, ut ejusmodi inſtitutis ſe Deum colere arbitrarentur, quibus non poterat non vel maxime offendi, immo quibus nihil turpius, nihil execrabilius cogitari potuit. Namque & inter eos, qui Chriſtianorum nomine veniunt, non defuerunt, qui ineptae ejusmodi & prorſus abſonae ſuperſtitionis exemplum praeberent. Inter Veteres Haereticos & Aſcitae commemorantur, quaſi *Utrarios* vel *Utricularios* dicas, a voce ἀσκὸς, quae *utrem* ſignificat; *quem geſtare,* inquit AUGUSTINUS, *perhibentur inflatum & apertum circumire bacchantes, tanquam ipſi ſint Euangelici utres novi, vino novo repleti;* de *haereſib. cap. LXII.* Jungendi his Pattalorinchitae, qui, ut idem Hipponenſium praeſul auctor eſt, *in tantum ſilentio ſtudent, ut naribus & labris ſuis digitum opponant, ne vel ipſam taciturnitatem voce praeripiant, quando tacendum ſibi eſſe arbitrantur?* qui tamen ſimul profitetur, cum πάτταλος graece *palus* dicatur, δάκτυλος autem *digitus*, ſe neſcire, cur non *Dactylorinchitae* potius dicti ſint, quam *Pattolorinchitae;* ῥύγχον enim ſignificare *naſum, loc. cit. cap. LXIII.* Nec praetermittendi Heracleonitae, de quibus idem auctor: *Feruntur autem ſuos morientes novo modo quaſi redimere, id eſt, per oleum, balſamum, & aquam, & invocationes, quas hebraicis verbis dicunt, ſuper capita eorum: loc. cit. cap. XVII.* Quis vero non miretur Ophitas, a Serpente ſeu colubro dictos, quem nutriebant & venerabantur, qui & incantante Sacerdote egrediebatur de ſpelunca, & adſcendebat ſuper altare innixum ſpeluncae, & oblationes eorum lambebat, & poſtquam circa eas ſe involverat, regrediebatur ad ſpeluncam, & ita confringebant oblationes in Euchariſtiam, quaſi a ſerpente Chriſto ſanctificatas, ut idem AUGUSTINUS auctor eſt, *loc. cit. cap. XVII.* Immo quis non cum ſumma deteſtatione abominetur Cataphrygum & Pepuzianorum,

rum, item Gnosticorum & Manichaeorum sacra; quorum illi sanguini humano, hi semini panem Eucharisticum permiscuisse dicuntur? Ad istam vero tandem insaniam, quid aliud, quam ἐθελοθρησκεία homines perduxit? Verbo enim divino si stricte inhaesissent, nec suo ingenio, novumque cultum comminiscendi libidini, nimium indulsissent, nunquam ad istum impietatis & stultitiae pervenissent gradum.

§. VIII.

Ista Superstitionis species, quam ἐθελοθρησκείαν dicimus, in ritibus maxime ac ceremoniis variis sese exerit. Enimvero ut cultus Numinis externus sine ritibus ac ceremoniis esse nequit, cum inter Christianos etiam πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fieri debeant; ita, qui ritus & ceremonias superfluas minusque necessarias aut excogitant, aut sectantur, ita quidem, ut, si non omnem tandem religionem, praecipuam tamen ejus partem, in iis collocent, ejusmodi ἐθελοθρησκείας & Superstitionis reos esse, non temere quisquam negaverit. *

* Exempla plurima ejusmodi Superstitionis & ἐθελοθρησκείας Romanenses praebent, qui, ut SAMUEL PUFENDORFIUS recte pronuntiat, *simplicitatem genuinae religionis Christianae infinitis ceremoniis adornarunt, exteriora sensuum distinentibus, nulla cordis munditie.* *Exempli causa*, ita idem pergit, *tetigisse suffecerit precum plerumque non intellectarum, ac in summis labiis natarum battologias, expresse a Salvatore improbatas, Matth. VI: 7. quas ad rosarii globulos admetiri moris est. Quo fine recens scriptor Gallicus ab omnibus feminis Hispanicis lautae conditionis rosaria gestari tradit, tantum non in terram propendentia, quae sine fine recitent, dum per plateas incedunt, inter chartarum ludum, inter confabulationes cum aliis; quin, dum amoribus operantur, dum mentiuntur, aliosque traducunt. Inter ista semper ad rosarii ductum aliquid demurmurant, etiam ubi in magno hominum coetu versantur*, &c. in *jure feciali divino* §. XI. *pag.* 44, 45. Sed praeter *rosaria* huc etiam pertinent *processiones solennes*, *aqua lustralis*, *horae canonicae*, *unctio extrema*, *vestimentorum*, quorum in sacris usus est, *genera varia*, in quibus nonnulli insuper per interpretationem allegoricam magna mysteria quaerunt, & quae alia sunt ejusdem generis, numero fere infinita, de quibus, qui de ritibus Roma-

Romanae Ecclesiae ex instituto egerunt, JO. STEPHANUS DURANTUS, BARTHOLOMAEUS GAVANTUS, JO. BAPTISTA CASALIUS, aliique, plura suppeditant. Haec enim omnia, & quae reliqua sunt ejusdem generis, cum nullo Numinis mandato, nec generali, nec speciali, nitantur, internumque Numinis cultum impediant potius, quam promoveant, non alio profecto, quam superstitiosae ἐθελοθρησκείας loco, haberi possunt.

CAP. IX.

DE

IIS SUPERSTITIONUM GENERIBUS, QUAE INDIRECTE CIRCA NUMINIS CULTUM VERSANTUR.

Σύνοψις.

Illae hominum opiniones, actionesque, quibus rebus creatis, aut mediis gratiae, ea tribuunt, quae illis tribuenda non erant, ut indirecte Numinis cultum evertunt, ita superstitionis nomine itidem recte insigniuntur, §. *I.*

Pertinent itaque huc, qui mediis gratiae non eo, quo par erat, modo, nec eum in finem, in quem constituta sunt, utuntur, §. *II.*

Deinde illi, qui rebus creatis, & primo quidem spiritibus, plus, quam decebat, tribuunt, unde magia, & artes magicae, §. *III.*

Non minus & illi, qui ea ratione circa efficaciam & operationem astrorum aberrant, unde superstitio astrologica, §. *IV.*

Superstitio & credulitas hominum circa plantas, lapides, animantium partes; item, circa litteras, voces, characte-

racteres; ubi & de amuletis periaptis, ſimilibusque, ut & de omnibus, §. V.

Temporum, locorum, nominumque propriorum fatalitas, ſuperſtitione non caret, §. VI.

Denique & illi rebus creatis, plus quam decebat, tribuunt, qui ex iis futura, quae revelare, aut indicare nequeunt, condiſcere cupiunt; unde & ſuperſtitio divinatoria, cujus iterum variae ſunt ſpecies, §. VII.

§. I.

Solent ſubinde miſeri mortales ex animi levitate, ſtolidaque credulitate, multa ſuſcipere, quae directe quidem ad cultum Numinis non pertinent, indirecte tamen eundem evertunt, adeoque cum vera religione conſiſtere nequeunt; hinc & merito itidem ſuperſtitionis nomine comprehenduntur. Illas nimirum hominum opiniones actionesque cumprimis indigito, quibus rebus creatis, aut ipſis etiam mediis gratiae, ad hominum ſalutem a Deo ordinatis, ea tribuunt, quae Deo potius tribuenda erant, vel aperte ſaltem hominem ejusmodi, honorem Deo debitum illi non reddere, arguunt. *

* Sunt ea, quae hic in cenſum veniunt, maximam partem ita comparata, ut, cum ex inepta & prorſus ridicula credulitate proficiſcantur, ſummumque judicii defectum in ejusmodi hominibus arguant, pro ſtultitiae potius, quam ſuperſtitionis documentis habenda videantur. Quemadmodum vero haec omnia ex unico fonte, nimia & inepta credulitate, accedentibus tamen adfectibus diverſis, ut deinceps dicemus, profluunt, ita, licet directe quidem circa Numinis cultum non verſentur, cum vero tamen & genuino cultu conſiſtere nulla ratione poſſunt, & hactenus rectiſſime Superſtitionis nomine inſigniuntur. Qui enim mediis gratiae, verbo Dei, & ſacramentis, alium in finem utitur, quam in quem Deus ea conſtituit; qui ſpiritibus malignis ea tribuit, quae Deo tribuere debebat, vel contra Numinis mandatum, eorum ope & auxilio uti conatur; qui imtempeſtiva curioſitate ductus, ex aſtrorum poſitu aut aliis ſignis futura, quae Deus revelare

noluit, condiscere annitur; qui ad mala evitanda, morbosque depellendos, non mediis a Deo ordinatis, sed characteribus, amuletis, similibusque utitur, aut alia ejusdem generis designat; de eo sane, quod Deum, ut decet, & ut vera fides postulat, diligat, timeat, fiduciamque in eo solo collocet, (quae cultus interni summa est) dici nequit. Accedit, quod in hisce omnibus ad credulitatem ineptam pravus aliquis adfectus, avaritia, metus inconsultus, & diffidentia in Deum, aut intempestiva cupiditas per illicita aliquid obtinendi, accedat; qui profecto cum sincero Numinis amore, aut timore filiali, consistere nequit.

§. I I.

Et ad media quidem gratiae, ut de iis primo loco dicamus, quod attinet, cum ea non alium in finem a Deo constituta sint, quam ut per ea rite & legitime usurpata, fides hominum excitetur, alatur, foveatur, confirmetur, gravissime peccant, turpissimaeque superstitionis rei sunt, qui ea non tantum non eo modo, sed & ad longe alium finem, saepe etiam talem, qui adfectum pravum animique vitium arguit, usurpare nulli dubitant; fructu non tantum, quem inde ceteroquin percipere poterant, se ipsos privantes, sed extremam etiam perniciem sibi attrahentes. *

* Non de illis nunc loquor, qui verbo divino & sacramentis, ceu opere, ut vocant, operato, utuntur, existimantes solum usum externum, sine attentione, sine emendatione, sine fide, sibi commodum aliquod allaturum; quod proh dolor! plurimi faciunt, se ipsos misere decipientes; quanquam nec ipsi ab hacce superstitione excludendi sint; sed de illis praecipue sermo est, qui crassissima quadam ratione, mediis gratiae ad fines prorsus illicitos, ex stolida credulitate abutuntur. Possent hic & Judaei commemorari, quorum impiae ineptiae de nomine tetragrammato, ejusque in miraculis perpetrandis abusu, satis superque notae sunt. conf. JOANNES COCCEJUS, ad *tract. talmud. Sanhedrin cap. XI. exc. XXI.* item JOAN. JAC. HULDRICUS, in *notis ad librum Toledot Jeschua, pag.* 18. Sed ad ipsos statim Christianos me confero, quorum nonnullos tanta dementia cepit, ut, nominum divinorum, *Deus, SS. Trinitas, Jehova, Jesus,* aut Scripturae sacrae, vel quarundam ejus partium, in curandis morbis vim quandam & efficaciam sin-

singularem esse, sibi persuaderent. Sic fuerunt, qui sibi imaginarentur, febrim curari posse, si quis initium Euangelii Joannis collo appendat; & quae alia ejusdem generis stolida prorsus & inepta sunt figmenta. Sunt, qui apud Ethnicos jam ejusmodi quid in usu fuisse, sibi persuadent, cum HOMERUS, *odyss. XIX.* e vulnere manantem sanguinem carmine repressum scribat, cujusmodi quid & PLATONEM, *lib. IV. de republ.* PLINIUM, *histor. nat. libr. XXVIII. cap. II.* ALEXANDRUM TRALLIANUM, *lib. IV. cap. IX.* aliosque, referre, ex AUGERIO FERRERIO, in *vera methodo medendi libr. II. cap. XI.* commemorat GEORGIUS PASCHIUS, de *inventis novis, quorum accuratiori cultui facem praetulit antiquitas, cap. VI. §. XXIII. pag.* 393. Ejusdem commatis est, quod nonnulli Psalmum centesimum nonum cum in finem ad certum tempus recitant, ut inimicis suis necem inferant. Jam antiquissimis temporibus hunc abusum in Ecclesia Christiana obtinuisse, ex quibusdam historicorum monumentis colligat. Certe ante Lutheri tempora admodum solenne hoc fuisse, vel ex *Epistolis obscurorum virorum* condiscere licet. Cum enim Leo X. Pontifex Reuchlino patrocinaretur, quidam illorum dixisse fertur: *Ego non spero, quod Papa erit tam stultus, quod faciet; si faciet, volumus per universum ordinem nostrum contra ipsum legere istum Psalmum: Deus tandem, &c.* Hoc enim Psalmi istius centesimi noni in versione Latina est initium; *vol. II. pag.* 135. Franciscanis speciatim monachis hoc olim in more positum fuisse, auctor est JOANNES CALVINUS: *Res minime occulta est, si quis hostem capitalem habeat, quem velit perditum, conducere ex monachis aliquem, qui quotidie hunc Psalmum recitet. Immo scio, in regno Galliae primariam quandam feminam conductitios in Franciscanis habuisse, qui unigenito filio hac forma imprecarentur; commentar. in Psalm. CIX.* Nec hodie deesse, qui impia & inepta superstitione abrepti, eadem ratione Psalmo isto abutuntur, legique hac de re meretur erudita dissertatio JOANNIS ANDREAE SCHMIDII, Theologi Helmstadiensis clarissimi, de abusu *Psalmi CXL. imprecatorii,* Helmstadii anno M DCC VIII habita; in qua & §. *IX.* ex MARTINI DELRIONIS *disquisit. mag. libr. III. part. II. quaest. IV. sect. IX.* docetur, fuisse, qui ad furem inveniendum eundem Psalmum adhiberent. Ejusdem superstitionis rei sunt, qui de rei cujusdam eventu soliciti, sacrum codicem aperiunt, ex primo, quod illis se offert, dicto nomen aliquod, seu responsum velut divinum, accepturi; unde *Biblicae,* jam olim inter Christianos frequentatae, uti *Homericae* & *Virgilianae* apud Ethnicos, de quibus legendus ISAACUS CASAUBONUS, ad *Spartiani Hadrianum, cap. II.* aliique, laudati JO. ALBERTO FABRICIO, *bibliograph. antiquar. cap. XII. pag.* 420. Quemadmodum enim nullo argumento probari potest, Deum hac ratione voluntatem suam hominibus manifestare, ita sacrum codicem eum in finem nobis non esse concessum, constat. Sed & divinatione,

va-

variisque ejus generibus, deinceps erit dicendi locus. Sacramentorum vero non minus, quam verbi divini, graviſſimum ad ſuperſtitionem ejusmodi fuiſſe abuſum, vel *purgatio* illa *per ſacram Euchariſtiam*, Germanis recepta, demonſtrat. Nec enim profecto ad cauſas occultas explorandas, aut detegendas, ſed ad fidem confirmandam, corroborandamque, a Chriſto Servatore ſacram Coenam inſtitutam novimus. Mirum vero, omnino in Concilio Wormatienſi *cap. XV.* impiam hancce diſerte probatam fuiſſe ſuperſtitionem. Formulam ſimul iſtius rei ex hiſce GRATIANI verbis cognoſcere licet: *Saepe contigit, ut in monaſteriis furta perpetrentur, &, qui haec committunt, ignorentur. Idcirco ſtatuimus, ut, quando ipſi fratres de talibus ſe expurgare debuerint, miſſa ab abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipſe abbas praeceperit, praeſentibus fratribus; & ſic expleta miſſa omnes communicent in haec verba: corpus Domini ſit mihi in probationem hodie; can. II. quaeſt. V. cap. XXXIII.* Exempla ejus rei apud medii aevi Scriptores hinc inde occurrunt; ex quibus quaedam exhibet PAULUS HACHENBERGIUS, in *Germania media, diſſertat. III. §. XXII. pag. 89. ſeqq.*

§. III.

Inter res creatas, quae ſuperſtitioni occaſionem praebent, primo ipſi Spiritus ſe nobis offerunt, praeſertim maligni illi. Fuerunt enim omni tempore, & hodie adhuc ſunt, quos tanta mentis coecitas, tanta ſtupiditas cepit, ut, etiamſi iſti Spiritus non niſi hominum perniciem quaerant, nihilque ſine Numinis permiſſione agere aut efficere queant, in Numinis tamen dedecus & opprobrium, eorum opera ad res varias, quae ſupra hominum vires poſitae ſunt, efficiendas, aut futura & occulta reſciſcenda, uti nulli dubitarint. Hinc *Magia*, cum artibus variis eo ſpectantibus, quam ſi quis cum Numinis cultu conſiſtere poſſe, ſibi perſuadeat, eum, quid dicat, quidve ſentiat, prorſus ignorare, neceſſe eſt. *

* Magiae nomine nobis nunc neutiquam cognitio quaedam occultarum naturae virium, & facultas per eam, aut alias ſcientias, ſupra vulgi captum poſitas, ut, accuratiorem Matheſeos peritiam, talia efficiendi, quae aliis mirabilia videantur, venit, quamve *Magiam naturalem* vocant, ſed, quae uſitatior hodie & receptior vocis eſt ſignificatio, artem ejus-

ejusmodi aut operam ea defignamus, quae auxilio & adminiculo daemonum res mirabiles vel facit, vel facere fimulat. Qui enim ex commercio, quod cum daemonibus habent, res ftupendas efficiunt, *Magi* vulgo dicuntur. Et ejusmodi quidem magiam dari, etfi cum PLINIO, *hiftor. natur. lib. XXX. cap. II.* omnes illi, qui fpirituum creatorum exiftentiam in dubium vocant, de quibus fupra dictum, negent, rationibus & documentis invictis demonftrari poteft. Enimvero exiftentiam & operationes Spirituum creatorum, ceu fatis fupra demonftratas, nunc fupponimus. Supponimus itidem, ceu evictum, fpiritum creatum effe fubftantiam immaterialem, intellectu, voluntate, & poteftate, fed limitata, corpora movendi, variasque operationes edendi, praeditam. Quae cum ita fint, non video, quid obftet, quo minus ejusmodi fpiritus aliquando hominibus adparere, cum iis colloqui, pacta inire, aliquid promittere, & in eorum gratiam aliquid praeftare queant, quod hominum ceteroquin vires fuperat Stultum equidem plane & ineptum eft, pactum cum malignis fpiritibus inire, quibuscum nullam juris communionem homines habent; nec minus ftultum, pactis aut promiffis illorum fidere, qui nullo religionis vinculo, quo minus promiffa violent, tenentur; haec omnia tamen non obftant, quo minus revera homines cum fpiritibus pacta ineant, aut eorum promiffa acceptent, prout multa alia, quibus ratio non conftat, defignare folent. Nihil ergo aliud fupereft, quam ut demonftretur, homines daemonum opera fubinde talia effeciffe, quae quidem pro miraculis non funt habenda, quippe quae nec a fpiritibus creatis edi poffe, demonftravimus, hominum tamen vires multum fuperant. Sane, quae de artibus magicis, earumque efficacia narrantur, non uno omnia habenda loco, probe fcio. Quae enim Poetae aut alii quidam, qui in mentiendo Poetis dubiam reddere palmam annituntur, referunt, nemo fanae mentis crediderit. Ejusmodi ea funt, quae poft alios OVIDIUS, in libris *metamorphofeon* refert, de Circe & Medea, deque fociis Diomedis in aves converfis, quae longo poft tempore circa templum ejus volitaverint; de fociis Uliffis a Circe in beftias mutatis, & quae reliqua funt ejusdem generis, quibus nec fimpliciffimi mortalium temere fidem adhibuerint. Mirari faltem animum fubit, veteres tam abfona de efficacia artium magicarum credidiffe, quae non a veritate modo abhorrent, fed ne minimam quidem fpeciem verifimilitudinis habent; ut cum VIRGILIUS mulierem ejusmodi artium peritam ita defcribit:

Haec fe carminibus promittit folvere mentes,
Quas velit; aft aliis duras immittere curas,
Siftere aquam fluviis, & vertere fidera retro,
Nocturnosque ciet manes; mugire videbis
Sub pedibus terram, & defcendere montibus ornos.

lib. IV. Aeneid. verſ. 487. *ſeqq.* Miſſis autem hiſce, nonnulla in hiſtoriarum monumentis occurrere, quibus non temere deneganda fides, nemo, niſi perfrictae frontis homo, inficiatus fuerit. Quodſi quis vero vel maxime profanorum Scriptorum teſtimonia non admiſerit, ea tamen, quae ipſa Scriptura ſacra ſuppeditat, repudiare nefas fuerit. Suffragari vero etiam experientiam, & recentiores ſcriptores talia adferre, quae omni exceptione majora ſint, jam ſupra ad *cap. III.* §. *VII.* obſervatum. Ad originem Magiae quod attinet, PLINIUS quidem eam e Medicina natam aſſerit. *Natam primum*, inquit, *e medicina* (magiam) *nemo dubitat; ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe, velut altiorem ſanctioremque, quam medicinam; hiſtor. nat. lib. XXXI.* 1. *cap. I.* Quod haud dubio de falſo jactata magia intelligit. Veram enim magiam, quae daemonum opera mirabilia perpetrat, eum rejicere, antea jam obſervavimus. Interim recte JOANNES FILESACUS, cum eandem PLINII ſententiam adduxiſſet, addit: *Verius dixiſſet Plinius, magiam ex curioſa res abditas cognoſcendi vel habendi cupiditate enatam. Neque tamen negaverim, magiam maximum medicinae praetextu incrementum accepiſſe, & magos plurimos medicinae faciendae ſpecie iſtam infamiae labem huic arti affricuiſſe;* de *idololatria magica, pag.* 26. Certum namque eſt, pravis mortalium cupiditatibus, avaritiae cumprimis, & intempeſtivae curioſitati, qua homines ad rerum abditarum cognitionem feruntur, ut alias artes ſuperſtitioſas, ita & Magiam cumprimis originem ſuam debere. Longius petitum, quod BENEDICTUS PERERIUS originem Magiae ex ipſo paradiſo arceſſit, eo quod diabolus ſub forma ſerpentis, vel in ſerpente naturali latitans, primis parentibus adparuiſſet, cum eos ad comedendum de fructu arboris vetitae induceret; de *magia, obſervatione ſomnior. & divinat. aſtrolog. lib. I. cap. XIII. pag.* 127. Diabolum tamen ad ſtolidae iſtius impietatis inventionem, ac propagationem, plurimum contuliſſe lubens fateor. Pravis enim hominum cupiditatibus, qua eſt calliditate, ad eos in foediſſima quaevis ſtolidiſſimaque praecipitandos, jampridem uti didicit. Unde non immerito LACTANTIUS omnium maleficarum artium inventores & magiſtros daemones fuiſſe, pronuntiat: *Eorum inventa ſunt aſtrologia, & aruſpicina & auguratio, & quae dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica, & quicquid praeterea malorum exercent homines vel palam, vel occulte, quae omnia per ſe falſa ſunt, ut Sibylla Erythraea teſtatur; inſtitution. divin. lib.* II. *cap.* XVI. Quorſum & ea pertinent, quae egregie hac de re diſſerit CYPRIANUS, de *idolorum vanitate cap.* IV. *pag. m.* 157. Sed ipſius PORPHYRII quoque teſtimonio hoc confirmat EUSEBIUS, *praeparat. euangel. lib.* V. *cap.* XI. aſſerentis, daemones ipſos, qui deorum loco habeantur, quo ſuperſtitionum ritu ſecum agi vellent, homines docuiſſe. Legenda quoque, quae idem EUSEBIUS, *l. c. cap. VIII. & XII.* ex eodem Porphyrio adfert. Ad cauſas vero, quibus homines

ad

ad iſtam ſuperſtitionem inducti, vel in ea magis confirmati ſunt, acceſſit etiam perverſa de ſpiritibus ſeu geniis opinio; cumprimis error ille, qui multorum olim animos invaſit, ſpiritus, etſi inviſibiles, non tamen prorſus immateriales eſſe, ſed corpore tenuiſſimo praeditos. Hac enim ſententia admiſſa, ſequitur, eos etiam rebus quibusdam corporeis delectari, hinc & placari varia ratione, & ad hominum obſequium adduci poſſe; quod praecipuum magiae fundamentum eſſe, nemo temere negaverit. Hinc & praeter Orientales, Chaldaeos maxime, Pythagoraei & Platonici, qui hunc in modum de ſpiritibus philoſophabantur, Magiae aut deditos, aut ſuſpectos fuiſſe, conſtat. De primo nefandae artis auctore nihil certi dici poteſt, etſi, eam longe antiquiſſimam eſſe, conſtet. Zoroaſtrem primum ejus inventorem eſſe, vulgo aſſeritur; de quo cum incerta omnia ſint, praeſertim, ſi antiquiſſimus ille, qui hoc nomine venit, ſive Chaldaeus, intelligatur, alium quendam ex prima antiquitate celebrem virum ſub hocce latitare nomine, viri docti exiſtimarunt. Nonnulli namque, Chamum Noachi filium eo tegi, putant, quem adeo & magiae inventorem ferunt, ut PETRUS COMESTOR, *hiſtor. ſcholaſtic. in Geneſ. cap. XXXIX.* quae licet & recentioribus quibusdam ſe probaverit ſententia, rejicitur tamen a SAMUELE BOCHARTO, *geograph. ſacr. libr. IV. cap. I. pag.* 232. Alii vero Miſraimum Chami filium ſe hic inveniſſe arbitrantur, ut auctor *recognitionum*, quae ſub CLEMENTIS nomine extant, *libr. IV.* §. *XXVII. pag.* 537. ex edit. JO. BAPTISTAE COTELERII; alii alium quendam. Sed quam lubrico haec omnia nitantur fundamento, & quilibet facile intelligit, & ex iis etiam patet, quae hac de re dixi, in *hiſtor. Eccleſiaſt. veter. teſtam. ad period. I. ſect. III.* §. *XXII. pag.* 441. Quicquid vero hujus ſit, antiquiſſimam eſſe hanc mortalium inſaniam, negari nequit, cum jam Moſis tempore in Aegypto homines ejusmodi extiterint, qui daemonis opera mirabilia quaedam efficiendo, miracula ejus imitari auſi ſunt. Nec Deus per Moſen tam graves poenas adverſus Magos conſtituiſſet, nec tam ſevere eorum conſuetudinem & congreſſum Judaeis interdixiſſet, niſi jam tum eorum ars, ſicut hominibus exitioſa erat, ſic nota & celebris fuiſſet. Porro circa belli Trajani tempora claram fuiſſe magiae famam, nonnulli ex HOMERO colligunt, praeſertim ex iis, quae de Ulyſſis erroribus commemorat. Siquidem Protea & Syrenum cantus apud eum non aliter intelligi volunt; quanquam non deſint, qui alia ratione iſta explicent; Circe utique ex inferorum evocatione hoc ſolum agi. Inter praecipuos autem artium magicarum magiſtros, qui apud Veteres fuere, maxime celebratur Oſthanes, de quo PLINIUS: *Primus extat (ut equidem invenio) commentatus de ea Oſthanes, Xerxem regem Perſarum bello, quod is Graeciae intulit, comitatus, ac velut ſemina artis portentoſae ſparſiſſe, obiter infecto, quacunque commeaverat, mundo.* Cumque

 que

que monuiſſet, a nonnullis ante eum, Zoroaſtrem alium Proconneſium poni, addit: *Quod certum eſt, hic maxime Oſthanes ad rabiem, non aviditatem modo ſcientiae hujus, Graecorum populos egit; hiſt. natur. lib. XXX. cap. I. pag.* 296. Nimirum id egit infernalis genius, ut mortalibus perſuaderet, omnem iſtam artem magicam cauſis quibusdam naturalibus, ſed occultis, niti; unde facile inducti ſunt, ut crederent, eam non modo prorſus innocentem eſſe, ſed ſapientiae quoque atque eruditionis partem ſingularem conſtituere. Quove proniores natura homines ſunt, ad occulta quaevis atque arcana cognoſcenda, praeſertim, ſi ſapientiae & eruditionis nomine iſta cognitio iis adblandiatur, eo majori impetu ad talia abripiuntur. Mirum itaque non eſt, quod apud veteres nonnulli ex iis, qui naturae arcanis rimandis incumbebant, & ſapientiae ſtudio dediti erant, ſimul magiam illam illicitam, ceu ſapientiae partem avide arripuerint. Idque Perſarum Magis (quo nomine Philoſophi apud eos veniebant) ſi non omnibus, certe quibusdam uſu veniſſe, nullus dubito. De Graecorum Philoſophis idem aſſerit PLINIUS: *Certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, ad hanc* (magiam) *diſcendam navigavere, exiliis potius, quam peregrinationibus, ſuſceptis. Hanc reverſi praedicavere, hanc in arcanis habuere; loc. cit.* Quae tamen non prorſus admittenda exiſtimaverim. Certe fieri potuit, ut, cum in peregrinationibus ſuis occultas & arcanas orientalium gentium ſcientias ſectarentur, ſub hacce ſpecie etiam magiam delibarent; quae & ab hypotheſibus Pythagorae, Platonis, aliorumque, qui totum fere orbem ſpiritibus corporeis replebant, minime abhorret. Nec tamen PLINII ad hoc ſufficit auctoritas, ut nobis perſuadeatur, hoſce Philoſophos revera magos fuiſſe, ſeu artes illas illicitas aut adprobaſſe ſuo calculo, aut uſurpaſſe; multo vero minus de Democrito hoc quisquam ſibi perſuadebit, in cujus quippe, ut & in Epicuri ſyſtemate ſpiritibus locus non concedebatur. Hinc & hoſce Philoſophos, ſpeciatim Pythagoram, Empedoclem atque Democritum, ab iſta ſuſpicione liberat GABRIEL NAUDAEUS, *apolog. pour les grands hommes ſupçonnez de magie, cap. X. & XII. pag.* 136. *ſeqq.* Inter Pythagoraeos autem atque Platonicos, nonnullos fuiſſe, qui magicarum artium admodum fuere ſuſpecti, negari nequit; idque haud dubio ex illorum de natura & indole ſpirituum Philoſophandi ratione, ortum eſt, ut antea obſervavimus. Prae reliquis omnibus autem hoc nomine celebris eſt APOLLONIUS ille TYANENSIS, Philoſophus Pythagoraeus, cujus vitam resque geſtas litteris conſignavit PHILOSTRATUS; de quo tamen viri docti in diverſas abeunt ſententias. Plerique enim veterum pariter ac recentiorum eum Magis annumerant; quod & ex ipſis Ethnicis nonnullos feciſſe, non tantum ex LUCIANO atque APULEJO colligas, ſed ipſe quoque adeo hoc non diſſimulat PHILOSTRATUS, ut potius hanc ei abſtergere labem paſſim annitatur. Alii contra eum a magiae ſuſpi-

ſpicione liberare conantur, PHILOSTRATUM, & quos ille ſecutus eſt, mendacii accuſantes, in iis praeſertim, quae humanae potentiae modum ſuperant, quibuscum & GABRIEL NAUDAEUS facit, *loc. cit. cap. XII. pag.* 187. Cumque inter hos nonulli Apollonium, nihil eorum, quae PHILOSTRATUS ceu admiranda narrat, praeſtitiſſe contendant, alii contra non equidem negandum putant, multa eum admiranda edidiſſe, at non per artem magicam, ſed quod rerum naturalium eſſet peritiſſimus, cauſasque earum occultas cognitas haberet atque perſpectas. Quicquid horum ſit, id certum, & Viris eruditis luculenter demonſtratum, PHILOSTRATI narrationi fidem non habendam, immo omnia iſta a Gentilibus conficta eſſe, ut Chriſti Servatoris miraculis fidem eo facilius detraherent, vel ab aliis etiam ſimilia edita dicere poſſent, prudens harum rerum exiſtimator non temere dubitaverit. Sed legenda, quae erudite hac de re diſputat B. GOTTFRIEDUS OLEARIUS, in *praefatione* PHILOSTRATI operibus praemiſſa; & quae ipſe in compendio dixi in *diſſertat. de veritate religionis chriſtianae, philoſophor. gentil. obtrectationib. confirmata,* §. *X.* Cum Chriſtianae doctrinae luce orbis colluſtraretur, magnam quidem partem iſtae infernalis genii tenebrae disculſae, non tamen prorſus diſſipatae ſunt; cum ad hodiernum usque diem non deſint, qui ejusmodi artes nefandas conſectentur, & daemonum opera, quae cupiunt, ſe impetraturos, ridiculo, non minus, quam impio errore ſibi perſuadeant Nihil de Arabibus quibusdam, Alchindo, Geber, Artephio; nihil de Alberto magno, Raymundo Lullio, Arnoldo Villanovano, aliisque dicam, cum haud neſciam, horum omnium patrocinium in ſe ſuſcepiſſe GABRIELEM NAUDAEUM, *loc. cit. cap. XIV. pag. m.* 246. *ſeqq.* qui & *cap. XV. pag.* 285. Henrici Cornelii Agrippae cauſam egit, quod & PETRUS BAELIUS facit, *diction. hiſtor. crit. voc. Agrippa, pag.* 109. *ſeqq.* Nec enim is ego ſum, qui viris innocentibus magiae inurere infamiam velim, ſi modo omnes innocentes ſint. Inter ea, quae Agrippae innocentiam dubiam reddere poſſunt, praecipuum locum tenet opus ejus de *occulta Philoſophia;* ad minimum operis iſtius *liber quartus,* quem artes & ritus magicos, ſuperſtitioſos, abominabiles continere, nec illi ipſi, qui ejus patrocinium in ſe ſuſceperunt, negant; ſimul tamen, eum Agrippae eſſe, abnuunt, perperam & ſine ipſius culpa a bibliopola avaro eum reliquis libris, qui Agrippae ſunt, additum, contendentes. Ita GABRIEL NAUDAEUS, *loc. cit. pag.* 294. Tres autem priores libros, non deſunt, qui myſtice & allegorice explicandos autumant, ad omnem magicae impietatis ſuſpicionem ab auctore avertendam. Haec vero omnia ut aliis accuratius inquirenda relinquo, ita vel quarti iſtius libri exemplo, quisquis etiam ejus auctor ſit, conſtat, fuiſſe eo tempore homines, uti adhuc hodie ſunt, qui impiis ſtolidisque ejusmodi artibus pretium aliquod ſtatuerent. Ejusdem vero etiam generis ſunt *Clavicula*

 Salo-

Salomonis, item *Semiphoras* & *Schemhamphoras Salomonis regis*, & alia, lingua etiam Germanica, ſub ſpecioſo, ſed fallaci *theoſophiae pneumaticae* titulo edita; vid. GEORG. PASCHIUS, de *inventis novo-antiquis*, *cap. VII. §. XV. pag.* 579. Non tamen diſſimulandum, eſſe qui in hocce ſcripto, *clavicula Salomonis*, ſub portentoſis nominibus, magicisque myſteriis, artificium ſteganographiae latitare, exiſtimant; quae & viri clariſſimi, JO. ALB. FABRICII eſt ſententia, qui plura hac de re ſuppeditat, in *codice pſeu-depigrapho vet. teſt. p.* 1953. Jam ad rem ipſam, quod attinet, conſtat, impiae & infelicis artis Cultores ritibus, ceremoniis, characteribus, vocibus ſacris aut peregrinis, formulisque uti, quibus ſpiritus adducant, & ab iis, ut voluntati ſuae morem gerant, impetrent. Cum vero nemo temere tam ſtupidus, tamque omnis rationis expers ſit, qui ſibi perſuadere queat, ejusmodi rituum, vocum, characterum, formularum, vim quandam naturalem in adducendis, movendisque ſpiritibus eſſe poſſe, quaeri poſſet, qui itaque fiat, ut quandoque Magi hac ratione, quod volunt, impetrent, & ſpiritus ad nutum paratos habeant? Sed quilibet paullo accuratius iſta omnia ponderans, facile infernalis genii fallaciam perſpiciet, qui talia, quantumvis inepta & ſtolida, iſtis hominibus perſuaſit, ut impiam ſtoliditatem eo minus animadverterent, exiſtimantes per cauſas naturales, ſed occultas abditasque, iſta perfici. Qui enim per cauſas arcanas, ſed naturales tamen, aliquid, quod mirabile ſit, ſe efficere poſſe, putat, ſe non adeo malum credet. Immo obtinere hac ratione potuit, & revera etiam obtinuit, ut ſtolidiſſima impietas pro parte quadam eruditionis & ſapientiae haberetur. Nec eſt, quod quenquam moveat, Spiritus interdum videri per ejusmodi artes cogi, Magosque illis impetrare aliquid poſſe. Si enim vera omnia ſunt, quae hac de re feruntur, fieri poteſt, ut daemones inferiores a ſuperiori, quocum Magis pactum intercedit, cogantur ad aliquid faciendum, quod Magi per eos effici cupiunt; aut etiam dicendum, nullam coactionem, nullumque hic adeſſe imperium, ſed malignos ſpiritus talia ſimulare, ut homines, qui illorum opera utuntur, eo magis in ſuperſtitione, & vano, de artium iſtarum praeſtantia, errore corroborent. Ex Gentilibus has ſimilesque difficultates, quae Magiae opponi poſſunt, vidit, & ingenue propoſuit ipſe PORPHYRIUS, in *epiſtola ad Anebonem Aegyptium*, quam JAMBLICHI libro *de myſteriis* praemiſit THOMAS GALE; ex qua etiam nonnulla adfert EUSEBIUS, *praeparat. euangel. libr. V. cap.* X. *pag. m.* 197. Eo majores autem iſtae difficultates erant intuitu Gentilium, quod hi ſpiritus illos, quorum opera Magi utebantur, pro diis, quos colebant, haberent. Hinc iſtae quaeſtiones PORPHYRII; Quomodo Magi invocent & obſecrent daemones tanquam ſuperiores, & iisdem tamen tanquam inferioribus imperent, &, quod volunt, facere eos cogant? item, cur dii magorum jubeant, homines eſſe juſtos, ipſi autem

tem a Magis juſſi multa patrent iniqua & flagitioſa? & quae alia ſunt ejusdem generis. Reſpondere equidem ad haſce PORPHYRII dubitationes conatus eſt JAMBLICHUS in libro de *myſteriis;* ſed ea quidem ratione, ut ad incredibilia & abſurda quaedam evitanda, longe magis incredibilia longeque abſurdiora afferat, difficultatesque non tollat, ſed augeat. Diverſae etiam Magiae ſolent conſtitui ſpecies. Plerique veterum, Platonicorum praecipue, duplicem faciebant Magiam, *theurgiam* ſcilicet, quam vocabant, & *goëtiam*, ſeu *necromantiam.* Theurgia bona illis atque laudabilis erat, qua certis quibusdam hoſtiis & ſacrificiis, munditie itidem quadam animae & corporis, aliisque ſacris ceremoniis, bonos ac beneficos daemones invocabant, eorum afflatu & auxilio, & occulta manifeſtaturi, & futura praenuntiaturi, & miranda edituri opera. De hacce *Theurgia* multa JAMBLICHUS de *myſteriis*, PROCLUS libro de *ſacrificio* & *magia*, PORPHYRIUS libro de *ſacrificiis*, & ex eo AUGUSTINUS de *civit. Dei libr. X. cap. IX.* Qua quidem in re mirificam infernalis genii illuſionem conſpicere licet, qua etiam Viri ingenio praeſtantes inducti per ſummam coecitatem, bonos genios ſe colere, idque magna cum pietatis ſpecie, exiſtimabant, cum tota iſta impietas ad honorem diabolo exhibendum pertineret. *Goëtia* vero ſeu *necromantia* illis dicebatur, quae mortuos excitabat, & conſulebat, & per eos reſponſa de rebus occultis vel futuris reddebat. Simile fere diſcrimen artium ejusmodi nefandarum etiam in Scriptura ſacra, ſpeciatim ex *Deut. XVIII: verſ.* 10. *ſeqq.* obſervare licet. Inter varios enim impiae ſuperſtitionis magiſtros ibi recenſentur מכשפים *magi, praeſtigiatores*, qui magica arte & opera daemonum, miranda quaedam perpetrabant, ut Magi Pharaonis, qui virgas ſuas in ſerpentes vetere videbantur, ad quos ut proxime accedebant חוברים *incantatores*, qui verbis & carminibus quibusdam mirabilia perpetrabant, ita ab utrisque diverſi erant בעלי אוב *Pythonici*, ſeu qui ſpiritum Pythonis habebant, & certis artibus ſpiritus eliciebant, qui, ut ipſi putabant, mortuorum excitarent manes, a quibus, quaecumque vellent, condiſcerent. Ita namque haſce voces explicandas eſſe, luculenter, ni fallor, oſtendi in *hiſtor. eccleſiaſt. veter. teſtam. period. II. ſect. I. ad* §. *XXXVI. pag.* 776, 777. Magis accommodate ad eam, quam hodie obſervare licet, impietatis iſtius rationem, dici poſſet, aliam Magiam *directe* talem eſſe, quae foedus aliquod expreſſe ſeu explicite cum infernali genio initum ſupponit; aliam, *indirecte* talem, quae per ritus, ceremonias, characteres, formulas, daemonum opera utitur; etſi foedus ejusmodi non praeceſſerit. Conſtat enim, nonnullos artibus ejusmodi uti, etſi iis conſtitutum non ſit, foedus aliquod cum infernali genio inire. Interim, cum nemo daemonis maligni opera uti queat, quacunque etiam hoc faciat ratione, niſi ſimul gratiae divinae renuntiet, dum hoc ipſo ad caſtra velut jurati

hoſtis

hostis Dei transit, non minorem revera hujus, quam illius magiae impietatem esse, nemo non intelligit. Generatim etiam detestanda criminis hujus hinc elucescit *foeditas*, cum animum ad ea, quae Deo maxime adversa sunt, destinato consilio perpetranda, & ad Deum summa, quantum in misero isto homine est, injuria afficiendum, obfirmatum, summamque adeo, quae cogitari potest, malignitatem arguat. Quo gravius enim infernalis genii erga Deum est odium, quo atrocior rebellio, qua contra Conditorem suum insurrexit, eo detestabilius est illorum flagitium, qui cum eo inire foedus, aut quacunque ratione opera ejus uti in animum inducunt suum. Non minor autem istorum hominum, qui talia designant, *stultitia* est, quam impietas. Praeterquam enim, quod potentia infernalis genii suis limitibus sit circumscripta, scire, si vellent, facile possent, se invito Numine nihil ab eo obtinere, aut ipsius opera perficere posse. Deum itaque, a quo omnia, quae illis salutaria sunt, obtinere possent, tam graviter offendunt, ut ab eo, qui sine Numinis permissione nihil prorsus efficere potest, aliquid impetrent. Nec ullo exemplo doceri potest, per artes magicas aut divitias, aut honores, aut simile quid homines impetrasse. Aut mera illusio fuit, quicquid hac ratione obtinuerunt, aut ita minutum vel exiguum, ut impotentiam diaboli manifesto inde intelligere liceat. Prorsus vero ridiculum est, dum pacta cum eo ineunt. Quasi vero ulla ratio sit, quae pessimum spiritum ad pacta servanda inducere queat. Non religio potest, quippe cujus est expers; non magnanimitas, aut ulla alia, virtus, quae in eum, qui totus ex vitiis est compositus, non cadit: non lex quaedam, cum violare, non servare legem, illi proprium sit. Recte denique & *superstitionis* ejusmodi homines arguuntur. Praeterquam enim, quod absurdissima credulitas in eo elucescit, quod ritibus, vocibus, characteribus, formulis vim ejusmodi tribuunt, qua nulla ratione gaudere possunt; subinde etiam contingit, ut Deum se colere existiment, etsi ea, quae Deum maxime offendunt, committant. Major autem perversitas cogitari nequit, quam si quis existimet, cultum Numinis cum summa impietate consistere posse. Immo quod magis adhuc mirandum, in ipso nefandarum artium exercitio, nominibus divinis, scripturae dictis, formulis sacris & precationibus utuntur, ac si a Deo ipso aliquid impetrare possent, dum diabolo, operam ejus & ministerium expetentes, serviunt; qui summus prorsus & stultitiae, & impiae superstitionis, merito censetur gradus. (381)

(381) *Quid de plerisque, quae in hac §. continentur, sit judicandum, indicavi* n. 109. *seqq. praesertim* n. 323. *Deum Diabolo olim permisisse, ut homines seduceret, ac infernalis Genii ingentem esse potentiam, qua tristes quandoque casus oriri fecit, eundemque etiam hisce temporibus,*

ribus, permittente Deo, posse *funestas humano generi Tragoedias ludere, negari nequit: sed superstitiosorum est, narratiunculis illis, quae de Magis, eorumque pactis cum Diabolo circumferuntur, fidem adhibere puerili, dicam, an anili credulitate; neque ullum argumentum produci potest omni exceptione majus, quo talium* pactorum *existentia evincitur; licet plurima hominum millia propter istiusmodi pacta manu carnificis fuerint combusta post seculum praesertim duodecimum, usque ad decimam & septimum. A risu sibi temperare vix potest veritatis amans, ubi vel fugitivo oculo inspicit fabulas, quas serio narrat credulus nimium* H. Morus *in Antidoto adversus Atheismum Lib. 3. Cap. 2. seqq. Oper. Tom. 2. pag. 95. seqq. quasque sedulo collegit ex* Bodino, Wiero, (*qui ipse hasce narratiunculas ridet*) Olao, *similibusque, ut, scilicet, Antidotum suppeditaret contra Atheismum. An sic Dei causa recte agatur, alii dijudicent. Si vera narrentur, eaque ob casuum frequentiam negare non liceat, etiam credendae sunt circumstantiae, quas ipsi Magi Sagaeque in suis confessionibus saepissime adjecerunt, se concubuisse cum Diabolo, seve, in lupos & ursos conversos, peregre fuisse profectos, aut inter populares oberrasse, choraeas nocturnas adiisse, aut versus loca, conviviis suis celebrandis destinata, equitasse in arundine longa; quales nugas suo jam tempore risit* Plinius *Hist. Nat. Lib. VIII. Cap. 22. Eo magis autem suspectae sunt narratiunculae, quo magis diminutus est Magorum & Sagarum numerus inde a sesqui seculo; quod non diminutae hominum malitiae, non fractae Diaboli potentiae, sed auctae cognitioni, praejudiciorum & superstitionis expultrici, unice est tribuendum.*

§. IV.

A Spiritibus si discedamus, astra occurrunt, quorum usus, qui manifestus est, & ab omnibus facile agnoscitur, cum hominibus non sufficeret, ea itidem, inepta credulitate abrepti, in superstitionis verterunt occasionem, ejusmodi vim & efficaciam illis tribuendo, quae, uti in Numinis providentiam pariter ac hominum libertatem palam injuria est, ita a vera & genuina ratione Deum colendi eos non potest non avertere. Quo nomine & merito *Astrologia* ceu vana, inepta, impia & superstitiosa damnata, & a Viris sapientibus rejecta est ac repudiata. *

 * Astro-

* Aſtrologiae inventio Chaldaeis vulgo tribuitur, quibus tamen gloriam hanc dubiam reddere voluerunt Aegyptii. Id certum, jam in utraque gente antiquiſſimis temporibus eam floruiſſe. Apud Chaldaeos autem praecipua quadam ratione exculta videtur, unde & factum, ut Aſtrologi *Chaldaeorum* nomine venirent. TULLIUS id confirmat, qui, cum dixiſſet: *Principio Aſſyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, cum coelum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, trajectiones motusque ſtellarum obſervarunt: quibus quid cuique ſignificaretur, memoriae prodiderunt;* addit: *Qua in ratione Chaldaei, non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati, diuturna obſervatione ſiderum ſcientiam putantur effeciſſe, ut praedici poſſet, quid cuique eventurum, & quo quisque fato natus eſſet;* tum de Aegyptiis ſubjicit: *Eandem artem etiam Aegyptii longinquitate temporum innumerabilibus pene ſeculis conſecuti putantur;* de *divivat. libr. I. cap. I.* De Aegyptiis & HERODOTUS teſtatur, ab iis excogitatum, μεὶς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη θεῶν ὅτευ ἐστὶ· καὶ τῇ ἕκαστος ἡμέρῃ γεννόμενος, ὁτέοισι ἐγκυρήσει, καὶ ὅκως τελευτήσει, καὶ ὁκοῖός τις ἔσται· *quis menſis diesve cujus deorum ſit, & quo quis die genitus, qualia ſortietur, & quam mortem obibit, & qualis erit; hiſt. lib. II. cap. LXXXII.* Sunt, qui ipſum Abrahamum pro Aſtrologiae inventore venditant, quod & EUPOLEMUS fecit apud EUSEBIUM, *praeparat. euangel. lib. II. cap. XVII.* contra quos operoſe diſputat PETRUS LAMBECIUS, in *prodromo hiſtor. litterar. libr. I. cap. IV. §. III. pag.* 43. cujus rationes expendi in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. pag.* 18. Quod ſi Aſtrologiae nomine ea ars intelligatur, quae ab Arabibus ad Europaeos propagata, hodie vulgo eo nomine venit, eam, cum vana, inepta & ſuperſtitioſa ſit, Abrahamo tribui non poſſe, certum eſt. Interim de antiquitate artis hujus nullum ſupereſt dubium. Cumque vel ex *Deut. XVIII:* 10. *ſeqq.* conſtet, jam ante Moſis tempora varias artes divinatorias in uſu fuiſſe, facile inde colligas, de divinatione ex aſtris idem eſſe cenſendum. Immo ſunt, qui per מעוננים, qui ibi commemorantur, *Aſtrologos* intelligunt, quibus exemplum praeivit MOSES MAIMONIDES, in *tractat. avodah ſarah, cap. XI.* Conferenda, quae hac de re dixi, in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. period. II. ſect. I.* ad *§. XXXVI. pag.* 776. (382) Utut autem antiquiſſima ſit iſta Chaldaeorum diſciplina, non tamen tantae vetuſtatis fuit, quantam artis ejus magiſtri illi olim tribuebant, quaeve cum veris ac genuinis hiſtoriarum monumentis nulla ratione conciliari poteſt. Hoc ex ipſis Ethnicis FAVORINUS jam obſervavit, apud A. GELLIUM docens, *diſciplinam iſtam Chaldaeorum tantae vetuſtatis non eſſe, quantae videri volunt; noct. Attic. libr. XIV. cap. I.* Atque hinc idem etiam Philoſophus rectiſſime argumentum ducit, hanc artem ea ratione, qua Chaldaei, vel ejus magiſtri, hoc tradebant, non eſſe inventam. Inter multa alia enim, quae contra Aſtrologos diſputat, & haec contra eos ex ipſius mente

GEL-

GELLIUS adfert: *si isto modo coepta fieri observatio est, ut animadverteretur, quo habitu, quaque forma, quaque positura stellarum aliquis nasceretur; tum deinceps ab ineunte vita, fortuna ejus & mores, & ingenium, & circumstantia rerum negotiorumque, & ad postremum finis etiam vitae exspectaretur; eaque omnia ut usu venerant, litteris mandarentur; ac postea longis temporibus, cum ipsae illae eodem in loco eodemque habitu forent, eadem ceteris quoque eventura existimarentur, qui eodem illo tempore nati fuissent: si isto, inquit, modo observari coeptum est, & ex ea observatione composita quaedam disciplina est, nullo id pacto potest procedere. Dicant enim, quot tandem annis, vel potius, quot seculis, orbis hic observationis perfici quiverit, &c.* Possent & alia adhuc adduci, quo minus ex istis observationibus certi canones formari potuerint, de quibus legendus CLAUDIUS SALMASIUS, de *annis climactericis;* add. JO. CLERICUS, in *indice philologico ad Thomae Stanleji histor. philos. oriental.* voc. *astrologia.* Quantumvis autem incerta & fallax esset ista Chaldaeorum disciplina, locum tamen haud ultimum in illorum, aliarumque gentium, philosophia, cum aliis ejusdem generis artibus obtinuit. vid. THOM. STANLEJUS, *loc. cit. libr. I. sect. II. cap. XVI.* De progressu autem, fatis, scriptoribus astrologicae artis, etsi multa dici possent, ea tamen hujus loci non sunt. Pleraque GERHARDUS JOANNES VOSSIUS exhibet, de *scientiis mathematicis;* praecipuos scriptores astrologicos indicat JO. HENRICUS BOECLERUS, in *bibliographia critica*, accuratius nuper a JOANNE GOTTLIEB KRAUSIO edita, *cap. XXXV.* itemque LEONHARDUS CHRISTOPHORUS STURMIUS, de *nat. & constitut. matheseos pag.* 364. *seqq.* Resuscitata haecce Astrologorum disciplina cumprimis ab Arabibus fuit, cum litterae per barbararum gentium incursionem, Graeciamque & Italiam devastatam, ex Europa pulsae, sedem velut apud eos fixissent. Ab iis autem cum aliis opinionum portentis partim ad impietatem, partim ad superstitionem ducentibus, ad Europaeos iterum propagata, seculo cumprimis decimo quinto, & decimo sexto, illorum occupavit animos, qui & ad impia quaevis atque inepta se abripi passi sunt, ut vel HIERONYMI CARDANI exemplo patet, de quo supra verba fecimus. (383) Fuerunt tamen & eodem tempore, qui acriter vanitati & superstitioni Astrologorum se opponerent, ut ex mox dicendis patebit. Mirandum vero, multos Viros, cetera doctos & sapientes, ea peste illo tempore afflatos fuisse, quod & PHILIPPO MELANCHTHONI contigisse novimus. Immo non defuerunt, qui infelici connubio cum ipsa Theologia Astrologiam conjungerent, in varios inde errores praecipites dandi. Certe VALENTINUM WEIGELIUM tum huic, tum aliis ejusdem generis artibus, arcani quid prae se ferentibus multum tribuisse, constat: qua in re & alii ejus exemplum imitati sunt. Postquam autem ea philosophandi ratio, quae RENATUM CARTESIUM auctorem habet, invaluit, astrologicae artis auctoritas magis

magisque imminuta est. Quia enim cum ejus hypothesibus Astrologorum nulla ratione conciliari poterat disciplina, id maxime discipuli ejus dedere operam, ut vanitatis hanc artem arguerent, eamque prorsus exploderent. Nec tamen hodie adhuc desunt, qui aliquod ei pretium statuunt, ut vel certamen illud, quod LEONHARDO CHRISTOPHORO STURMIO, cum LUDOVICO HANNEMANNO, ante aliquot annos hac super re intercessit, variis scriptis utrimque editis agitatum, testatur. Diversa utique Virorum doctorum omni tempore de Astrologia fuere judicria, aliis eam laudantibus ac propugnantibus, impugnantibus & vituperantibus eam aliis. Praesertim, ex quo per Arabes, uti dictum, ad Europaeos propagata, ceu pestis quaedam animos multorum afflavit, integris operibus ejus vanitatem ostendere aggressi sunt HIERONYMUS SAVANOROLA, *adversus astrologiam divinatricem*, JOAN. PICUS MIRANDULANUS, in *libris XII. adversus astrologos*, aliique. Sed JOANNES quoque SARESBERIENSIS, *lib. II. policrat. cap. XIX.* BENEDICTUS PERERIUS, de *magia*, *observatione somniorum & divinatione astrologica lib. III. pag.* 210. *seqq.* PAULUS MERULA, *libr. II. Cosmographiae generalis cap. XVI.* GERH. JOANNES VOSSIUS, *theologiae gentilis lib. II. cap. XLVIII.* PETRUS GASSENDUS, *lib. VI. phys. sect. II.* itidem contra eandem artem divinatoriam argumentis pugnarunt validissimis. Labascenti quidem & hostium telis obrutae arti huic suppetias ferre ausus est JOANN. BAPTISTA MORINUS, in *astrologia gallica, propriis principiis & rationibus stabilita;* sed nihil aliud effecit, quam ut intelligeretur, quid ingenii, in causa quadam desperata defendenda, valerent vires. Enim vero, ut meam quoque paucis, & tribus tantum verbis, aperiam sententiam, vim quandam & efficaciam singularem siderum coelestium in haec sublunaria esse, praesertim, quod ad tempestatum vicissitudines, similesque effectus, attinet, itemque ad corporum variorum affectiones, mutationesve, quae hisce quidem causis tribui possunt, non prorsus negandum censeo. Nec ex eo, quod nobis modus ratioque, qua corpora tam immenso spatio a nostra tellure distantia in ea aliquid efficere queant, non constet, statim res ipsa in dubium vocanda. Multa namque quotidie occurrunt, de quibus non dubitamus, ab hac vel illa causa ea effici, etsi modum, quo hoc fiat, aut ignoremus, aut non, nisi per conjecturam, sciamus. (384) Monui hoc jam, in *dissertat. de cultura ingenii*, quae extat in *selectis juris naturae & gentium, cap. I. §. XVI.* Astrologi autem primo in eo peccant, quod vim illam operationemque siderum coelestium, etiam qua effectus mere physicos, v. g. tempestatum mutationem, cognitam sibi penitus & perspectam jactitant, quam tamen eos ignorare nunquam fere non experientia docet; item, dum majorem, quam debebant, in hisce sideribus vim tribuunt; cum denique, pro certa venditant, artem, quae dubiis prorsus atque incertis nititur fundamentis. Magis

vero

vero adhuc peccant, dum eandem ſiderum efficaciam ad moralia extendunt, hominum vitam, ſalutem, interitum, mentis quoque decreta conſiliave, fortunam praeterea ſecundam & adverſam, ſimiliaque, ex aſtrorum poſitu derivantes. Enimvero, quo pacto ſidera talia efficere queant, nulla ratione intelligi poteſt. Neque hic exceptio, quam antea protuli, procedit, multa quotidie contingere, quae, quomodo eveniant, ignoremus. Non tantum enim iſta ſiderum quoad moralia haec efficacia, ab omni veroſimilitudinis adhorret ſpecie, ſed ne quidem poſſibilis eſt. Cum enim ſidera corpora ſint, mente deſtituta, ſi effectus quosdam in hiſce ſublunaribus producunt, ii non alii, quam mere naturales, qui per ſe ad moralia non pertingant, eſſe poſſunt. (385) Praeterea totus ille Aſtrologicae vanitatis adparatus, ſigna zodiaci, domus planetarum, & quae reliqua ſunt ejusdem generis, cum nullo certo nitatur fundamento, inter otioſorum hominum referenda eſſe commenta, jam pridem Viri docti pronuntiarunt. Sed & inde artis iſtius vanitas elucefcit, quod ejus magiſtri ex illis ſiderum adſpectibus futura canunt, qui tempore nativitatis fuere, cum tamen rariſſime momentum temporis, quo quis natus eſt, cognitum & perſpectum habeant. Ne quid nunc de eo dicam, quod cauſas proximas, a quibus praecipue hominum mores progignuntur, parentum indolem, ſobolis nutritionem, educationem, aëris circumfuſi conditionem, ſupine & ſecure praetervolent, ut eo tutius ab aſtris fata hominis arceſſant. Hiſce, aliisque argumentis graviſſimis, cum Aſtrologi praemuntur, nihil aliud iis relictum eſt, quam ut ad experientiam provocent. Ad hanc enim ceu ad ſacram confugere anchoram ſolent. Sed hanc fallacem admodum eſſe, illorumque minime confirmare placita, ipſe jam vidit, recteque animadvertit CICERO: *Quam multa ego Pompejo, quam multa Craſſo, quam multa huic Caeſari a Chaldaeis dicta memini: neminem eorum, niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum: id mihi permirum videatur, quemquam extare, qui etiam nunc credat iis, cum praedicta quotidie videant vel ex eventu refelli, libr. II. de divinat. cap. XCIX.* Nec morari quenquam poteſt, quod dicunt, evenire tamen interdum, quae divinatores illi praedicunt. Cum enim multo plura ſint, quae non eveniant, cur incidiſſe eos caſu in veritatem non arbitremur? Ita quidem rectiſſime JOANNES PICUS, Mirandulae comes, colligit, qui & multa alia hanc in rem addit, *lib. II. contra aſtrologos cap. II.* Fieri tamen poteſt, ut infernalis quoque genius Aſtrologicae praedictioni ſe immiſceat, quod praeëunte eodem JOANNE PICO ipſe diſerte aſſerit THEOPHRASTUS PARACELSUS, cujus hac de re locum admodum memorabilem, ex libro ejus de *arte praeſaga* exhibet GEORGIUS PASCHIUS, in *inventis novo-antiquis, cap. XII. pag. 595. ſeqq.* (386) Certe & PETRUS BAELIUS ita judicavit, ſi Aſtrologi vera praedicant, hoc ex commercio atque pacto cum daemone

proficifci, in *dictionar. hiſtorico-crit.* voc. *Ruggeri, pag.* 2627. (387) Ceterum tanta eſt Aſtrologorum ſive temeritas, ſive ſtultitia, ut non tantum ſingulorum hominum, ſed imperiorum quoque ac rerum-publicarum fata aſtris ſubjiciant, eorum incrementa, decrementa, mutationes, everſionesque hinc derivantes. Sic jam olim Romae urbis geneſin, Varrone rogante, delineavit L. Tarrutius Firmanus, ut, in *Romulo*, auctor eſt PLUTARCHUS. Aliud ejusdem urbis thema exhibuit Vettius Valens, Antiochenus; bina alia LUCAS GAURICUS, in *tractatu primo aſtrologico*, qui & Bononiae, Florentiae, Venetiarum, Patavii, aliarumque urbium fata ex aſtris derivare voluit. HIERONYMUM CARDANUM ſimili temeritate regnorum urbiumque fata ex aſtris divinare auſum, notum eſt. Sed plurium quoque urbium themata a Graecis olim Philoſophis excitata & collecta notat CLAUDIUS SALMASIUS, de *annis climactericis, pag.* 533. Plura hac de re collegit JOAN FRIDERICUS MAYERUS, in diſſertatione: *utrum fata mundi regnorum & urbium dependeant ab aſtris?* In his omnibus vero Aſtrologos non tam divinare, quam nugari, recte dixeris. Cum enim nulla excogitari ratio queat, cur unius hominis decreta & actiones a ſtellis proveniant, quis tandem ſibi perſuaſerit, rerumpublicarum, quae tot hominum libere agentium conſiliis reguntur, fata hinc derivari poſſe? Taceo vero, quod ipſe Aſtrologorum diſſenſus artis vanitatem ſatis ſuperque prodat. Nec tamen impietas ac ſtultitia eorum hic ſubſtitit. Religionum enim, & inter reliquas ipſius Chriſtianae fata, aſtris adſcribere nonnulli eorum non dubitarunt. Auctor quidam ſuppoſititius, qui ſub OVIDII nomine de *vetula* ſcripſit, quive ſeculo poſt Chriſtum natum undecimo vel duodecimo vixiſſe videtur, judaicam religionem ſuſpendit a conjunctione Jovis cum Saturno, Chaldaeo-Perſicam a conjunctione Jovis cum Marte, Aegyptiaco-Graecam a conjunctione Jovis cum Sole, Romanam a conjunctione Jovis cum Venere, Chriſtianam a conjunctione Jovis cum Mercurio, & Muhammedanam denique a conjunctione Jovis cum Luna. Verſus ejus, quibus ſuam ſententiam exprimit, exhibet JOANN. FRIDERICUS MAYERUS, in *diſputat. II. utrum fata religionum pendeant ab aſtris?* §. *I.* Simile quid jam antea in mentem venit ABUMASARI, cujus hac de re locum integrum exhibet JOANN. SELDENUS, de *ſynedriis Ebraeorum, libr. II. cap. VII.* Ejusdem ſtultitiae reus eſt PETRUS ALLIACENSIS, a prioribus tamen in eo diſſentiens, ſimulque artis vanitatem prodens, quod non Mercurium, ſed Solem, Chriſtianae religionis auctorem exiſtimat, unde factum ſit, ut dies Solis a Chriſtianis ſacroſanctus habeatur, quemadmodum apud Judaeos, quorum religionem & ipſe Saturno tribuit, dies Saturni, & apud Muhammedanos, quorum ſuperſtitionem a Venere profluxiſſe, cum Abumaſare opinatur, dies Veneris; cachinnis ideo merito exceptus a FRANCISCO MATHAEO VAYERIO, *tom. I. opp. pag.* 275. *ſeqq.* Eundem in

in modum & HIERONYMUS CARDANUS nugatur, etsi in quibusdem iterum a reliquis dissentiens. *Leges Christiana*, inquit, *& Judaica a Deo sunt, fortuna tamen militantium a superioribus gubernatur. Judaica a Saturno, vel ejus stella, vel potius utroque. Christiana a Jove & Mercurio. Muhamethi a Sole & Marte, aequaliter dominantibus: unde justitiam custodit, verum cum impietate & crudelitate magna. Idololatrica a Luna & Marte. Solvitur autem unaquaeque lex a suo contrario. Saturnum debellat Jupiter auctoritate, & Mercurius ratione. Jovem & Mercurium debellat Mars, non audiens rationes, & saeviens contra auctoritatem. Martem & Solem debellant Saturnus & Venus, haec lascivia, ille dolis. Martem & Lunam Sol & Jupiter destruunt, auctoritate, dignitate & veritate. Ob hoc Christiani erigite capita; qui potest capere, capiat; de supplemento Almanach cap. XXII.* Immo alibi eo usque insaniae progreditur, ut, Christianae religioni finem & interitum imminere, ex astris colligat. Cum enim ad PTOLOMAEI *tetrabibl. libr. II. cap. IX. text. LX.* thema Christi genethliacum, de quo deinceps, exposuisset; *naturaliter*, addit, *legem Christianam esse legem pietatis, optimeque institutam, nullumque habituram finem, nisi post reditum eclipticarum, in quo fiat novus status universi.* Similia & alii habent. THOMAS contra CAMPANELLA ex astris colligit, instare tempus, quo totus mundus ad cultum veri Dei sit perducendus, *de sensu rerum, pag.* 64. Ne quid autem ad extremum stultitiae ac impietatis gradum deesset, fuerunt etiam, qui ipsius Servatoris genesin astris submittere non dubitarunt. Haud ultimum inter eos iterum locum tenet HIERONYMUS CARDANUS, qui sententiam hanc, quam, ut ipse fatetur, per viginti annos timide fovit, neque ausus fuit edere, tandem tamen commentario suo in PTOLOMAEI *libr. II. de astr. jud. cap. IX. text. LIX.* inseruit; cujus summam exhibet GEORGIUS PASCHIUS, de *inventis nonantiquis cap. VII. §. XVII. pag.* 587. Immo & patronum atque defensorem nactus est JO. BAPTISTAM MORINUM, qui in *praefat. apologet. astrologiae gallicae* causam ejus strenue egit. (388) Nec tamen aut solus aut primus fuit Cardanus, quem ista dementia cepit, etsi, stolida ambitione abreptus, aliorum exemplo ad sui defensionem uti noluerit, ne tam pulchri inventi se ipsum privaret gloria. Recentissimus autem inter eos, qui ante illum simile quid tentarunt, est Tiberius Russilianus Sextus, Calaber, qui sub Leone X. pontifice vixit, &, cum ob istam audaciam aliorum censuris vexaretur, *apologeticum adversus cucullatos* edidit, ubi thema nativitatis Christi sub tribus diversis schematibus exhibuit, vel ut GABRIEL NAUDAEUS, in *judicio* de *Cardano* loquitur, *tria Christi geneseos themata secundum tres rationabiles differentium doctorum opiniones luculenter enarravit.* Ante eum idem fecit Petrus de Alliaco, archiepiscopus Cameracensis, qui circa initium seculi decimi quinti floruit, in *elucidario astronomicae concordiae.* Huic

Huic autem exemplum jam praeivit Albertus Magnus, cui eruditionis gloria pro temporis iſtius, quo vixit, conditione, non eſt deneganda, etſi idem ſimul a quibusdam artibus ſuperſtitioſis, immo ipſi Magiae addictus credatur, ab aliis tamen defenſus aut excuſatus. (389) Primus omnium vero, qui ad hanc impietatem animum adjecit, fuit Albumaſar, qui circa annum Chriſti DCCC XLVI vixiſſe creditur, & non tantum Muhammedis, ſed & Chriſti Servatoris vitam aſtris alligare non erubuit. Legenda, quae de hiſce ex GABRIELIS NAUDAEI *judicio de Cardano*, antea laudato, in medium adfert PETRUS BAELIUS, in *diction. hiſtorico-crit. voc. Cardanus pag.* 806. add. GEORGIUS PASCHIUS, de *inventis novo-antiquis, cap. VII.* §. *XVII. pag.* 587. *ſeqq.* JO. ANDREAS SCHMIDIUS, Theologus Helmſtadienſis clariſſimus, in *diſſertat. de themate Chriſti natalitio*, & JOAN FRID. MAYERUS, *diſſert. I. utrum fata religionum dependeant ab aſtris?* §. *III.* Non ergo eſt, quod quis miretur, fuiſſe, qui & B. Martini Lutheri fata, ſimulque, quam tam felici ſucceſſu agreſſus eſt, eccleſiae reformationem, ex aſtris derivarent; in malam quidem cuncta interpretantes partem, & haereſeos, quam vocant, ortum, aeque ac tanti haereſiarchae nativitatem, in ſiderum adſpectus conferentes. Agmen hic iterum ducit HIERONYMUS CARDANUS, in *libro* de *genituris num. XI.* Idem fecit FRANCISCUS JUNCTINUS, referente & adprobante FLORIMUNDO RAIMUNDO, *lib. I. de origine haereſium cap. V.* & alii. Hi vero omnes non potuerunt non turpiter ſe traducere, cum de anno natali Lutheri nihil certi conſtet. Lepidum vero prorſus eſt, quod, cum ipſi illi auctores, qui Lutheri fata aſtris tribuunt, de anno nativitatis inter ſe diſſentiant, in eventibus tamen, qui illis jam noti erant, conſentiant egregie; quo nomine & illorum ſtultitiam ridet PETRUS GASSENDUS, *tom. I. opp. p.* 505. conf. & JO. FRID. MAYERI *diſſertat. I. utrum fata religionum pendeant ab aſtris?* §. *I. II.* Atque ex hactenus quidem dictis, ut & impietas & vanitas Aſtrologicae artis ſatis eluceſcit, ita nemo quoque temere dubitaverit, eos, qui illam exercent, aut fidem ei adhibent, recte *ſuperſtitionis* argui. Non negaverim, fieri poſſe, ut per Aſtrologiam aliquis & ad Atheismum ſeducatur; quemadmodum & nonnullos Aſtrologos inter Atheos relatos conſtat, uti de ipſo HIERONYMO CARDANO ſupra *cap. I.* §. *XXIV.* obſervavimus; ſimul tamen fatendum, & raro id fieri, & inter omnes Atheos eos merito pro ineptiſſimis haberi, ut itidem *cap. II.* ad §. *IX.* oſtenſum. Dum vero plerique Aſtrologorum Deum quidem admittunt, Eumque ſe colere ſibi perſuadent, & nihiloſecius homines, aſtrorum imperio eos ſubjiciendo, omni libertate, Deum autem revera providentia & mundi gubernatione privant, eam, quam ſequuntur, colendi Deum rationem non modo perverſam, ſed revera ridiculam eſſe, adeoque non alio, quam ſuperſtitionis nomine inſigniendam, nemo non intelligit. De

reli-

reliquis artibus divinatoriis, quarum quaedam cum Aſtrologia arctiſſimo vinculo conjunctae ſunt, deinceps dicemus.

(382) *Pleraque eorum, quae de Aſtrologiae origine proſtant apud Veteres, collegit* Bruckerus *Hiſt. Crit. Philoſ. Tom.* 1. *pag.* 108. *ſeqq. Si Chaldaeis inventionis gloria eſt tribuenda, haec, certe, perexigua eſt. Vix autem alicujus ſunt ponderis rationes, quas Cl. Auctor Introduct. ad Hiſt. Phil. Hebr. pag.* 24. (*Edit. Halenſ.* 1720.) Lambecio *opponit, ut demonſtret, illius argumenta non probare,* Abrahamum *Aſtrologiae non incubuiſſe: inter alia poſuerat* Lambecius, *Aſtrologiam eſſe artem prorſus vanam, atque futilem, indignamque, in qua Abrahamus ingenium exercuerit; regerit* Buddeus, hoc nondum eſſe probatum. *Verum, ſi Vir Clar. tantum perpendere voluiſſet argumentum* Favorini *apud* Gellium, *illudque ſolidiſſimum, facile demonſtratum inveniſſet aſſertum* Lambecii; *cujus veritas evicta fuit a plurimis, quos ipſe enumerat Auctor pag.* 516. *ſeq. Nihil autem ad rem facit id, quod l. c. notat Cl.* Buddeus, Aſtrologiam ſpeciatim ſic dictam (*quae ſcil. ab* Aſtronomia *differt, & huic fere eſt oppoſita*) apud antiquiſſimas gentes pro Philoſophiae parte haud ultima fuiſſe habitam; *licet enim Abrahamus, cum inter Chaldaeos Idololatras verſaretur, praeceptis nugacibus vanae hujus artis* potuerit *imbui, attamen vix credibile eſt, hominem, veri Dei cognitione gaudentem, illis adhibuiſſe fidem, artemque illam exercuiſſe.*

(383) *Conf. ea, quae ſupra notavi ad Cap.* 1. §. 24. *n.* 51. Cardani *ſuperſtitionem circa nugas Aſtrologicas aemulatur* Thomas Campanella, *qui fatales putavit Eclipſium effectus, ita tamen ut praecaveri poſſint, ſi domus diligenter claudatur, incendatur ſuffitus aromaticus, aliaque adhibeantur medicamina Magica. Vid.* Bruckerus *Hiſt. Crit. Phil. Tom. IV. Part. II. pag.* 121. *ſeq.* Morhof *in Polyhiſt. Tom.* 2. *L.* 2. *P.* 1. *C.* 12. §. 9. (*qui tamen ab omni ſuperſtitione in hac parte non videtur liber*).

(384) *Divinandi Artis ex Siderum poſitu plurima veſtigia etiam noſtra aetate non deſunt; ſaltem reperti fuerunt, qui tempeſtates, quae caeteroquin* vagae *dicuntur, exinde praenuntiare fuerunt conati: nemo hic ulterius progreſſus fuit, quam* Joannes Goad *Anglus, in* Aſtrometeorologia ſana, *cui adjungi quodammodo poſſet Marchio* Ghiſleri, *in Praefat. ad Ephemerides A.* 1739-1756. *Ex opere autem* J. Goad, (*qui* Artis Aſtro-meteorologicae Inſtaurator *dicitur*) *evidentiſſimum depromi poteſt exemplum hominis ab eruditione non deſtituti, ſed ad nauſeam usque ſuperſtitioſi. Veriſſimum quidem eſt Cl. Auctoris monitum, res ipſas ſtatim in dubium vocandas non eſſe ex eo, quod nobis*

modus ratioque, qua corpora tam immenſo ſpatio a noſtra Tellure diſtantia in ea aliquid efficere queant, non conſtet: verum, niſi conſtiterit indubiâ experientia, *certos Solis, Lunae, Planetarum & Stellarum fixarum poſitus ſemper determinatas tempeſtates, aliaque in Tellure & in ejus Atmoſphaera occurrentia phaenomena habere comites, de explicatione modi non eſt, quod ſimus ſolliciti: atqui ſola ratio ab* A. Gellio *nomine* Favorini *allata demonſtrat, rem ipſam, de cujus modo agitur, nunquam per experientiam* poſſe *conſtare; cum idem coeli poſitus poſt plurima demum ſecula redeat. Non nego, influxum quendam in Tellurem noſtram habere corpora coeleſtia, ſed, Aſtro-meteorologiam vanam penitus, ejusque regulas ab omni ſundamento deſtitutas eſſe, prudentemque Deum etiam hic futuri temporis exitum caliginoſa nocte premere, ſum certiſſimus.*

(385) *Si corpora coeleſtia aliquem in Tellurem, atque in omnia corpora, quae in Tellure reperiuntur, habeant influxum, (quod negari non poteſt, licet regulas ignoremus, ſecundum quas influxus ille operatur) effectus ejus aliquis dari poſſet in corpus animale: humanum autem corpus adeo arcte eſt alligatum menti rationali, ut hujus operationes plurimum pendeant a conſtitutione corporis. Si corporis temperamentum ſit varium, pro varietate ſoli, in quo conſtituitur, pro varietate ciborum, quibus alitur, pro varietate aeris, quem inſpirat, ſique mentis inclinationes & qualescunque operationes ſint variae pro varia diſpoſitione corporis, non mirum foret, ſi etiam morales hominum actiones pro variis hiſce differrent circumſtantiis, quae cum operationibus corporum coeleſtium ſunt connexae. Vid.* Barclaji *Icon Animorum Cap.* 2. *ſeqq.* Becman *Hiſt. Orb. Terr. pag.* 394. *ſeqq.* Kaau Boerhave *Impetum faciens &c. pag.* 325. *ſeq.* Montesquieux *l'Eſprit des Loix Liv. XIV. Chap.* 2. *ſuiv. (qui tamen nimium tribuit Climatum diverſitati, uti recte notavit Anonymus in notis ad finem Lib. XIV^ti.) nec non* la Phyſique de l'Hiſtoire *paſſim, praeſertim Chap.* 5. *ſuiv.*

(386) *Neſcio, quo colore dici poſſit, infernalem Genium ſeſe immiſcere praedictioni Aſtrologicae, niſi absque ulla ratione ſtatuere velimus, Deum arcana ſua conſilia, quae rerum futurarum eventum reſpiciunt cum Diabolo communicaſſe, idque ſummopere diſplicet in loco* admodum memorabili Paracelſi, *quem intendit Cl. Auctor, cum dicat:* ſcire vos velim, Diabolum artem hanc (*praeſagam, ſcilicet*) complevitte hoc modo: —— coepit ſeſe & ipſe Diabolus ſtellis immiſcere ſuamque nequitiam inſerere, & Aſtronomiam Aſtrologiamque latius extendere, docendo & inſtituendo homines. Ita enim ſuis aſſeclis praecepit: ſi infans tali coeli adſpectu natus prodiit, dicito

cito hanc ipsius sortem, hanc fortunam fore. Et licet ista quidem stellarum natura non sit; ipse tamen illi me inseram infanti, ipsum moderabor ducamque, ut pro artificibus veris habeamini, *&c.* *An quidem audentius scribere potuisset* Paracelsus, *si ipsi Diabolo fuisset a secretis? an non hac ratione manifestissime plus virium tribuitur infernali Genio, quam ipsi competere possunt?*

(387) *Adeo hypothetice loquitur* Bailius *l. c. Lit. D, ut facile appareat, illum de toto hocce negotio nihil credere;* si, *inquit*, verum foret, operationem Astrologicam detexisse Gaurico, Regem Henricum secundum in certamine singulari neci esse dandum, Astrologia annumeranda foret artibus Magicis, iisque divinandi modis, qui pacto cum Diabolo inito nituntur: *sed, paucis interjectis, addit:* Nota, quaeso, intellectu difficile esse, futurum divinari posse Daemonis auxilio; licet quippe Angelorum scientiam amplissimam supponamus, haec tamen complecti non videtur nexum omnium objectorum, quae cognoscenda sunt, ut certo praenuntietur, has vel illas res habituras esse locum; & absurdum dictu foret, Deum illis id ipsum revelare, quotiescumque executioni mandare cupiunt funestum, quod cum hominibus iniissent, pactum.

(388) *Non eo absurditatis processit* Cardanus, *ut statuerit vel divinitatem in Christo, vel Ejus Miracula, vel vitae sanctitatem ab Astris pendere: sed optimâ atque mirabili constitutione Astrorum genesin Ejus a Deo optimo notatam perhibuit; cum optimum fuerit corporis Christi temperamentum, sanitate perpetua exornati. Atque etiam hoc nomine* Cardanum *defendit* Morinus (*apud* Paschium *l. c. pag.* 589.) *quod non latum sit judicium de Christo, ut Christus vel Deus est; sed ut verus est homo; qua ratione Christus abhorrere non potuit a naturae legibus, cum caeteros homines iisdem subjecerit, & ipsemet solis ardorem, famem, sitim, frigus, aliasque molestias sustinuerit. Quantum ad ipsam mortem; hanc Christus ex* Morini *sententiâ libere subiit, sed, ad majorem Ejus gloriam ex Astrologiâ etiam patere, existimat, Ipsum fuisse verum hominem, & submisisse corpus suum iisdem causis naturalibus a se conditis, quibus aliorum hominum corpora subdidit & subjecit, sic Ipse elegit mortis tempus causis physicis & coelestibus congruum, nec, eo praesente, mortem diutius differre voluit.*

(389) Albertus Magnus *ab* Albumasare (*quem in seqq. memorat ex* Paschio *l. c. Cl. Auctor*) *dissentit: hic enim dixerat*, adscendit in primo facie signi cancri Virgo, pulcra & honesta, habens in manu duas species, & nutrit puerum, & vocat ipsum puerum quaedam Gens

Jesum, & adſcendit cum eo ſtella Virginis: *ſed* Albertus Magnus *ſubjungit:* nos autem ſcimus, quod ſub adſcendente cancro natus fuerit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cum hoc, quod aequatio motus octavae Sphaerae in tempore ejusdem fuerit 8. gr. & 30′. min. ſecundum calculationem certiſſimam, & quod ipſa tunc erat minuenda de locis Planetarum inventis per canones: non quod ſubjaceat ſtellarum motui, qui creavit ſtellas; ſed ipſe cauſa erat, cur ſuam mirandam nativitatem aſtra ſignificarent. *Ex hoc autem diſſenſu inter Aſtrologos, & ex figmentis, quibus nituntur calculi, quaeque ſanior Aſtronomia ridet, facile, etiamſi non alia proſtarent rationum pondera, apparet, quid de nugaci hacce arte ejusque cultoribus ſit judicandum. Nihil autem magis ridiculum, quam ex nominibus, quae conſtellationibus, & praeſertim Zodiaci ſignis ſunt impoſita a Veteribus Paſtoribus, Nautis, Poëtis, & Principum adulatoribus, aliquid concludere velle; cum hae denominationes ſint penitus arbitrariae. Virgo, quam in coelum evexerunt, nihil cum figura & diſpoſitione ſtellarum in illo coeli loco habet commune, atque eodem jure ſtellularum ad virginem pertinentium congeries intra terminos figurae equinae potuiſſet comprehendi. Nemo melius vanitatem Aſtrologorum monſtravit, quam* Gaſſendus *Oper. Tom. 1. pag. 719—752. ſeu Phyſic. Sect. 2. Lib. 6. Cap. 2. ſeqq. ex quo plerique recentiores ſua hauſerunt. Id unum adjeciſſe juvabit, praedictiones omnes penitus falſas eſſe debere, ſi fidae non fuerint Tabulae Aſtronomicae, ſique Horologia, quibus tempora menſurantur, non rite fuerint diſpoſita: aſt ante ſeculum decimum ſeptimum, imo ante ſeculum hocce noſtrum ubi proſtabant Tabulae, quae ſatis accurate planetarum loca determinabant? ubi dabantur horologia, quae ad tantum perfectionis culmen erant evecta, ad quod nunc* Grahami, Ellicotii, Sheltoni, Harriſonii, Hugenii *noſtri veſtigiis magnam partem inſiſtentium, induſtriâ, fuerunt perducta?*

§. V.

Nec in coelo modo, ſed & in tellure noſtra innumera fere ſuperſtitioſa credulitas invenit, quae in rem ſuam vertat, & quibus ceu ſcopulis quibusdam adhaereſcat. Namque & radicibus quibusdam, plantis, gemmis, lapidibusque, & partibus animalium, ejusmodi efficaciam & virtutes tam mirabiles tribuunt, quibus non tantum non gaudent, ſed quae indoli etiam eorum ac naturae prorſus repugnant. * Idem & de litte-

litteris, ſignis, characteribus, ſimilibusque ſtolidae vanitatis monumentis, obſervandum: ** itemque, de amuletis, periaptis, & aliis ſuperſtitioſorum hominum commentis longe ineptiſſimis. *** Tandem & eodem habendi loco, qui proſperum aut infauſtum rerum eventum ex rebus variis, quae caſu fortuito illis obveniunt, derivantes, omnia ubique captant. * Hi vero omnes non ignorantiam modo ſuam & credulitatem, ſed & diffidentiam in Numinis providentiam prodentes, relictoque ordine divinitus praeſcripto, nimia, quod cupiunt, obtinendi aviditate abrepti, ad inuſitata, ſingularia, vetita prolabentes, a ſuperſtitione, qua Deum graviſſime offendunt, abſolvi nequeunt. **

* Sic gemmis quibusdam virtutem fugandi daemones, & ſpectra repellendi, plantis quibusdam, & animalium nonnullorum partibus, certa ratione adhibitis, virtutem aliorum amorem nobis conciliandi, aut alios etiam adducendi, ut dormientes ſecreta quaevis revelent, tribuunt; & quae alia ſunt ejusdem generis, in libro de *virtutibus lapidum, herbarum, &c.* aliisque ſcriptis, quae ſub ALBERTI MAGNI nomine circumferuntur; in ALEXII PEDEMONTANI *libris ſeptem de ſecretis;* ANTONII MIZALDI *centuriis memorabilium*, JOAN. BAPTISTAE PORTAE *magia naturali*, JO. JACOBI WECKERI *libris ſeptendecim ſecretorum*, ſimilibusque, obvia. Nonnulla quoque huc ſpectantia refert, & lepidiſſime exagitat auctor ingenioſiſſimus libri Gallicano idiomate ſcripti, ſed in Germanicum translati, Hiſtorie oder Erzehlung der ſeltſamen Einbildungen / welche Monſieur Oufle aus Leſung ſolcher Bücher bekommen / die von der Zauberey / etc. und andern aberglaubiſchen Dingen handeln / etc. cumprimis *part. I. cap. VII. & VIII. p. m. 59. ſeqq.* Non equidem negaverim, plantarum aliarumque rerum corporearum vim & efficaciam non prorſus nobis cognitam eſſe; ſed ea, quae in fugandis daemonibus, in flectendis hominum animis, & quae alia ejusdem generis ſunt, iis tribuitur, ita comparata eſt, ut, cum nullus, immo ne poſſibilis quidem inter cauſam & effectum deprehendatur nexus, non poſſit non inter inania, vaniſſimaque hominum ſuperſtitioſorum commenta, referri.

** Exemplum vel illi praebent, qui per verba, ſigna, & characteres ejusmodi, varia morborum genera curari poſſe, exiſtimant. Qua de re GEORGIUM PASCHIUM audire juvat: *Praeter haec eſt alia, celebrata*

a multis curatio, qua difficiles ac periculosi morbi plurimi nulla prorsus vel potione medica, vel aliis sumtis pharmacis sanantur. Fitque illa, quam recte dixeris magicam, vel per verba, vel per characteres. Verba, quae vel demurmurari solent, vel clara voce pronuntiari, sunt vel σημαντικὰ, *sive significantia, vel* ἀσημάντικα, *sive non significantia. Hujus generis sunt illa lippis & tonsoribus nota vocabula: Abracadabra, Sator, Arebo, Tenet, Obera, Rotas; item: Chunrat, Cara, Sarite, Abrac, Aman, Gibel, Got, Irioni, Khiriori; & quorum ad luxationis & fracturae curationem usus est: Matas, Denatas, Daries, Dardaries, Araries, &c. aliaque stoliditatis plena quam plurima, ab auctoribus passim notata, quae hic recensere operae pretium non est. Vocum autem significantium aliae sunt peregrinae, ex Graeca, Ebraea, aliisque linguis arcessitae; aliae domesticae, eaeque vel profanae, vel sacrae, harumque imprimis magnus, gravissimam Numinis vindictam incurrens, abusus est, &c.* Interjectis deinde nonnullis, de characteribus idem auctor ita pergit: *Ad characteres quod attinet, Theophrastus Paracelsus prae aliis in eo est, ut varios diversissimosque praescribat modos, quibus plurimi morbi facillime depellantur, quam quidem per signa curandi methodum licet ex minus probato fonte oriri, ipse hariolletur, integrum tamen esse scribit, de caussis morborum invisibil. quaest. I. pag. 34. a diabolo remedia recipere, cum in hominum salutem ea cedunt. Habuitque is inter alios vanissimae suae artis magistrum Quintum Severum Samonicum, seculi post Christum natum tertii medicum, qui inter carmina, quae de febribus scripsit, contra hemitritaeum sequentem composuit conum, collo appendendum,* ABRACADABRA, &c. de *inventis nov-antiquis, cap. VI. §. XXIII. pag.* 393, 394. Versus, quibus Quintus Severus Samonicus hocce arcanum expressit, hi sunt:

> *Inscribes chartae, quod dicitur ABRACADABRA,*
> *Saepius & subter repetes, sed detrahe summam,*
> *Et magis atque magis desint elementa figuris,*
> *Singula quae semper rapies, & cetera figes,*
> *Donec in angustum redigatur littera conum,*
> *His lino nexis, collum redimire memento, &c.*

Unde ista superstitio, de Abracadabra, quae hodie adhuc perdurat, orta sit, non temere dixeris. Non contemnenda tamen videtur conjectura JO. SELDENI, a Basilidianorum Abraxas eam ortam esse. Certe, Samonicus, ut idem observat, praeceptor Gordiani junioris erat; haeretici autem Basilides & Valentinus, centum plus minus annos eum antevertunt, & sub Adriano & Antonino philosopho, puram religionem inquinarunt; de *diis Syris syntagm. I. cap. II. pag.* 118, 119. (390) Ad rem ipsam quod attinet, non temere quisquam, nisi rerum omnium igna-

ignarus dixerit, ipſarum litterarum, vocum characterum, quandam ad hoſce effectus producendos vim ac efficaciam eſſe poſſe. Certe, qui ejusmodi quid ſibi perſuaſerit, quod rationi tam manifeſte repugnat, cum ipſa ratione, ſi modo aliquam habet, inſanire dicendus eſt. Quodſi autem unquam litterae, voces, characteres, ſimiliaque aliquid effeciſſe videntur, tum aut imaginationi hominum id tribuendum, cujus in curandis morbis vim ſingularem & prorſus admirabilem eſſe conſtat; aut fatendum, & daemonis hic interceſſiſſe operam, quo quidem ſenſu ejusmodi morbos curandi ratio recte magica dicitur.

(390) Seldenum *ſecutus fuit in hac conjectura Cl.* Voſſius *de Theologia Gentili Lib.* I. *Cap.* 8. *p. m.* 62. (*ad quem igitur provocare ſupervacuum eſt*) *ſed an ideo* Abracadabra *ab* Abraxa *primum fluxit, quia duae priores ſyllabae utrique vocabulo ſunt communes?* Abraxas *fictus fuit* Valentinianorum *&* Marcoſianorum, *ut &* Baſilidianorum *Deus, qui, ipſo notante* Seldeno *l. c., ab* Hieronymo *idem fuit habitus cum Mithra, ſeu Sole; quia in literis hujus nominis numerus* 365, *intra quos dies Sol curſum ſuum abſolvere videtur, comprehenditur. Attamen & a nonnullis ſcriptum fuit* abraſadabra, *ut, ridendo conatu, duplicem Trinitatis notam in hoc vocabulo quaererent; quo ipſo nihil cum* Abraxas *haberet commune: ſed an operae pretium eſt iſtiusmodi nugis inhaerere?*

*** Amuleti, vel ut alii loqui malunt, amoleti (ab amoliendo dicti) nomine corpus aliquod venit, characteribus, imagine & figura certa inſignitum, ut ſingulari ad pellendos morbos, mala quaevis averruncanda, aliosque effectus mirabiles edendos, praeditum. Quaedam de coelo delapſa putantur; plurima vero arte parantur. Illa, ſi nonnullos audias, vel majora ſunt, ut Graecorum palladium, & ancile Romanorum; vel minora, ut nummi quidam aurei, quos nonnulli coelo delapſos, neſcio, majorine ſtoliditate fingant, an impudentia aliis perſuadere conentur. Arte comparata amuleta vel majora itidem ſtatuuntur, vel minora. Illa formas animalium aemulabantur, quandoque etiam ad formam humanam efficta, vel integram ſtatuam, vel partem referebant. Haec vero corporum naturalium ſive integrorum, ſive mutilorum ſpeciem exhibent, rebus artificioſis, annulis, gemmis, & lapidibus pretioſis, non excluſis. Huc & lamellae ſignorum zodiaci, & planetarum, ſub certa conſtellatione fabricatae, pertinent; vid. GEORGIUS PASCHIUS, de *inventis nov-antiquis cap. VI.* §. *XXIII. pag.* 395. *ſeqq.* Ejusdem fere commatis ſunt figurae Taliſmanicae, ſeu ſimulacra, vel imagunculae, ſub certa conſtellatione confectae, quibus, praeter vim varios effectus mirabiles edendi, etiam facultatem quandam ad interrogata reſpondendi, & praedicendi futura, tribuunt.

Eas

Eas non unius esse generis, intelligere licet ex iis, quae JAC. GAFFARELLUS de iis tradit, in *curiositatibus inauditis*, *cap. VI. pag.* 102. *seqq.* cumprimis autem ex iis, quae copiose & erudite ad h. l. notavit GREGORIUS MICHAELIS, *num. LIX. pag.* 257. *seqq.* Sunt nonnulli, qui figuras hasce Talismanicas a veterum Teraphim, quorum in historia sacra jam tempore Jacobi Patriarchae, mentio injicitur, derivandas censent; quod si verum esset, summam illarum antiquitatem argueret. Verum horum neutiquam certo nititur fundamento sententia. Teraphim namque antiquissimis temporibus nihil aliud erant, quam statuae, quas nonnulli majoribus suis ad memoriam eorum conservandam consecrabant; mox autem accedente superstitione, ad benedictionem a majoribus impetrandam, cultu divino prosequebantur. (391) Post Mosis vero demum tempora, cum magicae artes apud Chaldaeos incrementum sumsissent, divinationis quoque facta sunt instrumenta; quod qua ratione intelligendum sit, in *histor. ecclesiast. veter. testam. ad period. I. sect. III. ad* §. *XXII. pag.* 428. exposui. Inde vero nondum constat, Teraphim imagunculas fuisse sub certa constellatione, ad effectus mirabiles edendos, fabrefactas. Veterum etiam haereticorum, speciatim Basilidianorum gemmae, vocem notissimam *Abraxas*, quod summi Dei, ut nonnulli putant, apud eos nomen fuit, referentes, an satis accurate pro figuris Talismanicis habeantur, dubito: inter amuleta magica recte eas referri, certum est. Legendus de iis JOAN. MACARIUS, canonicus Ariensis, in disquisitione posthuma, de *gemmis Basilidianis*, quae inscribitur, *Abraxas*, seu *Aristopistus*, quam JOANNES CHIFLETIUS, canonicus Tornacensis, publici juris fecit, simulque & aliam ipse dissertationem adjunxit, quae inscribitur: *Abraxas Proteus*, seu *multiformis gemmae Basilidianae portentosa varietas*, in qua centum & viginti gemmas Basilidianas exhibet, & commentario illustrat; Antverpiae anno M DC LVII 4to. Quicquid hujus sit, jam antiquis temporibus, Talismanicas figuras in usu fuisse, & apud orientales populos, cumprimis Arabes, superstitioni, speciatim Astrologiae admodum addictos, originem accepisse, non abnuerim. Seculo post Christum natum decimo tertio ROGERUM BACONEM, & decimo quarto PETRUM APONENSEM artem ejusmodi figuras conficiendi professos esse, constat, Virisque eruditis est observatum; conf. GEORGIUS PASCHIUS, de *inventis nov-antiquis*, *cap. VI.* §. *XXIV. pag.* 399. Nec recentiori aetate defuisse, qui tum figuris ejusmodi Talismanicis, tum aliis amuletis vim quandam singularem tribuerent, pretiumque ejusmodi nugis statuerent, Henrici Cornelii Agrippae, Theophrasti Paracelsi, Jacobi Gaffarelli, aliorumque exemplis condoceri potest. Et GAFFARELLUS quidem, in *curiositatibus*, quas vocat, *inauditis cap. VI. pag.* 102. *seqq.* valde operosus est, ut Talismanicas imagines defendat. Id vel inscriptio capitis docet: *posse secundum orientales figuras quasdam*

certo

certo coeli positu confici, quae naturaliter & absque daemonum ope animalia noxia depellant, ventos, flumina & tempestates avertant, variis denique morbis medeantur. Tribus vero maxime argumentis istam figurarum vel imaginum efficaciam probare annititur: quorum primum ab astrorum influxu petitum est; alterum a vi συμπαθείας seu similitudinis; tertium denique ab experientia. Ab ultimo, in quo maximum haud dubio causae praesidium ponit, dum orditur, exempla plurima cumulat, quibus putat, istam imaginum efficaciam probari posse: ad quod tamen quid respondendum sit, quilibet, non prorsus perfunctorie cuncta secum expendens, facile intelligit. Ne quid enim de eo dicam, quod testimonia auctorum, ex quibus exempla ista depromsit, non uno omnia habenda sint loco, immo quaedam ita comparata, ut non sine ratione in dubium vocari queant, de effectu quidem, si locum inveniant, certiores nos reddere possunt, minime autem de causa, naturalisve sit, an praeternaturalis? Neque enim de eo quaestio est, an ejusmodi imagines aliquando efficaciam quandam, e. g. in morbis pellendis, habeant: hoc enim non prorsus negaverim. Sed de eo quaeritur, num effectus hic naturalis sit, an vero daemonem auctorem habeat? Praeterea, num effectus per se causam sequatur? quaeritur, non autem, an id per accidens fiat. Intercedente enim hominis imaginatione, effectum salutarem aliquando sequi posse, nemo temere inficiatus fuerit; qui tamen imagini ejusmodi vel figurae, ceu causae, tribui nullatenus potest. Corruit hinc alterum auctoris argumentum, a συμπαθεία petitum. Quemadmodum enim voces istae συμπάθεια & ἀντιπάθεια non alio loco habendae, quam reliquae qualitates occultae, quibus, qui istis utuntur, non tam phaenomenorum naturalium causam reddunt, quam suam profitentur ignorantiam; ita in explicanda ista συμπαθείας efficacia auctor ad ea dilabitur, quae vim quidem singularem imaginationis probant, causam tamen, quam defendendam suscepit, parum juvant. Reliqua autem aut nihil probant, aut digna non sunt, quae in censum veniant. De tertio, quod antea primo posuimus loco, quid judicandum sit, argumento, astrorum scilicet influxu, patet ex iis, quae supra de Astrologia fuse disputavimus. Ad objectiones quidem secus sentientium respondere conatur GAFFARELLUS, *loc. cit. cap. VII. pag.* 137. *seqq.* sed ea ratione, ut causae suae imbecillitatem prodat potius, quam ut robur aliquod seu praesidium illi adferat. Nihil itaque aliud superest, quam ut haec omnia περίεργοις illis, igne dignissimis, quorum *Actor. XIX:* 19. mentio injicitur, annumeremus. Jureque adeo & in veteri Ecclesia, qui talia aut usurparent, aut conficerent, aut artes ejusmodi profiterentur, damnati sunt, & ab Ecclesiae communione remoti, ut vel ex concilii Laodiceni, *can. XXXVI.* liquet: *Quod non oportet eos, qui sunt sacrati vel clerici, esse Magos vel Incantatores, vel Mathematicos, vel Astrologos, vel facere ea, quae di-*

 cun-

cuntur amuleta, quae quidem ſunt ipſarum animarum vincula; eos autem qui ferunt, ejici ex Eccleſia juſſimus. (392) Immo ab Ethnicis Imperatoribus, quod mireris, iſta ſuperſtitio prohibita, graviterque punita fuit. De Antonino namque Caracalla AELIUS SPARTIANUS refert: *damnati ſunt, & qui remedia quartanis tertianisque collo annexa geſtarent:* in *vita Antonini Caracallae cap. V. pag. m.* 716. Ad quem locum quae IS. CASAUBONUS notat, cum obſervatu digna ſint, hic legiſſe, poenitebit neminem: *Plena ſunt monumenta Graecorum, & Latinorum hujusmodi remediis. Graeci* περίαπτα *&* περιάμματα, *interdum &* ἐξαρτήματα *nominant. Fere autem cum magicorum verborum ſuſurro iſta amuleta adhibebantur; quam vanitatem omnium ſeculorum ſapientes damnarunt. Mirum vero, adeo ſevere in eos, qui talia remedia geſtarent, ab eo principe, omnium, niſi fallor, primo, fuiſſe animadverſum; quem curioſis artibus fuiſſe deditiſſimum, teſtibus Dione & Herodiano conſtat nobis. Ita nempe videas libidinoſiſſimum quemque principum legem Juliam de adulteriis plurimum ſaepe urſiſſe. Haeſit diu in animis veterum Chriſtianorum approbatio & ſtudium horum remediorum. Quare Joannes Chryſoſtomus, & alii pii ſanctique viri, multis locis ſcriptorum ſuorum graviſſime in eos ſunt invecti, qui more paganico* περίαπτα *annecterent; extantque de horum poenis canones multi in antiquis patrum conciliis, &c.* A Chriſtianis Imperatoribus deinceps itidem leges variae conditae ſunt, quibus tum hoc genus, tum aliae ſpecies omnes vetitarum artium coërcebantur. De Conſtantii temporibus verba faciens AMMIANUS MARCELLINUS, *nam ſi qui*, inquit, *remedia quartanae vel doloris alterius collo geſtaret, ſive per monumentum tranſiiſſe veſpere malevolorum argueretur indiciis, ut veneficus, ſepulcrorumque horrores, & errantium ibidem animarum ludibria colligens vana, pronuntiatus reus capitis interibat, libr. XIX. cap. XII. pag. m.* 251. Ad quem MARCELLINI locum quae FREDERICUS LINDENBROGIUS notavit, itidem lectu digna ſunt. Sed mitto reliqua, quae hac de re dici poſſent.

(391) *Nequaquam demonſtrare licet apodictice,* Teraphim *antiquiſſimis temporibus fuiſſe ſtatuas vel imagines, quas nonnulli Majoribus ſuis,* ad memoriam eorum conſervandam, *conſecrabant: quippe, ſive Rachel furata fuerit Patris Teraphim* Gen. *XXXI:* 30. *ex ſuperſtitionis ſpecie, cum futura per eos ſciri crederet, ſive id fecerit, ut Patrem abduceret ab idololatrico, ſaltem ſuperſtitioſo eorum cultu; Laban eos appellat* Deos ſuos. *Conf. Cl.* Witſius *Aegypt. Lib.* 2. *Cap.* 10. *ſeq.* Heidegger *Hiſt. Patriarch. Tom. II. Exerc.* 1. §. 38. Ode *de Angelis Sect.* 1. *Cap.* 6. §. 11. *Denotare quidem videtur vocabulum* תרפים 1 Sam. *XIX:* 13. Imaginem, *quia de Mical dicitur,* quod adſumtam quandam imaginem impoſuerit lecto; *ſed nullum datur indicium, illam fuiſſe in memoriam majorum conſtructam; & licet*

LXX.

LXX. eam vocem interpretati fuerint per κενοτάφια, *exinde tamen non liquet, imaginem fuisse Majorum; cum vocabulum hocce* simulacrum *vel* qualemcunque imaginem *designet.*

(392) *Id unum in gratiam eorum, qui Mathematica studia colunt humano generi utilissima & penitus necessaria, adjicere liceat, per* Mathematicos *hic intelligendos esse illos, qui ex vana intestinorum, manuum, vultuumque inspectione futura contingentia praedicere, ac artibus quibusdam & subsurris Magicis scire se omnia & facere profitebantur, quos huc praesertim refert* Perezius *in Cod. ad Leg.* 2. *de Malef. & Mathem. quales sunt Aruspices & Harioli, quos Imperator Mathematicis adjungit eodem titulo Codicis Leg.* 5. *Praecipue vero hic per Mathematicos intelligere debemus* Astrologos, *qui in eadem illa Leg.* 5. *dicuntur* Chaldaei: *hoc sensu* Juvenalis *Sat. XIV.* nota Mathematicis genesis tua. *Vid.* Gellius *Noct. Att. Lib. XIV. Cap.* 1. Gassendus *in Lib. X. Diog. Laert. Tom.* 1. *p.* 473. Fabricius *ad* Sextum Empericum *adv. Grammaticos in initio pag.* 214. *De hisce fusius & ex professo egi olim in juvenili Dissertatione ad Leg.* 2. *Codic. de Malef. & Mathem.*

* Ominum ejusmodi captatio, ut longe frequentissima olim apud Ethnicos fuit, ita nec hodie inter Christianos desiit, immo tam firmiter multorum animis infixa haeret, ut inde vix evelli posse videatur. Et ad Ethnicos quidem quod attinet, non defuerunt inter eos, qui homines omina captantes superstitionis arguerent. Qua de re ipsum THEOPHRASTUM audire juvat, qui superstitiosum hominum delineans, haec de eo observat, quae brevitatis studio Latino tantum idiomate referemus: *Superstitiosus vero is est, qui elatis manibus & aqua lustrali adspersus e templo, folium lauri tenens, integrum diem ita ambulet. Si viam mustela ingrediente eo transcurrerit, non ante progredietur, quam alius prior transierit, aut ipse tres lapides trans viam miserit. Serpentes si viderit in aedibus, sacellum eo loco exstruet. Lapides unctos, qui sunt in triviis, solet oleo ex ampulla perfundere, nec prius discedere, quam posito genu eos fuerit veneratus. Quod si mus forte farinae follem arroserit, adit ad interpretem, & quid facto sit opus, eum percontatur; qui si respondeat, cerdoni nimirum tradendum esse illum follem, ut sarciatur, superstitiosus iste, neglecto arioli responso, religioni rem habens, exinanitum saccum a se amolietur. Solet etiam demum crebro purificare; sepulchrum nullum insistere; ad defunctorum justa nullus accedere, neque item ad ullam unquam puerperam. Insomnium porro si viderit, pergere ille ad somniorum interpretes, ad divinos, ad augeres, sciscitaturus, cui Deo, cui Deae vota sint facienda. Et ut sacris initietur, ad Orpheotelestas singulis mensibus cum uxore, aut, si uxori non vacet, cum nutrice & filio-*

liolis suis itat. Praeterea in compitis, antequam inde discedat, aqua in caput aspersa se lustrat. Piatricibus quin etiam ascitis jubet se sequillae aut catuli circumlatione purgari. Quodsi quem mente captum aut comitialem viderit, solet inhorrescens in sinum sibi despuere; in *characterib. morum, cap. de superstitione pag. m.* 47. Non luculentius sane ista circa omnia superstitio describi poterat. Audire tamen etiam hac de re AUGUSTINUM juvat, cujus eo libentius verba recito, quod simul eam, de qua antea diximus, superstitionem, quae verbis, characteribus, similibusque rebus vim singularem tribuit, perstringit. *Ad hoc genus,* inquit, *pertinent omnes etiam ligaturae, atque remedia, quae medicorum quoque disciplina condemnat, sive in praecantationibus, sive in quibusdam notis, quas characteres vocant, sive in quibusdam rebus suspendendis atque illigandis, vel & saltandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes, aut occultas aut etiam manifestas; quae mitiore nomine Physica vocant, ut non quasi superstitione impliare, sed natura prodesse videantur, sicut sunt inaures in summo aurium singularum, aut de struthionum ossibus ansulae in digitis, aut cum tibi dicitur singultienti, ut dextera manu sinistrum pollicem teneas. His adjunguntur millia inanissimarum observationum, si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit; atque illud, quod lapidem calcant, tanquam diremtorem amicitiae, minus molestum est, quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrerit. Sed bellum est, quod aliquando pueri vindicantur a canibus. Nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, ut etiam canem, qui medius intervenerit, ferire audeant, non impune; namque a vano remedio cito interdum ille percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa; limen calcare, cum ante domum suam transit; redire ad lectum, si quis, dum se calceat, sternutaverit; redire domum, si procedens offenderit; cum vestis a soricibus roditur, plus timere superstitionem futuri mali, quam praesens damnum dolere. Unde illud eleganter dictum est Catonis, qui, cum esset consultus a quodam, qui sibi a soricibus erosas caligas diceret, respondit: non esse illud monstrum, sed vere monstrum habendum fuisse, si sorices a caligis roderentur; de doctrina Christiana libr. III. cap. XX. pag. m.* 20. Nec tantum homines plebejos, sed magnae etiam dignitatis viros tam ridicula superstitione laborasse, deprehendimus. De Augusto namque Imperatore SUETONIUS refert, eum *auspicia quaedam & omina pro certissimis observasse. Si mane,* inquit porro, *sibi calceus perperam, & sinister pro dextero induceretur, ut dirum; si terra marive ingrediente se longinquam perfectionem forte rorasset, ut laetum, maturique & prosperi reditus. Sed ostentis praecipue movebatur. Enatam inter juncturas lapidum ante domum suam palmam, in compluvium deorum penatium transtulit, utque coalesceret, magno opere curavit, &c.* in *Augusto cap. XCII.* Jam antea *cap. LXXXIII.*

de eodem dixerat: *pumilos atque distortos, & omnes generis ejusdem, ut ludibria naturae, malique ominis abhorrebat.* Immo huc tota Haruspicum atque Augurum pertinet disciplina, apud Romanos adeo decantata, irrisa quidem a sapientioribus, non alio tamen fundamento, quam quod omina praebent, innixa; de qua praeter CICERONEM ipsum libris duobus, de *divinatione*, Romanarum antiquitatum scriptores legendi, speciatim BURCARDUS GOTHELF STRUVIUS noster, in *syntagm. antiquitatum Romanar. cap. VI. pag.* 252. *seqq.* Jungenda & ANDR. CHRISTIANI ESCHENBACHII dissertatio, de *auguriis veterum*; quae nona est inter *dissertationes* ejus *Academicas* junctim editas, *pag.* 551. *seqq.* ut reliquos, qui hac de re ex instituto egerunt, mittam, laudatos jam JO. ALBERTO FABRICIO, *bibliograph. antiquar. cap. XII. pag.* 410. *&* 411. Romanos cum aliis idololatriae & superstitionis generibus, istam quoque omina & auguria captandi disciplinam, ab orientis populis, ejusmodi nugis ad insaniam usque deditis, accepisse, non est, quod dubitemus. Apud hos enim cum reliquis artibus divinatoriis hanc quoque in usu fuisse, neminem fugit. Quin immo & ipse Moses jam hujus rei mentionem injecit, siquidem *Deut. XVIII:* 13. מנחשים, hoc est, ὁ οἰωνιζόμενοι, ut LXX interpretes vertunt, commemorantur; quo nomine omnium ejusmodi captatores indigitati, jam observatum, in *histor. eccles. vet. testam. ad period. II. sect. I. §. XXXVI. pag.* 777. Ab Ethnicis ad Christianos hanc superstitionem transiisse constat, &, nisi experientia doceret, Veterum Ecclesiae doctorum nos minime sinerent dubitare testimonia. Ipse JO. CHRYSOSTOMUS, *orat. XXI. ad populum Antiochenum*, hac de re conqueritur, simulque exempla stolidae istius vanitatis adfert: τί ποτ' ἐςι συμβολά φησι; πολλάκις ἐξελθὼν τις τὴν οἰκίαν τὴν ἑαυτȣ͂, εἶδεν ἄνθρωπον ἑτερόφθαλμον ἢ χωλεύοντα, καὶ οἰωνίσατο· τȣ͂το πομπὴ Σατανική· ȣ̉ γὰρ ἡ ἀπάντησις τȣ͂ ἀνθρώπȣ πονηρὰν ποιεῖ τὴν ἡμέραν γένεθαι, ἀλλὰ τὸ ἐν ἁμαρτίαις ζῆν. *Quid enim sunt omina, talis ait; quod saepe quis, si domo sua egressus, viderit hominem altero orbatum oculo, aut claudum, & inde ominatus fuerit. Istud est pompa Satanica. Non enim occursus istius hominis facit, ut improsper tibi sit dies; sed quod in peccatis vivas.* Et iterum: εἴπω καὶ ἕτερον καταγελάςερον; αἰχύνομαι καὶ ἐρυθριῶ, ἀναγκάζομαι δὲ ὅμως τὴν ὑμετέραν σωτηρίαν εἰπεῖν· ἐάν ἀπαντήση παρθένος, φησὶν, ἄπρακτος ἡ ἡμέρα γίνεται· ἐὰν δ' ἀπαντήση πόρνη, δεξιὰ καὶ χρησὴ καὶ πολλῆς ἐμπορίας γίνεται· *Dicamne & aliud multo magis ridiculum? pudore suffundor & erubesco; at cogor interim in salutem vestram id dicere. Si virgo obviam fiat, ait, hic dies (mihi) sit improsper. Si vero occurrat meretrix, opportunus ille dies; & utilis, & lucrosus est.* Plura ejusdem generis qui desiderat, is adeat ANTONII VAN DALE, *dissertationes* de *origine & progressu idololatriae, dissertat. III. pag.* 364. *seqq.* Hodie adhuc nihil temere frequentius esse, apud homines superstitiosos, ominum variorum captatione, satis interdum ridicula, notum omnibus est. Exempla etsi proh dolor! quotidie sint

obvia, apud JOANNEM CHRISTOPHORUM MANLINGIUM legere licet, in libro Germanico idiomate edito: Denckwürdige Curiositaten derer so wohl inn- als ausleudischer abergläubischen Albertatem / als der weiten Welt allgemeinen Goezens / Ec. *capite.* cumprimis *XIII. pag.* 296. *seqq.* Atque ex hactenus dictis characterem hominis superstitiosi intelligere licet, quem & eleganter atque concinne exhibet vir doctissimus, ingeniosissimusque, SAM. WERENFELSIUS, in *dissertat. de superstitione in rebus physicis p. m.* 1. *Malum*, inquit, superstitionem designans, *non infrequens, at bonae menti inimicissimum, quod si quis semel imbibit, nihil tam ridiculum, atque ab omni veritatis specie alienum est, quod fidem apud ipsum non inveniat. Omnia hic timebit somnia; ad omnia expavescet omina; nunc canis illum, nunc cornix, nunc ulula terrebit; si, quot annos sit victurus, scire avet, ex cuculo id quaeret; quoties dextra auris tinniet, laetabitur; sinistra, moerebit; quoties amabit, philtrum sibi datum conqueretur. Nihil incipiet, quin prius calendarium inspexerit,*

capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosyris.

Siderum ignes pejus metuet, quam cum proximus ardet Ucalegon. Venam sibi secari non patietur, nisi impetrata a planetis venia. Semen terrae non committit, cum terra, sed cum luna id jusserit. Caput tonderi jubebit, cum luna est aut in leone, ut capilli instar villorum leoninorum rigescant, aut in ariete, ut instar cornuum arietinorum crispentur. Quicquid crescere volet, crescente hoc sidere, quod sensim diminui, decrescente, inchoabit. Cum in tauro luna est, nunquam adduci poterit, ut medicamenta hauriat, ne animal hoc ruminans medicamentum evomere cogat. Vitabit mare, quoties Mars est in medio coeli, ne bellator iste Deus piratas adversus se suscitet. Arborem seret in Tauro, ut signum hoc, quod fixum Astrologis appellari solet, altius eam in terram defigat. Si quando adire volet principem, expectabit, donec luna consocietur soli; tum enim salutaris est minoris cum majore societas. Domo egrediens nihil magis metuet, quam invidi oculi adspectum: peregre abiens, lupi non tam dentes timebit, quam inprovisum intuitum, ne is facultatem sibi loquendi adimat; domum reversus verebitur identidem, ne forte basiliscus ex ovo galli sui prodeat, qui venenato se adspectu interficiat. Optaret quidem, ut bona sua post mortem ad amicissimos redirent, sed mavult ea, nescio quibus, relinquere, quam testamentum condere, metuens, ne statim a condito testamento moriatur. Annum climactericum praetergressus, non aliter laetabitur, ac si ex mortis ungulis elapsus esset. Si forte vulneratur, unguentum non vulneri, sed quod efficacius est, telo, quo sauciatus est, collinet. Aegrotus praescriptas pilulas pari numero nunquam deglutiet; herbis non utetur, nisi fausta quadam hora decerptis; morbum nova quadam arte instar

ſtar germinis transplantabit, cuique volet, arbori inſeret. Febrim non pharmacis expellet, ſed, quod praeſentius eſt remedium, ungues reſectos cancroque alligatos averſus poſt tergum, ut Deucalion lapides, ex quibus novum hominum genus ortum eſt, in proximum flumen projiciet, &c. Recte vero idem Vir doctus paucis interjectis addit: *En! ſuperſtitioſi noſtri imaginem, quae ſi cui hyperbolica videtur, agnoſcimus, huc usque inſaniae non omnes venire, hanc indicii intemperiem in aliis majorem, minorem in aliis eſſe; at reperiuntur certe, qui haec prope omnia hisque ipſis ineptiora & credunt & profitentur, &c.*

** Ut eo rectius cuncta, de quibus hactenus diximus, dijudicari queant, obſervandum primo, non quemlibet in rebus Phyſicis errorem ſtatim pro ſuperſtione habendum, ſed ſi quis vana & inani perſuaſione ductus, cauſis quibusdam ejusmodi effectum tribuat, qui quo nexu cum cauſa cohaereat, nemo mortalium, quantumvis rerum naturalium peritus, ingenii acumine praeditus, perſpicere valeat. Deinde, cum, qui inter cauſam & effectum intercedit, nexus, vel *generalior* vel *ſpecialior* ſit; lubentes concedimus, ſpecialiorem ſaepius nos latere, ut tamen ideo effectus minime ſit in dubium vocandus, multo minus, qui nexum iſtum neſcit, & nihiloſecius cauſae effectum tribuit, ſuperſtitionis arguendus ſit. Experientia ſane quotidiana docet, multos dari effectus, de quorum cauſis non eſt dubitandum, etſi nemo mortalium nexum ſpecialem cauſae & effectus explicare queat. Praeterea, cum nexus, qui inter cauſam & effectum intercedit, vel *certus*, vel *veriſimilis*, vel *poſſibilis* ſit, manifeſtum eſt, eam demum perſuaſionem ſuperſtitionis notam incurrere, quae effectum cum cauſa conjungit, cujus nexus virorum perſpicacium judicio nec veriſimilis nec etiam poſſibilis eſt. Eleganter haec omnia illuſtrat, quem antea jam laudavimus, SAMUEL WERENFELSIUS, *loc. cit.* §. *I. ſeqq. pag.* 5. *ſeqq.* Sunt porro haec maximam partem ita comparata, ut directe quidem religionem Numinisque cultum non attingant, ſed ignorantiam potius nimiamque credulitatem arguant. Unde is ipſe, quem modo laudavimus, Vir doctiſſimus, de *ſuperſtitione*, inquit, *hic loquimur, non quatenus rationi adverſatur; non ea, quam Theologi condemnant, ſed quam Philoſophi rident; non ea, quae ſtultitia; non denique de ea, quae aut falſum numen, aut verum ineptis ceremoniis placat, aut a daemonibus auxilium expectat; ſed de ridiculo quodam in rebus naturalibus errore, qui virtutem cauſis attribuit, quae illis convenire nullo pacto poteſt, loc. cit.* §. *I.* Nihiloſecius, cum homines ejusmodi ineptiis addicti, mediis a Deo nec ordinatis, nec probatis, ad finem conſequendum utantur, & cum credulitate & ſtultitia, pravae plerumque conjunctae ſint cupiditates, cum filiali inſuper Dei timore & fiducia iſta conciliari nequeant, nullum plane eſt dubium, quin ad minimum indirecte cum vera religione, cultu-

cultuque Numinis genuino, pugnent, adeoque & hoc nomine, ceu peccata graviſſima condemnentur merito, atque rejiciantur. (393)

(393) *An quidem Cl.* Buddeus *hoc monito praecavere potuit, ne extra oleas paululum vagaſſe dicatur, & an non innumeri ſunt errores populares, quos eodem jure ad ſuperſtitionem referre licuiſſet? an non memor eſſe debuiſſet illius definitionis, quam de ſuperſtitione dedit Cap. VIII. §. 1. variarumque ſuperſtitionis ſpecierum, quas ipſe recenſuit in memorato capite? Dicere licet cum* Werenfelſio *l. c. (ſive Opuſcul. Tom. II. pag.* 120.) tum demum validam ſuſpicionem in nobis oriri poſſe, perſuaſionem, quae effectum cum cauſa conjungit, eſſe ſuperſtitionem, cum homines rationis uſu excellentes, ſanaeque Phyſicae principiis probe imbuti, nullum veriſimilem, imo ne quidem poſſibilem inter cauſam atque effectum nexum reperire poſſunt: *de vocabulis non facile litigabo: verum hoc unum tantum obſervandum, ſic deſcribi ſuperſtitionem, quae cum Atheismo non eſt conjungenda, quaeque adeo hic in cenſum venire nequit, ubi agitur de generibus ſuperſtitionum,* quae indirecte circa Numinis cultum verſantur. *Ipſe* Werenfelſius *l. c. pag.* 119. *inquit:* de ſuperſtitione hic loquimur non quatenus religioni, ſed quatenus rationi adverſatur, *&c. Et certe plurima transſcripſit Cl. Auctor ex laudato Tractatu* de ſuperſtitione in rebus Phyſicis, *quae quidem ridebit ſincerus Philoſophus, ſed quae,* ceu graviſſima peccata, *condemnabuntur a nemine aequitatis & charitatis ſtudioſo. An graviſſimum committit peccatum, qui, ſemen terrae commiſſurus, attendit ad Lunae phaſes, vel qui Aegrotus praeſcriptas pilulas pari numero nunquam deglutiet?*

§. VI.

Singulari quadam ratione circa tempora, * loca, ** & nomina propria, quae hominibus imponi ſolent, *** mortalium ſeſe exerit ſuperſtitio. Etſi enim manifeſtum ſit, hiſce omnibus ad effectus, qui illis tribuuntur, producendos, nullam vim eſſe, nullamque efficaciam, nihil tamen ſolennius frequentiusque, quam ut bona quaedam aut mala hominibus adferre credantur, adeoque *fatalitas* quaedam iis tribuatur. Quod qui faciunt, ut ſubinde nimiam credulitatem ſuam produnt, ita ſimul in divinam injurii ſunt providentiam.

* An-

* Antiquiſſimis jam temporibus ea perſuaſio hominum animos invaſit, ut quosdam dies fauſtos proſperosque, infauſtos alios, crederent. Per aſſociationem enim idearum plerisque mortalium, facile admodum contingit, ut tempori, quo aliquid accidit, tribuant, quod longe aliis cauſis tribuendum erat. Hinc itaque diem, quo ſibi adverſi quid evenit, ceu cauſam mali, infauſtum ſibi eſſe, exiſtimant, & inde porro concludunt, quoties ille quotannis recurrit, eundem ſemper infauſtum eſſe. Hinc apud Romanos dies quidam infauſti cenſebantur, quos & *atros* adpellarunt, eo quod olim iis exercitus eorum clade quadam graviori adfectus eſſet, vel alia quaedam memorabilis calamitas reipublicae contigiſſet. *Dierum vero,* inquit ALEXANDER AB ALEXANDRO, *quidem fauſti & agendis rebus felices, quidam atri & triſti omine infames habiti: quibus aliquid moliri, aut novae rei inceptare, eventus exitialis erat. In his exercitum conſcribere, legiones educere, manum cum hoſte conſerere, ſponſalia inire, peregre proficiſci, aut quidquam publicae vel privatae rei moliri, incoeptu foedum & exitiale aeſtimarunt. Obſervatumque fuit, ut, qui hoſtes bello tentare, vel acies eo tempore committere curarent, rem in non mediocre periculum diſcrimenque adducerent, magno poſtea exitio conſecuto. Fuiſſe autem, qui atros dixere dies poſt Idus Quintiles ad quintum decimum calend. Sextiles, duplici clade inſignes, quo ad Cremeram Fabii caeſi, & quo ad Alliam foede Romani a Gallis fuſi fugatique fuere: quibus graviter adflicta & in extremum diſcrimen adducta Romana res fuit; &c. genial. dier. lib. VI. cap. XX. pag. m.* 1137, 1138. Confirmant haec AUL. GELLIUS, *noct. Atticar. lib. V. cap. XVII.* MACROBIUS, *Saturnal. lib. I. cap. XVI.* & ante hos TITUS LIVIUS, *hiſtoriar. libr. V. cap. I.* Scriptores quoque Romanarum antiquitatum copioſius hoc ediſſerere ſolent. Non tantum vero Romanis, ſed aliis quoque gentibus, dies quosdam aut infelices aut fortunatos, exemplis quam plurimis docet is, quem jam laudavimus ALEXANDER AB ALEXANDRO, *loc. cit. pag.* 1141. De Graecorum ſpeciatim diebus auſpicatis legendus AELIANUS, *variar. hiſtoriar. libr. II. cap. XXV. pag. m.* 109. *ſeqq.* Obſervatum etiam fuit, ſingulis quandoque hominibus dies quosdam fatales fuiſſe, ut aut proſpera aut adverſa, aut utraque, certo anni menſisque die experti fuerint. Sic diem VI. Aprilis fatalem ferunt fuiſſe Alexandro magno, quippe quo natus ſit, quo Darium etiam vicerit, & denique mortuus ſit. Eodem die, addunt, conflagraſſe templum Dianae Epheſinum, in praeſagium incendii ab Alexandro per totam Aſiam excitandi, immo & Graecos eodem die memorabilem ad Plateas victoriam a Perſis retuliſſe, & in pugna quadam navali diſceſſiſſe ſuperiores. Pompejum porro ajunt magnum, natum fuiſſe die trigeſimo Septembris, eodemque ob victorias in Aſia reportatas, & occupatam Hieroſolymam, triumphaſſe, ſed eodem quoque in Aegypto interfectum eſſe. Mitto alia ejusdem generis, quae magno

 nu-

numero adferri possent; quorum nonnulla leguntur, in JOANNIS CHRISTOPHORI BECMANNI *lineis doctrinae moralis*, *cap. VII.* §. *IV.* Non equidem negaverim, divinam in hisce subinde arcana quadam ratione se prodere providentiam, adeoque non omnia, quae hac de re traduntur, contemnenda esse promiscue atque rejicienda. Cavendum tamen, ne ad absolutum aliquod Numinis decretum (394) aut fatum Stoicum, in providentiam divinam palam injurium, prolabamur. Cavendum praeterea, ne ipsi tempori, cujus in rebus producendis nulla est efficacia, tribuamus, quae ab aliis caussis profecta, certo ac determinato tempore sese exerunt. Hoc enim qui faceret, ignorantiae & superstitionis merito reus censeretur. Minus vero recte etiam a nonnullis huc vaticinia Scripturae sacrae de rebus futuris, referuntur, quae certo & determinato tempore evenire debebant, e. g. *Genes. XV:* 16. *Dan. IX:* 24. In hisce enim quod eventus, etiam qua temporis rationem accurate responderit, non ob fatalitatem quandam temporis, aut similem caussam, factum; sed Deus per omniscientiam suam vidit, isto tempore eventura, quo eventura ea praedixit. Multo vero minus ipsi tempori in hisce eventibus efficacia quaedam tribuenda, quod sine summa stoliditate fieri non posset. Facile autem ex dictis etiam intelligitur, quid de *annis climactericis* censendum, de quibus ex instituto egit CLAUDIUS SALMASIUS; conferendus vero etiam est CENSORINUS, de *die natali*, *cap. XIV.* legendaque, quae ad *h. l.* observavit HENRICUS LINDENBROGIUS, *pag.* 95. *seqq.* Nimirum ipsius temporis, aut numerorum, nullam in hisce vim & efficaciam esse, quilibet facile intelligit. Fieri tamen potest, ut ex aliis caussis, quas recentiores rerum naturalium & medicarum consulti explicant, sensim mutatio quaedam in corpore humano contingat, quae singulis maxime se exerat, & conspicua evadat, septenniis. (395) Praeter hactenus commemorata, multa alia sunt superstitionum circa dies, festos cumprimis, & sanctorum nominibus in fastis consecratos, genera, quibus homines plebeji ad insaniam usque dediti sunt, quae in compendio exhibet JO. CHRISTOPHORUS MAENLINGIUS, in den denkwürdigen Curiositäten derer so wohl in- als ausländischen Abbertaeten/ etc. *cap. VIII. pag.* 187. *seqq.* qui & *cap. IX. pag.* 216. *seqq.* superstitiosas ejusmodi hominum ineptias circa septimanas, menses, & annos, commemorat.

(394) *Conf. ea, quae supra observavi* n. 337. & 338.

(395) *Neque heic loci a posse ad esse valet consequentia: fieri potest, ut sensim mutatio quaedam in corpore humano contingat, quae singulis maxime se exserat, & conspicua evadat* septenniis; *sed idem de* sexenniis, *de* octenniis, *de* decenniis *eodem jure dicere licet: experientiam solam hic consulere debemus, quae nullo modo docet, annum aeta-*

aetatis tertium & sexagesimum hominibus esse fatalem magis, quam omnes alii vitae humanae anni; quia, scilicet, numerus hicce enascitur ex multiplicatione duorum numerorum 7 & 9, quos sacros putavit plurimorum credula nimis superstitio; idque jam obtinuit apud Veteres Romanos, qui non tantum statuebant, quandam numeri septenarii esse vim & facultatem in multis naturae rebus animadversam, de qua olim disseruit Varro, *teste* Gellio *Noct. Att. Lib. 3. Cap. 10. cum quo conf.* Macrobius *in Somn. Scip. Lib. 1. Cap. 6. verum etiam tertium & sexagesimum aetatis annum fatalem prae reliquis censuerunt, uti ex memorato* Gellio *constat Lib. 15. Cap. 7., ubi partem epistolae profert, quam Augustus dedit ad Cajum Filium, in qua sic scribit:* quem, ubicunque hoc die fuisti, spero laetum & benevalentem celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum: nam, uti vides, κλιμακτῆρα communem seniorum omnium, tertium & sexagesimum annum evasimus. *Si vero Tabulas mortalitias, quae ex observationibus fidis sunt conditae, consulamus, inveniemus, nil, nisi praejudicia, hic dari ex superstitione nata, uti recte demonstravit ingeniosissimus* Struyck *Nadere Ontdekkingen nopens den staat van het Menschelyk geslagt pag. 181. enz. Vid. quoque* SUSMILCH die Gottliche Ordnung in den veranderungen des Menschlichen Geschlechts 2 Theil §. 490. *pag. 361. Edit. 2dae; ubi errorem revocavit, quem in prima editione commiserat, acsi post periodum decem annorum in cujuslibet hominis aetate plures morerentur homines, uti decimo, vigesimo, trigesimo, aetatis anno.*

** Loca quaedam hominibus fatalia esse, itidem nonnulli sibi persuadent. De Mülberga, ad quam Joannes Fridericus, Saxoniae Elector, a Carolo Caesare captus est, verba faciens AUG. THUANUS, *hujus loci nomen,* inquit, *viris principibus male ominosum semper fuisse, a viris curiosis rerum Germanicarum observatum est, si quidem ad Mülbergam in Bavaria Ludovicus IV. imperator, Fridericum ducem Austriae, & Henricum fratrem, anno M CCC XXIII. Robertus item imperator centesimo circiter anno post Bernardum, Badensem Marchionem, ad Mülbergam supra Nemetes cepit; historiar. libr. IV. pag. m. 115.* Alia exempla adfert JOANNES CHRISTOPHORUS BECMANNUS, in *lin. doctr. moral. cap. VIII. §. V. pag. 195.* Sed, quod de diebus, aliisque temporis partibus, diximus, idem & de locis observandum. Fieri sane potest, ut in uno eodemque loco calamitas quaedam homines aliquoties excipiat. Quod cum aut casu plane fortuito contingere queat, aut ex aliis causis, occultis iis quidem, procedat, per idearum associationem loco ceu causae effectum tribuunt, cujus tamen in eo producendo, vis nulla, nullaque est efficacia. Hinc tamen imaginatio ad credulitatem prona, fatalitatem locorum fingendi occasionem arripit. Hanc vero si vel

maxime experientia confirmaret, certum tamen, non locis, aut eorum fatalitati, ſed aliis cauſis effectum iſtum tribuendum eſſe. Interim contingit, ut homines ſuperſtitioſi temporum locorumque fatalitatem plus timeant, quam iram Dei, immo per ejusmodi timorem ſuperſtitioſum a fiducia in Deum collocanda ſe averti patiantur.

*** Varia iterum & multiplex hominum circa nomina propria eſt ſuperſtitio. Qui liberis ſuis ſanctorum celebriumque Virorum nomina imponunt, parentes haud raro ſibi perſuadent, illos non poſſe non hiſce ſimiles evadere, ſiquidem idem habeant nomen. Plane, ac ſi nudum nomen per vim quandam magicam mentem moresque hominum mutare, ac ex ſtupidis ingenioſos, ex flagitioſis probos ac virtuti deditos, efficere poſſet. Sunt etiam, ex Judaeis praecipue, qui nominum mutationem ad morbos depellendos, immo ad hominem a mortis periculo liberandum, plurimum valere ſibi perſuadent. Collegit talia JOAN. CHRISTOPHORUS MAENLINGIUS, in den denkwürdigen Curioſitaeten derer ſo wohl in- als auslaendiſchen aberglaubiſchen Albertaeten / *cap. XIV. pag.* 317. *ſeqq.* Solent & ſubinde nomina quaedam fatalia commemorari. Nomen Ferdinandi Hiſpanis, Leopoldi domui Auſtriacae, Ludovici Galliae auſpicatum, Jacobi contra Scotiae regibus infauſtum eſſe creditur; confer. JO CHRISTOPH. BECMANNUS, *lin. doctrin. moral. cap. VIII.* §. *III. pag.* 185. Id quidem conſtat, nominum impoſitionem aut mandato Numinis, aut ejus inſtinctu, olim factam, myſterio non caruiſſe; quamvis ideo pro ſacramento non ſit habenda, quod nonnullos facere a me obſervatum eſt, in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. ad period. I. ſect. I.* §. *XXV. pag.* 129, 130. Multo minus mutatio nominis, Dei mandato facta, myſterii expers cenſenda; conf. *Gen. XVII:* 5. *XXXII:* 28. Nec vituperandum illorum inſtitutum, qui liberis ſanctorum Virorum nomina imponunt, ut horum eo ardentiori ſtudio imitentur virtutes. Sed haec omnia ita comparata ſunt, ut ſuperſtitio circa nomina, antea commemorata, nullum inde praeſidium capiat.

§. VII.

Cum intempeſtiva maxime futura praenoſcendi aviditas multos mortalium ad ſuperſtitionem impellat, nec temere quicquam ſit, quod non, ſi in ſignum aliquod futuri eventus arripiatur, variam interpretationem admittat, plurima hinc orta ſunt divinationum genera, ad fallendos credulos perquam

quam accommodata. Latiſſime vero iſta divinatoria ſuperſtitio patet, cum praeter ea, quae ceu cauſa ad effectum producendum praebere indicium creduntur, aut modo praeternaturali & efficere quid, vel praedicere poſſe exiſtimantur, de quibus hactenus dictum, & alia ſint, quae nec cauſae rationem habent, nec praeternaturali virtuti, qualis eſt ſpirituum, tribuuntur, & tamen ad futura indicanda apta eſſe, ſtolida prorſus cenſentur credulitate. In quibus cum itidem rebus creatis ea tribuant, quae ſoli Deo propria ſunt, animumque in Numinis voluntate minime acquieſcentem prodant, graviter & hoſce peccare, poſitum eſt extra omnem controverſiam. *

* Quae ſuperſtitioſi homines per ineptam credulitatem rebus creatis tribuunt, ad duo revocari capita poſſunt Vel enim ab iis aliquid *effici* putant, dum e. gr ſanitatem, morborum depulſionem, divitias, honores, proſpera, adverſa & reliqua ejusdem generis, illis imputant; vel *futurorum* indicationem ab illis expectant. Quaedam vero ita comparata ſunt, ut utroque nomine ſuperſtitioſis inſerviant, dum & effectum quendam illis ceu cauſae tribuunt, & futurorum quoque ſignificationem ab illis expectant; e. g. mali genii, & aſtra. Namque a ſpiritibus malignis & operam ſeu auxilium in quibusdam, & futurorum ſignificationem, homines artibus magicis addicti ſibi pollicentur. Sic & aſtra efficere non minus, quam ſignificare proſpera & adverſa hominum creduntur. Haec vero cum ad priorem claſſem, de qua hactenus dictum, merito referantur, nunc autem de iis, quae alteram claſſem conſtituunt, ſeu ad futurorum indicationem tantum pertinent, dicendum ſit, ratio facile intelligitur, cur, cum ultimo loco de ſuperſtitione divinatoria agere nobis conſtitutum ſit, *magicarum* divinationum jam in antecedentibus injecta ſit mentio. Factum namque hoc, ut diximus, ideo eſt, quia ſpiritus maligni & aſtra ad primam objectionis claſſem recte referuntur, cum homines creduli non tantum futurorum indicationem, ſed alios quandoque effectus ab iis proficiſci poſſe, ſibi perſuadeant, immo interdum ceu cauſam futurorum effectuum ea conſiderent. Ad ea itaque, de quibus hic loquimur, divinationum quod attinet genera, tanta eſt illorum multitudo, ut numerum inire difficile, de omnibus verba facere, magni voluminis res futura eſſet. SAMUEL WERENFELSIUS, vir clariſſimus, cum bene obſervaſſet, quia ex cauſarum effectuumque minime cohaerentium colli-

gatione, ceu foecunda matre, tot ſuperſtitionum genera, hominibus non minus ad ſignum ex re qualibet deſumendum pronis, prout ex quolibet cujuslibet facere cauſam iis ſolenne eſt, eleganter & ingenioſe more ſuo addit: *Hinc tot ſunt divinandi genera, ab hominibus excogitata, ut, ſi nomina eorum paginae huic infarcire vellem, ultra octoginta Graeca adducerem vocabula, pleraque compoſita cum nomine* μαντεία; *prorſus, ut, ſi quis Grammaticus (ut ſunt in his rebus curioſi) ex me quaereret, quodnam in Graeca lingua, quae omnium maxime compoſitis abundat, vocabulum ſit, quod plurimas admittat compoſitiones, dicerem, verbum, eſſe* μαίνομαι; *hinc enim duo deſcendunt nomina* μανία *&* μαντεία, *quorum compoſita non contemnendum vocabularium conſtituere poſſent;* de *ſuperſtitione in rebus phyſicis*, §. *VII. pag.* 21. *ſeqq.* Non deſunt tamen, qui in variis divinationum generibus recenſendis operam ſtudiumque collocarunt, quod poſt CICERONEM *libris duobus de divinatione*, ex inſtituto egit CASPAR PEUCERUS, in libro notiſſimo, de *variis divinationum generibus*, itemque HIERONYMUS CARDANUS, de *rerum varietate cap. LXVIII. ſeqq.* JANUS BOISSARDUS, de *divinatione & magicis praeſtigiis cap. V. pag.* 15. aliique. In compendio etiam praecipua divinationum genera ſecundum alphabeti ordinem recenſet JOAN ALBERTUS FABRICIUS, in *bibliographia antiquaria cap. XII. pag.* 409. *ſeqq.*
(396) Nos miſſis reliquis, utpote hodie maximam partem ignotis, de *geomantia* ſaltem & *orinomantia* quaedam obſervabimus, Per Geomantiam nimirum ejusmodi ars divinatoria intelligitur, quae per puncta, vi quadam coeleſti, ut putant, in chartam projecta, & ad figuras reducta, rerum eventus praenuntiat. Paulo plenius rem exprimit CASP. PEUCERUS, dum, *geomanticae*, inquit, *conjectationes fiunt ex punctis ſedecim ſorte conſtitutis. Figuras ipſas auctores primi compoſuerunt ex punctis digeſtis in certas ſpecies, neſcio, an caſu vel judicio, & ad duodecim zodiaci ſigna ſeptemque aptarunt planetas, ut hoc praetextu perſuaderent imperitis, e coelo in figuras illas, dum ab artifice formantur, illabi atque influere vim novam, quae ſi in certa domicilia ſchematis ad imaginem uſitatam thematis coeleſtis conſtructi, diſponantur, ſignificent ea, quae aſtra ipſa hoc poſitu, nativa ſua ut terrenis omnibus, ac hominum generi praecipue inferant, deſignentur; de variis divination. generib. pag. m.* 220. Unde ſimul patet, Geomantiae cum Aſtrologia convenientiam quandam intercedere, immo illam pro hujus filia non ſine ratione a quibusdam haberi. Fuerunt, qui ex inſtituto geomanticae hujus artis arcana panderent, quos inter haud poſtremus eſt ROBERTUS FLUD ſive DE FLUCTIBUS, cujus extat liber: *de animae intellectualis ſcientia, ſeu geomantia, hominibus appropriata, quorum radii intellectuales extrinſecus, hoc eſt, circa negotia mundana verſantes, & e centro diſſipati, in centrum recolliguntur;* in *faſciculo geomantico*, qui anno M DC LXXXVII. prodiit, cum aliis ejusdem commatis ſcriptis editus. Poſt FLUDDIUM

&

& alii quam plurimi ingenii Vires in hocce campo exercuerunt; praesertim, cum ante annos circiter quatuordecim haec superstitio multorum in Germania animos ceu pestis quaedam invaderet, varii libelli Germanica lingua scripti, hac de re lucem adspexerunt publicam. Summam rei in compendio exhibet, quem jam laudavi, CASP. PEUCERUS, *l. c.* item JOACHIMUS FORTIUS RINGELBERGIUS, in *operibus*, junctim anno M D LVI. Lugduni editis, *pag.* 540. cum primis autem legenda JO. ANDR. SCHMIDII, Theologi Helmstadiensis clarissimi, peculiaris de *geomantia* dissertatio. Vanissimam vero esse hancce geomantiam, atque ac reliquas ejusdem generis artes divinatorias, & per se facile intelligitur, & inde etiam patet, quod nulla causa, cur hac ratione hominibus futura innotescant, assignari queat. Ex astris, si vim istam futura indicandi arcessas, eaedem contra Geomantiam militabunt rationes, quibus Astrologiam supra impugnavimus. Si ad nescio quem spiritum motorem, quem alii jactitant, te recipias, incertum per aeque incertum probabis. Sed ex ipsa forte mente hominis causa istius rei arcessenda? Ita quidem artis hujus magistri ac defensores existimant, quippe qui ad hancce divinationem velut ecstasin quandam requirunt, hoc est, abstractionem radiorum mentis ab omnibus rebus sive negotiis peregrinis. Nam, *ut in raptu magno*, inquiunt, *mentis & animae radii sursum ad divinam essentiam attolluntur, ibique aggregantur, sic etiam in hoc raptu minori animae humanae radii foras emissi, & passim dispersi revocantur ad centrum suum, & in mentem reflectuntur; atque ita homo, qui antea propter lucis suae diffusionem erat obscurus, jam illuminatur, fitque gloriosus per radiorum expansorum congregationem.* Ita rationem hanc exprimit GEORGIUS PASCHIUS, de *inventis nov-antiquis, cap. VII. §. XIX. pag.* 599. quae tamen aut revera nihil significat, aut animae humanae naturalem quandam vaticinandi facultatem tribuit. Hoc vero perperam fieri, abunde ex iis liquet, quae supra hac de re disputavimus. Nec vana tantum est ars Geomantica, sed & superstitiosa, hominibus aut aliis rebus creatis tribuens, quae soli Deo sunt propria, pravisque saltem hominum cupiditatibus & intempestivo futura sciendi desiderio, cui cum acquiescentia in Numinis voluntate non bene convenit, originem debens. Fuerunt, qui vanitatem artis istius ex instituto demonstrarunt, quod & in compendio solide satis fecit CASP. PEUCERUS, *loc. cit.* Ipse quoque eam agnovit HENR. CORNELIUS AGRIPPA. Cum enim aliquot scriptores geomanticos recensuisset, addit: *scripsi & ego quandam geomantiam ab aliis longe diversam, sed non minus superstitiosam fallacemque, aut, si vultis, dicam etiam, mendacem; de vanitate & incertitud. scientiar. cap. XIII. pag.* 76. (397) Ad *oniromantiam* denique quod attinet, antiquissimam eam esse, immo olim partem quandam eruditionis & sapientiae constituisse, nemo tam ignarus rerum omnium est, qui

qui nesciat. Certe, cum Pharao, qui tempore Josephi rerum in Aegypto potiebatur, de somnii sibi oblati significatione solicitus esset, a חכמים *sapientibus*, & חרטמים *divinis* suis, quos eum in finem convocaverat, eam discere voluit. Quod ab iis profecto non postulasset, nisi, cum aliis superstitionis partibus, artem interpretandi somnia, professi essent. De Nebucadnezare quoque, magno Babyloniae Rege legimus, quod a sapientibus Chaldaeorum non tantum interpretationem, sed indicationem somnii, cujus oblitus erat, postulaverit; his quidem indicationem, ceu positam supra hominum vires, deprecantibus, interpretationem autem, haud dubio secundum regulas artis, pollicentibus, *Daniel. II:* 3, 4. Sunt omnino, qui aut Abrahamo, ut SUIDAS voc. *Abraham*, aut Josepho Patriarchae, ut JUSTINUS, *histor. lib. XXXVI. cap. II.* onirocritices inventionem tribuunt. Sed cum vanis ea superstitiosisque artibus annumeranda sit, existimationi & sanctitati Patriarcharum magnam, qui ita sentiunt, adspergere labem, vel me non monente quilibet facile intelligit, & a me jam observatum est, in *histor. ecclesiast. vet. testam. ad period. I. sect. III.* §. *XXI. pag.* 402, 403. item *ad period. II. sect. I.* §. *XXXVI. pag.* 784. Sane, Patriarchis, aliisque Viris sanctis, somnia divinitus olim oblata constat, significationem quoque somniorum, aliis oblatorum iis a Deo indicatam, vel Josephi nos minime dubitare sinit exemplum. (398) Ista vero cum haud dubio infernalis genius imitaretur, interdum vero & ex caussis naturalibus contingeret, ut, quae futura erant, per somnium antea hominibus repraesentarentur, facile nonnulli superstitioni dediti, & rerum futurarum avidi, in eam ingredi sententiam potuerunt, somnia in universum eum in finem hominibus obtingere, ut, quae illis eventura sint, ostendant. Cumque eventus, qui forte huic aut illi somnio respondissent, notassent, non praetermissa analogia vel similitudine, quae inter imagines, & res per imagines exhibitas intercedit, ex hisce observationibus certas tandem sibi confecerunt regulas, quod & in aliis divinationibus factum recte observat HERODOTUS, *histor. libr. II. cap. LXXXII. pag.* 119. secundum quas somniorum interpretationem instituerent; unde tandem onirocritica enata. Ab Orientalibus ad Graecos hanc somniorum disciplinam transiisse, testantur scriptores onirocritici, quorum aut scripta aut nomina ad nos pervenere, ut Artemidorus Daldianus, de quo, ut & reliquis legenda, quae JOANNES ALBERTUS FABRICIUS observavit, *bibliothec. graec. lib. IV. cap. XIII. pag.* 426. Non minus vero & apud Judaeos, cum aliis superstitionis generibus onirocriticam in usu fuisse, vel ex tractatu talmudico *Berachoth cap. IX.* liquet; exhibetque in compendio illorum regulas AUGUSTUS PFEIFFERUS, in *pansophia Mosaica, cap. XII. pag.* 485. *seqq.* Sed & hodie inter nos non deesse, qui somniorum & significationi & interpretationi plus, quam decebat, tribuunt, & experientia docet,

docet, & tot libelli onirocritici lingua quoque Germanica ſcripti nos dubitare non ſinunt. De toto autem ut eo rectius ſtatuatur negotio, id cumprimis obſervandum, ſomnia non unius ejusdemque eſſe generis. Quaedam enim auctorem Deum habent, quibus futura ſignificari nemo dubitaverit, & exempla quoque plurima in Scriptura ſacra obvia teſtantur. Sunt etiam ea plerumque ita comparata, ut eorum ſignificatio ſtatim pateſcat, aut alia ratione, quod factum quandoque novimus, a Deo ipſo ſuppeditetur. Interdum vero & ab infernali genio ea proficiſci, itidem non eſt, quod dubitemus. Praeterquam enim, quod & hoc experientia teſtetur, tam opportunam occaſionem, in varia peccatorum genera praecipites dandi homines, eum praetermittere, credibile non eſt. Et licet futura contingentia, malorum non minus ſpirituum, quam hominum captum multum ſuperent, nullum tamen eſt dubium, quin ex iis, quae certis cauſis innoteſcunt, maligni ſpiritus longe plura cognoſcere queant, quam homines, adeoque & hominibus, aut per ſomnia, aut alia ratione, revelare. Tandem vero ex cauſis naturalibus contingere poteſt, ut ob temperamenti, quo quisque gaudet, rationem, morbi vel aliae corporis mutationes, & quae cum hiſce vinculo quodam connexa ſunt, in ſomnio alicui offerantur; quanquam & in hiſce ſingularem ſubinde Numinis accedere directionem, neutiquam negaverim. Atque hinc quidem ut facile intelligitur, non omnia contemnenda, aut eodem habenda eſſe ſomnia loco, ita ſimul pleraque vana & inania, & pro imaginationis vagae, mentisque directione deſtitutae, effectibus reputanda eſſe, manifeſtum eſt. Nec turpius ſe traducere potuerunt etiam philoſophi, quam dum neglecto hocce, quod antea obſervavimus, diſcrimine, eandem vim omnibus ſomniis tribuentes, ejus rei cauſam inquirere aggreſſi ſunt. Qua de re audire juvat HENRICUM CORNELIUM AGRIPPAM: *Cui artificio* (ſomniorum interpretationi) *etiam & quidem magni Philoſophi haud parum tribuerunt, praecipue Democritus, Ariſtoteles, & ejus ſectator Themiſtius, atque Sineſius, Platonicus, ſic innitentes exemplis illis ſomniorum, quae caſus aliquis vera fecit, ut inde nihil fruſtra ſomniari ſuadere conentur. Dicunt enim, quod, quemadmodum coeleſtes influxus in corporali materia formas producunt diverſas, ſic ex eisdem influxibus in potentia phantaſtica, quae organica eſt, phantasmata imprimi coeleſti diſpoſitione effectui cuipiam producendo conſentanea, maxime vero in ſomniis, quia animus tunc a corporeis externisque curis relaxatus, liberius divinos illos ſuſcipit influxus: unde multa dormientibus in ſomniis innoteſcunt, quae latent vigilantes. Hac itaque potiſſimum ratione ipſis ſomniis veritatis opinionem conciliare nituntur. De cauſis tamen ſomniorum tam intrinſecis, quam extrinſecis, non omnes in unam ſententiam conveniunt; nam Platonici illas referunt in ſpecies & notiones animae concretas. Avicenna in intelligentiarum ultimam moventem lunam, medio illius luminis, quo irradiatur*

phantasia hominum, dum dormiunt. Aristoteles refert in sensum communem, sed phantasticum. Averroës in imaginativam. Democritus in idola a rebus decisa. Albertus in influxum superiorum, mediis tamen quibusdam speciebus, quae continuo defluunt de coelo: Medici in vapores & humores haec referunt; alii in affectus & curas vigiliae; aliqui Arabes in potentiam intellectualem: alii dicunt a potentiis ânimae & influxu coeli & simulacris dependere. Astrologi illa a suis constellationibus causare volunt: alii causas illorum in aërem circumdantem penetrantemque referunt; de vanit. & incertitud. scient. cap. XXXIX. pag. 158. Quamcunque autem ex hisce eligas causam, eam minime sufficientem esse, ut intelligatur, cur futura in somniis innotescant, statim deprehendes. Quo ipso ut praecipuum onirocriticae artis fundamentum collabascit, ita ejus vanitas inde quoque recte colligitur, quod regulae, quas artis istius magistri tradunt, analogia quadam & similitudine imaginum & eventuum, incerta prorsus & lubrica, & pro imaginationis foecunditate mox in hanc, mox in aliam partem vertenda, itemque experientia, quam jactitant, fallaci prorsus & saepissime regulas erroris & mendacii arguente, nitantur. (399) Quae omnia quam lubrica sint, quamve futilia, nemo non intelligit. Unde & nemo facile, nisi quem aut intempestiva curiositas, aut adfectus pravi in transvorsum egerint, fidem ejusmodi commentis adhibebit, simul vero hoc ipso, quam alienus a vera pietate & genuina Deum colendi ratione sit, demonstrabit.

(396) *Plurima & divinationum & qualiumcunque superstitionum genera, apud Gentiles cum veteres, tum recentiores praesertim obvia, descripsit* Bekkerus *in famoso suo libro, cui titulus* de Betoverde Weereld 1ste Boek 1—10. Hoofdstukken; *nec non Auctor anonymus nuperrimi opusculi, cui titulus* Essai sur les erreurs & les superstitions, *in quo tamen plura reperiuntur, quae, aeque ac* Bekkeri *placita, cum grano salis sunt accipienda.*

(397) *Dubito, an memorari mereatur opusculum a* D. Colonne *conscriptum, cui titulus* le nouveau Miroir de la Fortune, ou abregé de la Geomance; *id unum notatu dignum, hoc ipso seculo nugacissimum libellum prodiisse, idque (uti titulus fert) Parisiis cum approbatione & Privilegio Regis Christianissimi. Attamen in gratiam scriptoris conjicere, imo statuere licet, ipsum hoc opusculum ludendi gratia parasse; licet & hac ratione minime sit laudandus, alimenta praebens superstitioni sic satis periculosae.*

(398) *Omnia exempla somniorum, quibus Deus mortales monuit de fatis ipsis imminentibus, falsa declarare aut conficta, arduum foret atque temerarium. Equidem* multitudini somniorum vanitates insunt

(Eccles. *V: 7.*); *inutiles sunt & vanae Oneirocritices regulae; sed tamen non penitus male dicit* Witsius *Miscell. Tom.* 1. *Lib.* 1. *Cap.* 5. §. 3. plena exemplorum omnis historia est, tam prisca, quam recentior, quae cuncta adunco suspendere naso proficisci non potest, nisi ab ingenio, quod Divina & humana susque deque habet, & sapientiae culmen constituit ἐν τῷ ἀπιστεῖν. *Provocat ad exempla* Peuceri, Peirescii, Landresii, *&* Salmasii, *quorum duo posteriora ex* Grotii *narratione fuerunt desumta.*

(399) *Oneirocriticae regulae eo praesertim nomine vanae sunt habendae, quod neque in ratione, neque in experientia sunt fundatae; uti facile patescit, si ad ipsorum somniorum originem attendamus; licet hanc obscuriori tantum modo cognoscamus. Mens scil. eo modo adficitur, sed plerumque minus vivide, a suo corpore, quo adfici solebat, cum objecta, in somnio repraesentata acsi praesentia forent, in organa corporis vigilantis revera agebant, mentique, pro arctissimo vinculo inter ipsam & inter corpus, exhibebantur; sed nunquam fere eaedem vel similes corporis adfectiones penitus easdem vel similes in mentibus diversis producunt sensationes: adeoque hoc saltem respectu generales regulae condi cum ratione nequeunt; cum eadem, vel similia somnia oriri non possint in diversis mentibus, licet forte in determinato aliquo momento habuissent similes sensationes. Praeterea sic somnia quidem suam relationem habent ad statum mentis praeteritum, non vero ad futurum; nihil proinde ex somniis naturalibus circa futura concludere licet. Conf.* Formey *dans l'Hist. de l'Acad. Roy. de Berlin A.* 1746. *p.* 317. *suiv.* Wolff *Psychol. Empir.* §. 121. *seqq.* Canzius *Medit. Philos.* §. 821. *seqq.* Walleri *Psychol. Empir.* §. 193. *seqq. Omnes igitur Oneirocritices regulae, ex superstitione natae, fallacibus observationibus nec satis diu institutis nituntur; deprehensum fuit bis vel ter, casum aliquem determinatum accidisse post determinati generis somnium; ilico inde concludunt nugaces somniorum interpretes,* semper *tales casus obtinere post istiusmodi somnia; cum simul annotare debuissent, quoties hujusmodi casus* non *contingant, postquam homines alii istius generis somnia habuerunt. Simile quid obtinet in iis, qui, temerario nimium ausu, tempestates vagas praedicere suscipiunt ex signis quibusdam, quae determinatis quibusdam tempestatibus aliquoties praecesserunt.*

CAP. X.

DE

CAUSIS, EFFECTIBUS, PROPRIETATIBUS ET REMEDIIS SUPERSTITIONIS.

Σύνοψις.

Superstitionis causae, §. I. *Effectus*, §. II. *Proprietates & adjuncta*, §. III. *Remedia*, §. IV.

§. I.

Inter causas Superstitionis praeter naturalem omnium hominum corruptionem, indeque ortam ad prava quaevis inclinationem, * aliasque generales, ** imaginatio maxime rationis regimen respuens, *** & hinc subinde originem ducens nimia credulitas * in censum venit. Nec praetermittenda tamen, quae haud raro cum imaginatione depravata conjuncta sunt, & superstitioni occasionem praebent, idearum associatio, ** causarum & effectuum minime cohaerentium apparens, falsoque creditus nexus, *** itemque dicta aut effata veterum minus recte intellecta, * & quae reliqua sunt ejusdem generis.

* Cor-

* Corruptionis iſtius naturalis a lapſu primorum parentum derivandae, etſi nemo mortalium ſit immunis, non una tamen eademque ratione in omnibus ſe exerit. Aliter enim in illis, qui in ſtatu *ſecuritatis*, aliter in illis, qui in ſtatu legali & *ſervitutis* conſtituti ſunt, vim ſuam demonſtrat. Ut enim illi ad *Atheismum*, ita hi ad *Superſtitionem*, craſſiori aut ſubtiliori quadam ratione, pro aliarum cauſarum una concurrentium diverſitate, proni ſunt. Qua de re cum alibi dictum ſit, ea ut hic fuſius ediſſerantur, neceſſe non eſt.

** Ad cauſas iſtas generales, propenſiones & inclinationes naturales, ex corporum praecipue conſtitutione ſeu temperamento ortae, pertinent. Pro harum enim diverſitate diverſimode etiam homines in cultu Numinis ſeſe gerere ſolent. Eos qui ambitioni dediti ſunt, ad Atheiſmum pronos eſſe, ſupra docuimus, ad *cap. IV.* §. *I.* Avaros autem, qui & plerumque temperamento melancholico gaudent, ad ſuperſtitionem proclives eſſe, jam obſervatum; in *inſtitutionib. theol. moralis*, *ad cap. I. ſect. IV.* §. *LXXI.* Varia autem ratione fieri poteſt, ut ejusmodi homines ſuperſtitionis oeſtro percellantur. Melancholici meticuloſi ſunt. Ineptus autem & ſervilis metus in ſuperſtitione utramque haud raro facit paginam. Homo meticuloſus quidlibet facile pro quolibet arripit, & ipſum diabolum pro Deo colit, modo a metu ſuo ea ratione utcunque liberari queat. Judicii praeterea defectus, quo ejusmodi homines laborant, efficit, ut nihil tam abſonum, tamque puerile ſit, quod non tandem ſibi perſuaderi patiantur. Hinc & creduli ſunt, narratiunculis, commentis, anilibusque fabulis facile fidem adhibentes. Avaritia praeterea, qua plerumque laborant, non tantum auget atque confirmat hunc ſuperſtitionis adfectum, ſed ita eos excoecat, ut haud raro ad ultimam ſtultitiae lineam progrediantur. Hinc olim ex parte craſſioris idolatriae origo, dum homines a ſole, luna, ceterisque coeli ſideribus, plurima ſibi promittebant commoda. Hinc magia, illicitaque cum ſpiritibus malignis commercia, eum in finem inita, ut theſauris abſconditis potiantur, vel alia ratione divitias conſequantur. Vix etiam alios, quam vetulas, aut qui iis ſimiles ſunt, eo usque inſaniae progredi videas, cum in iis avaritia, credulitas, ceteraque, quae cum hiſce conjuncta ſunt, vitia dubia fere inter ſe palma dimicent. Nec tamen homines ſanguineo temperamento praeditos, pronosque adeo ad voluptatem, ſuperſtitionis prorſus immunes eſſe, exiſtimandum. Etſi enim ſua natura ad ſtatum ſecuritatis, hinc & ad Atheismum practicum ſint procliviores, quia tamen iidem ad credulitatem propendent, & per vim imaginationis ſubinde in transverſum aguntur, aliquando ſuperſtitioni locum relinquunt, praeſertim, ſi educatio, converſatio, vitae genus, aliaeque cauſae morales ad hanc potius, quam ad Atheismum, ducant. Cumque feminini ſexus

mores maximam partem temperamento ſanguineo reſpondeant, cur & hic ad Superſtitionem pronior ſit, quam ad Atheismum, ratio intelligitur. De feminis etiam Atheis vix quicquam in hiſtoriarum monumentis legeris, niſi quasdam ex iis, quae Philoſophiam coluerunt, ſpeciatim Epicuraeam, huc referre velis, de quibus AEGIDIUS MENAGIUS conſulendus, in *hiſtoria mulierum philoſopharum, pag. m.* 498. Neque tantum ob credulitatem ſubinde & judicii defectum, qui voluptati dediti ſunt, facile ad ſuperſtitionem abripiuntur, ſed &, quod facillime putant ſe cultu Numinis defungi poſſe, aeternamque ſalutem conſequi, ſi in externo ſubſiſtant cultu, de interno autem, animoque a vitiorum ſordibus purgando, minime ſint ſolliciti, quippe quod moleſtum nimis illis videtur. Quod ut ad certam ſaltem ſuperſtitionis ſpeciem pertinet, ita illud ſimul obſervandum, non una eademque ratione apud omnes illam ſe exerere, ſed aliter hoc fieri in melancholicis & avaris, aliter in ſanguineis, & voluptates corporis ceu ſummum bonum ſectantibus. Ad cholericos vero ſeu ambitioſos quod attinet, illos vel maxime ad Atheismum pronos eſſe conſtat, & ſupra etiam docuimus, ſed ita tamen hoc capiendum, niſi educatio, vitae inſtitutum, ac aliae cauſae morales obſtent, &, quo minus naturae corruptae vis hac ratione in illis ſeſe exerat, impediant. Per educationem enim, aliasque cauſas morales, fieri quandoque poteſt, ut non minus ac reliqui homines ad ſuperſtitionem ducantur, & judicii, quo pollent, vis ita imminuatur, & obſcuretur, ut interdum inepta quaevis atque ridicula calculo ſuo adprobent. Praeter naturalem iſtam inclinationem propenſionemque, de qua hactenus diximus, ad cauſas generales ſuperſtitionis reliquae etiam cauſae morales, *educatio*, *inſtitutio*, *imitatio*, ceteraeque pertinent. Quanta enim harum omnium in intellectu corrumpendo, & variis erroribus imbuendo, vis ſit & efficacia, neminem fugit, & ſaepius jam a Philoſophis eſt demonſtratum. Nutrices, feminaeque plebejae, quibus plerumque prima infantum educatio committitur, cum ſuperſtitionibus & ineptis opinionibus totae fere ſcateant, mirum non eſt, commenta iſta tenerrimorum infantum animis impreſſa tam altas radices agere, ut deinde vix, ac ne vix quidem, ejici queant. Deinde nec *ignorantia* hic praetermittenda, qua plerique mortalium laborant, quave ſola nonnulli inducti, ſuperſtitioſos ineptiis pretium aliquod ſtatuunt; hoc iis mox denegaturi, ſi rectius fuerint eruditi.

*** Quanta imaginationis extra orbitam deflectentis vis ſit & efficacia, non temere quenquam fugit. Ad Superſtitionem autem varia ratione imaginatio aliquid confert. Primo enim, per eam effectum aliquem exiſtere, quandoque nobis perſuademus, qui tamen revera nunquam extitit. Saepius contingere, notum eſt, ut homines in adfectu praeſertim

ſertim vehementiori conſtituti, aliquid ſibi audire, aut videre videantur, quod revera nec vident, nec audiunt. Varia, quibus hoc probari queat, exempla collegit BALTHASAR BECKERUS, in *mundo faſcinato, lib. IV. cap. I.* qui tamen haec ultra, quam par eſt, extendit, dum ſemper hac ratione homines falli, quoties ſpectra vident aut audiunt, inde colligit, quod ſupra jam refutavimus. Aliquando hac ratione homines decipi, negari nequit, & experientia teſtatur. Deinde vice verſa contingit, ut per imaginationem effectus producatur, qui cum ad aliam cauſam refertur, dici non poteſt, quantopere inde confirmetur & excitetur ſuperſtitio, Sciunt medicorum filii, & quotidiana experientia condocentur, quanta imaginationis in curandis morbis, iisdemque aut mitigandis, aut exaſperandis, vis ſit & efficacia. Quod Reges quidam ſolo contactu ſtrumas ſanarunt, non aliunde, quam ex viribus imaginationis derivandum, jam pridem Viri docti, harumque rerum periti, pronuntiarunt; idque ex inſtituto etiam evicit vir clariſſimus CHRISTOPHORUS BECMANNUS, in *oratione de regum noſtri temporis dono ſtrumas ſanandi*, quae inſerta eſt *notitiae* ejus *dignitatum illuſtrium, pag. m. 129. ſeqq.* ubi ſimul aliis exemplis, prorſus ad rem noſtram facientibus, idem comprobat, dum; *ſic divinorum*, inquit, *tutelarium appenſa nomina, aquae benedictae luſtratio, lapilli, carbones, radices, ſtato tempore, ſtata hora effoſſae, aliquando medicinam faciunt, quia, dum opinione trahuntur aegri ſpiritibus inſtigatis, in priſtinam libertatem ſe aſſerunt. Sic magicos characteres, verba, ſigilla, incantationes ideo ſucceſſu aliquando non deſtitui videmus, non quia reapſe praeſtant aliquid, ſed quia imaginatione excitati & corroborati aegrorum ſpiritus extrema moliuntur, & carceribus ſuis ſe eximunt, &c. pag. 136.* Tandem & hac ratione imaginatio ad ſuperſtitionem aliquid confert, ſi homines ex ſimilitudine quadam aut relatione, quae inter res diverſas intercedit, ſtatim nexum quendam cauſalem ſibi effingunt. Latiſſime hancce patere cauſam, & foecundam ſuperſtitionis variae matrem eſſe, accurate & eleganter more ſuo obſervat SAMUEL WERENFELSIUS, & exemplis quibusdam declarat: *Sunt*, inquit, *qui putant, eas herbas iis humani corporis partibus ſervandis aptiſſimas eſſe, quarum ſimilitudinem quandam, ſignaturam appellare ſolent, referunt. Hic quis non videt, in hac ſimilitudine nullam virtutem phyſicam latere poſſe? quid enim illa movebit? Inde fortaſſe haec opinio originem traxit, quod ſemper obſervatum eſt, plantas atque animalia ſibi ſimilia generare; hinc, ut fit, ſimilitudini neſcio, quae vis tribui coepit, quae aliis cauſis adſcribenda erat. Qui omnia pleniora eſſe plenilunii, quam novilunii, tempore autumant, piſces, oſtreas, cancros, oſſium medullas, & quid non, primum in iſtam opinionem inciderunt, eodem prorſus argumento ducti; plenitudinem enim lunae neſcio quid ſibi ſimile in terris producere putarunt, non ſecus ac lupus lupum, canis canem, &c. Ex inepta hac perſuaſione, quae ſimilitudini*

dini

dini phyſicam tribuit efficaciam, omnia pene fluxerunt Aſtrologorum deliria, quicquid in terris eſt, ideo tale eſt, quia in coelo ſimile quiddam reperitur. Mercurius fuit quidam mirae ſolertiae homo, poſt mortem in numerum deorum relatus; huic attribuitur illa ſtella, quae vulgo ſtella Mercurii vocatur: haec non tantum eandem habet, quam Mercurius in terra habuit, ſolertiam, ſed virtutem etiam parem ſolertiam hominibus in terra naſcentibus infundendi. Hinc Aſtrologorum regula: cum puerum praeceptori trades, fac, ut Mercurius benigno adſpectu adſpiciat lunam lumine auctam; diſſert. de ſuperſtitione in rebus phyſicis, §. *V. pag.* 14. *ſeqq.* Sed legi etiam merentur, quae idem auctor ulterius hac de re diſſerit §. *VI. pag.* 16. *ſeqq.* Imaginationi etiam, ut & hoc adhuc addam, quandoque, ſaltem ex parte, tribuendum, quod nonnulli non tantum ſuperſtitioni locum facile relinquant, ſed in ea ita obfirment animum, ut nulla ratione ab ea dimoveri queant. Contingere namque videas, ut homines, qui non tantum explicare nequeunt, qua ratione fieri poſſit, ut cauſa haec hunc effectum producat, ſed & qui ſaepius experientia convicti ſunt, fruſtra ejusmodi effectum ab iſta cauſa expectari, a ſua nihiloſecius non diſcedant opinione. Rationem ſi quaeras, hanc omnium promtiſſime in imaginatione, vana ea utique atque inani, deprehendes. Nimirum, ſi effectus, quem ſperarunt, non ſecutus eſt, nec ex iſta cauſa ſequi potuit, innumeras exceptiones foecunda imaginatio illis ſuppeditat, non omnia, v. g. in uſu alicujus remedii ſuperſtitioſi, rite fuiſſe obſervata, mox hoc, mox aliud quid obſtitiſſe, quo minus effectus ſequi potuerit: paucis, dubitandum non eſſe, quin effectus ſequi poſſit, etſi nunquam ſequatur, & ratio nullam, ne poſſibilem quidem, inter cauſam & effectum nexum videat. Lepidiſſime ridiculam iſtam vim imaginationis delineat & exagitat auctor libri: Hiſtorie oder wunderliche Erzehlungen der ſeltſamen Einbildungen / welche Mr. Ouſle aus Leſung ſolcher Bücher bekommen / die von der Zauberey / etc. handeln / cumprimis *cap. VII.* quanquam & in toto hocce libro talia occurrunt, quae vim imaginationis in ſuperſtitione demonſtrant; quae uti lectu digna ſunt, ita tamen nec diffitendum, auctorem fallaciam imaginationis ultra, quam par eſt, extendere; quod obſervare juvat, ne in alterum extremum incidamus, dum alterum evitare volumus.

* Qui imaginationi ſuae habenas ultra, quam par eſt, laxant, vel adfectibus praepediti, eam in ordinem redigere nequeunt, quod haud raro melancholicis & ſanguineis contingit, etiam creduli eſſe ſolent. Vis enim judicii per imaginationis vehementiam impeditur, quo minus cuncta aequa lance ponderare & ab inanibus ſolida, vera a falſis diſcernere queant. Hinc vero ſuperſtitioni campus latiſſimus panditur. Parum ejusmodi hominibus eſt, illis, quorum magna apud eos eſt auctoritas, in omnibus, nullo diſcrimine, adhibere fidem, ſed, quicquid

quid plebeji homines, quicquid mulieres vetulae narrant, id avide arripiunt, id firmiter credunt, nec dubium amplius ullum, quin id ita se habeat, animum subire patiuntur, graviter subinde illis irascentes, qui aliud quid, etsi rationi sit convenientissimum, illis persuadere annituntur. Quo proniores autem nonnulli sunt ad credulitatem, eo diligentiores alii sunt, ad quidvis excogitandum & ejusmodi hominibus persuadendum; unde fabularum & commentorum, quibus superstitio ceu fulcris quibusdam innititur, nec finis nec modus est. Quanta vero hinc ejus incrementa, nemo non intelligit.

** De idearum associatione, ex instituto a me dictum, in *institutionib. theolog. moral. ad cap. I. sect. V. §. IX. pag.* 233. *seqq.* Superstitioni quo pacto occasionem praebeat, facile intelligitur. Si enim v. gr. in die quodam alias memorabili, alicui aut adversi aut prosperi quid eveniat, tum idea istius diei cum idea calamitatis aut felicitatis, quae eodem nobis obtigit, conjungitur. Recurrente itaque idea istius diei, revocatur simul idea calamitatis aut felicitatis, quae eodem nobis obtigit. Hinc persuasio ista superstitiosa, supra nobis notata, dies quosdam per se faustos aut infaustos esse. Idem de locis censendum, quorum, quae iis a quibusdam tribuitur fatalitas, non ex alio arcessenda fonte. Ominum quoque plerorumque, quibus superstitiosi homines adeo delectantur, eadem origo. Quaecunque enim nobis in prospera aut adversa fortuna constitutis occurrunt, eorum ideae cum ipsa infortunii aut felicitatis idea colligantur, etsi ceteroquin nullum inter se nexum habeant. Idea itaque rei ejusmodi recurrens, statim infortunii aut felicitatis ideam resuscitat: hinc persuasio, rem istam pro bono aut malo habendam omine.

*** Nexus ille apparens, falsoque creditus, causarum & effectuum, ex imaginatione & credulitate, concurrente & subinde idearum antea memorata associatione, ortus, utramque fere in variis superstitionis generibus facit paginam, uti vel ex dictis abunde constat. Diversa autem ratione homines in ejusmodi errorem induci possunt. Similitudo quaedam & convenientia, quae inter eas deprehenditur, aut quam imaginatio fingit, interdum plurimum eo confert; interdum vero & experientia quaedam temere credita, omnique fundamento destituta, id hominibus persuadet, aut idearum associatio, ut antea dictum, ejusmodi cogitationibus occasionem suppeditat. Quandoque & omnes istae causae, diversa tamen ratione, ad nexum istum persuadendum concurrere possunt. Undecunque autem ista persuasio oriatur, eam subinde animam velut superstitionis constituere, certum est. Si enim recte secum perpenderent homines, nexum ejusmodi causarum & effectuum non tantum non verisimilem, sed nec possibilem esse, nunquam sibi per-

ſuaſuri eſſent, a tali cauſa ejusmodi proficiſci poſſe effectum. Cautione quadam hic opus eſſe, probe ſcio, ne temere cauſae & effectus nexum minus poſſibilem eſſe, nobis perſuadeamus. Sed hac de re jam ſupra dictum. Neque tantum in rebus phyſicis, adeoque indirecte ſaltem ad religionem ſpectantibus, ſed & in Theologicis haec obſervatio locum habet. Enimvero, ſi quis ſolum cultum Numinis externum absque interno, aut omnino ſolas ceremonias ritusque ad ſalutem conſequendam ſufficere arbitratur, nonne cauſae effectum tribuit, qui ab ea nullo modo nullave ratione exſpectari poteſt? Aquam luſtralem pontificiorum, ſignum crucis externum, absque interna mentis devotione, exorcismus Eccleſiae Romanae, & quae reliqua ſunt ejusdem generis, quibus magna vis & efficacia in pellendis ſpectris, ejiciendis daemonibus, variisque beneficiis ſpiritualibus in homines derivandis, tribui ſolet, huc itidem referenda eſſe, nemo non intelligit.

* Ut Superſtitio temere ſaepius quidlibet arripit, ita ſi recte & innocenter ab aliis dicta, quandoque eidem occaſionem praebent. Vim & efficaciam verbi divini ſatis laudari non poſſe, nemo temere abnuerit. Hoc ſi ſuperſtitioſus audiat, ſtatim ex ſolo ejus uſu externo, ſi vel maxime id non intelligat, aeternam ſalutem ſperabit; aut omnino partem ejus ſchedulae inſcriptam, colloque appenſam, curare ſebrem ſibi perſuadebit. Si quis vel loco dixerit, bonum non eſſe, ſi iter facienti lupus occurrat, eo quod periculum forte ab eo immineat, ſuperſtitioſus ſtatim omen aliquod ſive praeſagium inde faciet. Pertinet huc, quod a nonnullis, ſpeciatim a MAGNO DANIELE OMESIO, in Altorfina quondam Academia Profeſſore Celeberrimo, obſervatum, ex ſymbolis quibusdam Pythagoricis, ſenſu ſimplici & communi intellectis, varios ritus ac ſuperſtitiones hodie adhuc durantes, originem traxiſſe videri, in *mantiſſa ad ethicam Pythagoricam*, pag. 123. Ex horum numero ſequentia ſunt: (I) *Ne ſpeculum ad lucernam intuere.* Hocce enim effato cum Vir ſapientiſſimus id ſibi vellet, ut homo ſe ipſum recte noſceret, & conſideraret, non ad alienam lucem ſive ſcientiae, ſive laudis ab adulatoribus profectae, ſed ad diem ac ſolem veritatis, quae omnibus patet ac lucet, nec pro veris falſa oſtendit, alii κατὰ ῥητὸν hoc intelligentes, errori ſeu ſuperſtitioni, hodie adhuc receptae, occaſionem praebuere, qua nonnulli inducti noxium eſſe credunt, ſi quis ad candelae ſeu lucernae lumen ſe in ſpeculo intueatur. (II) *Offenſa in veſtibulo turpi vetula non egredere.* Quo ſymbolo cum docere voluerit, res illas, quarum turpia ſunt principia, non eſſe proſequendas, mos inde forte, in quibusdam Germaniae adhuc uſitatus locis, ortus eſt, ut, ſi quis mane domo egrediens, praecipue kalendis Januariis, primo vetulam ſibi obviam habeat, inde dirum ac infelix omen accipiat. (III) *Sal apponendus.* Hocce dicto monere voluit Samius

mius ſenex, ut ſal condiendis cibis eſt aptus, ita ad omnes actiones & ſermones noſtros adhibendam eſſe prudentiam. Alii vero cum id ſimpliciter acciperent, factum inde, ut ſal menſis ſacer haberetur, religionique ſibi nonnulli ducerent, reliquos cibos ante ſalem apponere. Romanos certe credidiſſe, *menſas fieri ſacras ſalinorum appoſitu*, ex ARNOBIO docet JUSTUS LIPSIUS, *Saturnal. libr. I. cap. II.* Plura ejusdem generis auctor antea laudatus *loc. cit.* exhibet.

§. II.

Effectus Superſtitionis tum intuitu ejus, qui hocce morbo laborat, tum aliorum, quibuscum ejusmodi hominibus negotium intercedit, conſiderari poſſunt. Priori modo ſi ſpectentur, ut menti caliginem offundit, * ita pravis cupiditatibus vitiisque fovendis longe eſt aptiſſima; ** ſimul vero, cum ejusmodi homines veram animi quietem ac tranquillitatem nunquam conſequantur, longe ſunt miſerrimi. *** Aliis vero non minus moleſti ſunt, odio quippe haud raro plus quam Vatiniano eos proſequentes, qui non eandem ſecum ſtatim ſententiam ingrediuntur; hinc & ſaepiſſime Eccleſiae pariter ac Reipublicae graviſſima ab iis imminent incommoda. *

* Rectae enim rationi cum perpetuum velut bellum ejusmodi homo indixerit, & adfectibus ſuis agatur in transvorſum, non poteſt non, ſi quod in eo ſupereſt, intellectus lumen, magis magisque obſcurari. Mirum itaque non eſt, quod rationibus etiam evidentiſſimis quandoque non moveantur, immo ad eas percipiendas tandem prorſus inidonei reddantur. Experientia hoc teſtatur quotidiana.

** Etſi homines ſuperſtitioſi interdum ſibi & aliis videantur religioſiſſimi, iidem tamen haud raro ſunt flagitioſiſſimi, omnibusque vitiis atque ſceleribus dediti. Primo namque certum, ſuperſtitionem cum improbitate conſiſtere poſſe. Hoc de illis ſuperſtitionum generibus, quae directe ad Numinis cultum non pertinent, poſitum eſt extra controverſiam. Qui daemonum opera ad res illicitas conſequendas utitur, qui ſigna & characteres ad curandos morbos adhibet, qui ex re qualibet omen aliquod captat, tantum abeſt, ut probitati & virtuti dediti

censeri queant, ut haec ipsa jam documento sint luculentissimo, eos vitiorum, pravarumque cupiditatum sordibus, penitus esse immersos. Sed idem quoque de iis generibus superstitionum censendum, quae directe circa Numinis cultum versantur. Nihil obstat, quo minus aliquis rigidus sit cultus externi observator, & in ritibus ceremoniisque sacris exactissimus, & nihilosecius pravis impurisque deditus cupiditatibus. Qua de re si quis dubitet, vel Pharisaeorum exemplo rectiora condoceri potest; conf. *Matth. XXIII: vers.* 25, 26, 27. Immo non tantum superstitio cum vitiis gravissimis consistere potest, sed iis etiam fovendis & alendis inservit. Efficit enim, ut homines sibi persuadeant, Deum utpote cultu isto externo & rituum observatione placatum, satis sibi propitium esse, ut jam strenue indulgere pravis cupiditatibus possint, nec tamen de aeterna salute consequenda ulla ratione sibi sit dubitandum. Qua quidem persuasione ad conservanda & augenda vitia, veram autem mentis emendationem impediendam, ac sufflaminandam, nihil temere efficacius cogitari posse, omnes puto facile mecum consentient. Neque tamen inde inferendum, ac si superstitio ipso Atheismo sit deterior. Quantumvis enim & cum vitiis gravissimis consistere queat, & iis fovendis quandoque inserviat, nullum tamen est dubium, quin homo ejusmodi, cum Deum scelerum vindicem credat, ejus metu quandoque a peccatis quibusdam perpetrandis, retineatur, cum Atheus contra nullo prorsus constringatur vinculo, quo minus libere cupiditatibus quibusvis frena laxet, & in quaevis ruat flagitia, modo poenae civilis metus non obstet. Sed hac de re jam supra dictum, ad *cap. IV. §. IV.*

*** Cum homines superstitiosi certum, cui insistant, fundamentum non habeant, vanaque & incerta in plerisque ducantur persuasione, metu praeterea prorsus servili, aut variis etiam cupiditatibus, nunquam non agitentur, nuspiam, ubi conquiescere possint, aliquid inveniunt, suntque adeo mortalium longe miserrimi. Eleganter hoc exprimit TULLIUS, de superstitione ita verba faciens: *Instat & urget*, (superstitio) *& quo te cumque verteris, prosequitur; sive tu vatem sive tu omen audieris, sive immolaris, sive avem adspexeris; si Chaldaeum, si haruspicem videris; si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de coelo, si ostenti simile natum, factumve quidpiam; quorum necesse est, plerumque aliquid eveniat, ut nunquam liceat quieta mente consistere. Perfugium videtur omnium laborum & sollicitudinum esse somnus; at ex eo ipso plurimae curae metusque nascuntur; qui quidem ipse per se minus valerent, & magis contemnerentur, nisi somniorum patrocinium Philosophi suscepissent, &c. de divinat. lib. II. cap. LXXII. pag. m.* 1278.

* De odio immani, quo homines ſuperſtitioſi interdum alios, qui non easdem ſecum ſententias fovent, proſequuntur, deque ingentibus, quas ſubinde in Eccleſia pariter ac republica dederunt, turbis, multae paſſim extant Virorum doctorum querelae. Quae ut neutiquam fundamento deſtituuntur, ita nobis, ut, quae diſtinguenda rite & a ſe invicem ſeparanda ſunt, confundamus, committendum non eſt. Fieri ſane poteſt, immo ſaepiſſime fieri experientia docet, ut ſuperſtitio ſeu falſa de Numinis cultu perſuaſio homines incendat, ut alios acerrimo odio proſequantur. Quamcunque autem tum de Deo ejusque cultu opinionem habeant, certum tamen eſt, eam pro vera religione habendam non eſſe, a qua quippe ejusmodi mores prorſus alieni ſunt. Cauſa autem, cur tanto odio alios a ſe diſſentientes inſectentur, haec eſt, quod aegerrime palladium ſuum, in quo omnem ſpem vitae ac ſalutis collocant, ſibi eripi patiantur. Quam enim ejusmodi homines ſemel ingreſſi ſunt conſequendae ſalutis viam, eam, utpote ſua opinione optimam, tutiſſimam, facillimam, aegre dimittunt, adeoque non poſſunt non illis iraſci acriter, qui eam rejicere aut contemnere audent. Accedit, quod tum demum firmiter religioni ſuae adhaerere ſibi videantur, ſi reliquos omnes odio acerrimo proſequantur, idque adeo Deo longe gratiſſimum eſſe ſibi perſuadent. Idque ipſe Servator ſignificavit, cum ad Diſcipulos ſuos dixit: *eritque tempus, cum omnes Deum a ſe coli putabunt, qui vos interfecerint; Joan. XVI:* 2. Atque ipſi hoc ſatis ſuo exemplo comprobarunt Judaei, quorum primum in Samaritanos, deinde in Chriſtianos, odium longe vehementiſſimum, atrociſſimumque, neminem fugit. Inter ipſos Gentiles etiam contingebat, ut, qui deorum cultu diſſentiebant, acerrimo ſe invicem proſequerentur odio, juxta notiſſimum illud JUVENALIS teſtimonium:

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus,
Ardet adhuc Ombos & Tentyra; ſummus utrinque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, cum ſolos credit habendos
Eſſe deos, quos ipſe colit, &c.

ſatyr. XV. verſ. 33. Quantus deinceps Gentilium contra Chriſtianos fuerit furor, neminem fugit, niſi qui hoſpitem plane ex Veteris Eccleſiae annalibus retulit animum. Quicquid calumniarum, quicquid obtrectationum, quicquid ſuppliciorum & cruciatuum excogitari potuit, hoc adhibuerunt, ut Chriſtianos opprimerent, obruerent, & prorſus delerent. Legere ea licet in B. CHRISTIANI KORTHOLTI *Pagano obtrectatore*, in compendio autem, & unico velut faſce comprehenſa, in PHILIPPI CAMERARII *operis horarum ſubciſivarum* ſeu *meditationibus hiſto-*

 ricis,

ricis, cent. I. cap. XXXIX. pag. 175. Nec inter ipſos proh dolor! Chriſtianos exempla deſunt, quibus idem comprobari queat. Acerrimae illae inter varias ſectas, quae per omnia fere ſecula exortae ſunt, contentiones, cum contumeliis & convitiis atrociſſimis conjunctae, & in graviſſimas vexationes, ſi modo alterius partis vires hoc permitterent, erupturae, id ſatis ſuperque teſtantur; cumprimis autem Romana Eccleſia, igne & ferro crudeliſſime in omnes a Pontificis decretis diſſentientes, ceu haereticos, hoc eſt, homines, Eccleſiae iſtius ſententia, tam flagitioſos, ut nullum ſit tam atrox ſuppliciorum genus, quo non juſtiſſime adficiantur, ſaeviens, exemplum ejus rei luculentiſſimum praebet. Hinc tot homines honore & fortunis ſpoliatos, actos in exilium, conjectos in carceres, compedibus vinctos, damnatos ad triremes, alios gladio, alios laqueo, igne rurſus alios e medio ſublatos videas; non aliam ob cauſam, quam quod coeco obſequio aliorum ut amplecterentur in religione placita, a ſe impetrare non potuerint. Tam immani autem odio ſi quis ſtatim alios in quibusdam a ſe diſſentientes proſequatur, illi autem, qui diſſentiunt, non minori ſtudio ſe contra ejusmodi inſultus defendant, quantae inde in Eccleſia oriantur turbae, facile cogitari poteſt; idque & experientia teſtatur. Nec Eccleſia modo, ſed ipſa quoque reſpublica ſubinde hac ratione concutitur, atque conquaſſatur. Ecquis enim ignorat, quot quantaeve rebelliones, quam atrocia bella religionis cauſa excitata ſint? Cumque bella quaevis maximopere ſint formidanda, & caedibus, rapinis, incendiis cuncta compleant, hinc & urbes ſolo aequent, florentiſſimasque regiones miſerum in modum devaſtent, ea tamen, quae religionis cauſa geruntur, longe reliquis eſſe funeſtiora, conſtat, quippe in quibus furore quodam concitati homines ſuperſtitioſi crudelitatem in laude ponunt, eo ſe Deo gratiores eſſe, ſibi perſuadentes, quo atrocius in hoſtes, Deo quippe, ut putant, ob alias opiniones inviſos, ſaeviunt. Ut autem cuncta, quae hic in cenſum veniunt, eo rectius dijudicari queant, diligenter obſervare juvat, non de quavis ſuperſtitione, ſed ea praecipue, quae directe circa Numinis cultum verſatur, quae diximus, intelligenda eſſe, quemadmodum & haec ipſa ſuperſtitio diverſos habet gradus, hinc &, ſi crudelitatem odiumque erga alios ſpectes, diverſos effectus. Praeterea conjuncta haud raro eſt cum aliis adfectibus; ut quod homines ambitione aut vindictae cupiditate, aut aliis vitiis impulſi faciunt, id ex zelo quodam pro religione & opinionum, quibus imbuti ſunt, veritate ſe facere, & ipſimet turpiſſimo errore deluſi credant, & aliis aliquando facile perſuadeant. Cumprimis autem a ſuperſtitione turpiſſima caute diſcernenda eſt hypocriſis. Haud raro enim contingit, ut nonnulli religionem ambitioni ſuae, aliisque cupiditatibus obtendant, cumque revera doctrinae, pro qua tam acriter pugnant, fidem non adhibeant, ac ſi religionis cauſa cuncta

ſta agant, perſuaſum cupiunt, ſub ſpecioſa iſta προφάσει, imperii, quod in alios moliuntur, limites longe lateque proferentes, aut iſtud contra ſecus ſentientium inſultus egregie confirmantes, corroborantesve. Exemplum iterum Romana praebet Eccleſia, in qua nonnullos quidem falſa perſuaſione ductos, adeoque ex mera ſuperſtitione, maximo contra haereticos odio flagrare, nullus equidem dubito; nec tamen, praeſertim inter primi ordinis praeſules deeſſe exiſtimo, qui religionis omnis expertes, religionem tamen ubique conſiliis ſuis obtendunt, ut auctoritatem ſuam, potentiam, imperium, opes, divitiasque majores aut acquirant hac ratione, aut augeant, amplificentque. Non omnia itaque ipſi ſuperſtitioni tribuenda, quae aut a ſuperſtitioſis hominibus, aut ſub religionis etiam praetextu aguntur. Praeterea, quantumvis foeda ſit ſuperſtitionis facies, quam & ita, ut decet, exhibuimus, quantumvis etiam magna ex ea in Eccleſiam pariter ac rempublicam redundent incommoda, ut ſummo ſtudio fugienda ſit & evitanda, quia tamen humanae ſocietatis vincula non convellit penitus ac labefactat, Atheiſmum foediorem adhuc magisque noxium eſſe negari nequit. Sed hac de re ſupra jam ex inſtituto dictum eſt, ad *cap. IV. §. V.*

§. III.

Proprietates & adjuncta Superſtitionis ſunt *irrationabilitas:* * & *pertinacia*, dum aegre, ut mentem ſententiamque mutent, ſe induci patiuntur, hinc & difficulter admodum a morbo iſto liberari poſſunt: ** quibus quaedam velut *universalitas* accedit, quia nulla gens, nullusve in orbe eſt populus, quamcumque etiam profiteatur religionem, nullum praeterea vitae genus, quod non labe iſta adſperſum & commaculatum deprehendatur. ***

* Si rationis dictamen homines ſuperſtitioſi admittere poſſent, non eſſent ſuperſtitioſi. Id vero ab illorum indole plane alienum. Dum enim imaginationem, experientiam falſo jactitatam, auctoritatem aliorum, pro norma & regula aſſumunt, & quicquid inſuper affectus male ſanus ſuadet, prompte arripiunt, rationi locus eſſe nequit. Generatim hoc tum de ea, quae directe, tum quae indirecte circa Numinis cultum verſatur, ſuperſtitione intelligendum. Ad hanc enim quod attinet, qui a daemonibus expectant, quae ab iis praeſtari nequeunt; qui per verba & characteres morbos pellere, & mirabilia quaevis efficere anitun-

nituntur, aut quae his ſimilia ſunt, ſuſcipiunt, recte rationi bellum apertum indixiſſe, nemo temere dubitaverit. Non minus tamen & de illis hoc cenſendum, qui cum vitiis ſuis cupiditatibusque, quibus indulgent, pravis, Deum offendere non deſinant, ritibus actibusve quibusdam externis, aut, quae ipſi ſint commenti, eum placari poſſe, ſibi pueriliter perſuadent. Quis enim vel rationis ductum ſequens exiſtimare poſſet, Deum, qui ſpiritus eſt puriſſimus ſanctiſſimusque, ejusmodi externis delectari, cum interea mens hominum omni impuritate coinquinata ſit? Hinc & ipſe Apoſtolus hanc ſuperſtitionem ceu ἄλογον in Ethnicis damnavit, eique λογικὴν λατρείαν oppoſuit, *Rom. XII:* 1. Cum vero non tantum cum ſuperſtitione conjuncta ſit irrationabilitas, ſed haec per illam etiam magis magisque augeatur, ut ad §. praecedentem obſervatum; hanc & inter adjuncta illius, & inter effectus, certa ratione referri poſſe, nemo non intelligit.

** Etiam hac de re non temere quis, qui indolem ſuperſtitionis paulisper expenderit, dubitaverit. Enimvero ad eam ſuperſtitionem quod attinet, quae directe circa Numinis cultum verſatur, cum ſibi ejusmodi homines firmiter perſuadeant, ſe ſolos veram rationem Deum colendi tenere, quam & ſine periculo ſalutis aeternae jacturam faciendi dimittere non poſſint, fieri aliter nequit, quam ut ſint longe pertinaciſſimi. Mirum itaque non eſt, quod nonnulli mortem potius ſubire, & extrema quaevis pati, quam a ſententia, qua ſemel imbuti ſunt, diſcedere parati ſint. Habet enim ſuperſtitio non minus ſuos martyres, quam vera religio. Dantur tamen, ut in ipſa ſuperſtitione, ita & in pertinacia, certi gradus. Nec eodemque omnes habendi ſunt loco. Prout enim variae concurrunt cauſae, diverſos etiam in ejusmodi hominibus obſervare licet pertinaciae gradus. Melancholicos enim, qui natura ſua pertinaces ſunt, ſi ſuperſtitione laborent, quod plerumque contingit, longe pertinaciores eſſe ſanguineis, ſi & hos eadem forte peſtis invadat, quod fieri quandoque poſſe, ſupra monuimus, non temere quis dubitaverit. Ad eam vero ſuperſtitionem quod attinet, quae indirecte Numinis cultum attingit, non minus quandoque pertinaces homines reddit; ſiquidem imaginationis, quae utramque ibi facit paginam, ea vis eſt & efficacia, quemadmodum ſupra itidem obſervavimus, ut, ſi experientia vel centies ejusmodi homines fallat, nunquam tamen perſuaderi ſibi patiantur, effectum, quem cauſae tribuunt, ab illa proficiſci non poſſe, ſed aliud quid, quod ipſimet neſciunt, obſtare, quo minus effectus ille ſemper ſequatur. Utramque igitur Superſtitionis ſpeciem, priorem tamen magis, quam poſteriorem, inter morbos, qui difficulter curari poſſunt, referre licet. Nec tamen prorſus eſt immedicabilis, ſi modo quis remedia, quae Scriptura ſacra & ſana ratio ſuppeditat, de quibus deinceps dicemus, rite adhibere velit.

*** Cum caufae Superftitionem progignentes tam late pateant, fieri aliter nequit, quam ut ipfa quoque fuperftitio multorum occupet animos. Quod diximus, nullam gentem effe, quaecunque etiam in religione fequatur placita, quae fuperftitionis prorfus fit immunis, facili negotio comprobari poteft. Quarundam equidem, ut Judaeorum, prout hodie fe habet, Ethnicorum, & Muhamedanorum religio, tota fere fuperftitiofa eft; obfervare tamen apud eos plurima licet, quae fpecialiori quadam ratione fuperftitionis nomine funt infignienda. De Judaeorum credulitate fabulae & commenta Rabbinorum, numero fere infinita, fimulque tam portentofa, ut ne fpeciem quidem verofimilitudinis habeant, abunde teftantur. Fabulae autem temere creditae, fuperftitionis foecundam fegetem fuppeditant. Exempla fuperftitionis Judaicae, ridiculae quidem, fatisque ineptae, qui defiderat, IS. JOAN. BUXTORFFII *fynagogam Judaicam*, fimiliaque de rebus Judaeorum fcripta adeat, in quibus magna copia ea inveniet. De Ethnicis & Muhammedanis aliquid dicere fupervacaneum foret, cum nemo temere tam rudis rerum omnium fit, ut nefciat, eos ad delirium usque fuperftitioni deditos effe. Varia de iis in unum collecta exhibet JO. CHRISTOPHOR. MANLINGIUS, in den denkwürdigen Curiositaeten derer so wohl in- als auslaendischer aberglaubischen Alberthaeten / etc. ubi *cap. II.* de Judaeorum, *cap. III, IV. & V.* de Perfarum, Turcarum & Arabum, *cap. VI.* de Indianorum feu Ethnicorum fuperftitione agit; immo & *cap. VII.* de Chriftianorum. Hos equidem, fi fui nominis vim implere vellent, ab impietate aeque ac fuperftitione longiffime remotos effe oportebat; fed plurimos ad alterutrum ex hifce fcopulis allidi, naufragiumque verae fidei facere, ipfa quemvis condocet experientia. Nec ulla inter ipfos Chriftianos fecta eft, in qua non fuperftitionis aeque ac impietatis exempla quotidie occurrunt. At hoc inter eos intercedit difcriminis, quod quaedam fuperftitionem pro ipfa religione, aut ejus certe parte minime contemnenda habeant, eamque adeo adprobent calculo fuo atque defendant. Romanenfes hoc facere, neminem fugit, apud quos ritus & ceremonias maximam fere cultus divini partem abfolvere conftat, & fupra jam ad *cap. VIII. §. VI. & VIII.* nobis eft obfervatum. Cumque ejusmodi ritus fint, quos Deus non praefcripfit, qui infuper omni ufu deftituuntur, & fubinde ad pompam faltem funt comparati, plurimi etiam folis iftis ritibus vim Numen placandi, iftudque fibi reddendi propitium tribuant, a fuperftitione foediffima eos liberari non poffe, manifeftum eft. Sunt equidem, fateor, & in noftra Ecclefia, qui cultui externo, immo & interdum ritibus & ceremoniis plus, quam decebat, tribuunt, adeoque fuperftitionis cujusdam rei fiunt. Sed maximum hic inter nos & Romanenfes intercedit difcrimen. Non alium enim Numinis cultum externum,

nec alios ritus ac ceremonias, quam quae ad cultum internum promovendum aliquid faciunt, adeoque mandato Numinis saltem generali nituntur, adprobamus. Deinde actibus externis, ritibusque, nullam vim aut efficaciam per se Numen placandi, aut ejus favorem conciliandi hominibus tribuimus; sed tum demum externa omnia rite se habere, contendimus, atque docemus, cum cultus internus, qui vera in Jesum Christum fide absolvitur, per ea incenditur, alitur, fovetur, promovetur. Quodsi itaque nonnulli inter nos vita forte, moribusque, aut alia ratione ostendunt, se externis actibus plus, quam decebat, tribuere, adeoque superstitionis cujusdam jure argui, illi testantur, se a vera & genuina Ecclesiae nostrae sententia alienos esse. Quare Ecclesiae Euangelicae, quae veram puramque doctrinam B. Lutheri opera a variis errorum sordibus repurgatam, profitetur, laus haecce propria manet, quod, ut ab errore omni, ita & superstitione procul est remota. Nec contrarium ex eo probari potest, quod ritus quosdam ex Romana Ecclesia, speciatim exorcismum, retinuimus. Ratione enim innocentissima hoc a nobis factum, res ipsa testatur. Nec enim ipsis verbis, aut formulae, vim expellendi daemonem tribuimus, sed peccati originalis, quocum omnes nascimur, gravitatem significamus, quae tanta est, ut per naturae conditionem simus *filii irae*, *Eph. II:* 3. & *servi diaboli*, *Ebr. II:* 14. simulque innuimus, per baptismum, ceu lavacrum regenerationis, infantes liberari a servitute ista & potestate infernalis genii, quam in omnes a foedere Dei alienos habet, & ex filiis irae filios fieri gratiae, aeternaeque vitae, si in statu regenerationis perseverent, heredes. Quae commonefactio ut perquam utilis, ita ab omni quoque superstitione prorsus est aliena. Pari ratione & ad reliqua, quae nobis objiciuntur, facili ratione responderi potest; quod cum ab aliis jam factum, hisce non immorabimur. Ad reliqua potius ut progrediamur, nullus quoque inter homines status est, qui superstitionis prorsus immunis censeri queat. Ad statum enim, quem vocant, *politicum*, quod attinet, eum non prorsus hic eximendum esse, vel ea, quae de *auguriis* & *auspiciis Romanorum*, de *locis* itidem, *nominibus*, *temporibusque fatalibus*, quibus imperiorum mutationes, prosperaque & adversa, quae iis eveniunt, tribui solent, diximus, satis testantur. Nec existimandum, aut principes rerumque dominos, aut civilium rerum administros, expertes superstitionis esse. Immo quo vehementioribus hi quandoque agitantur cupiditatibus, quae rationis omne extinguere lumen aptae sunt, quove minorem in ratione instruenda & rite excolenda industriam ponunt, eo superstitioni addictiores istos esse oportet. Ipse Alexander, cui res praeclare fortiterque gestae *magni* cognomen peperere, *non intactus erat ea superstitione mentis*, ut Q. CURTIUS RUFUS loquitur, *lib. IV.*

cap.

cap. VI. immo *ſuperſtitionis potens non erat*, ut idem auctor pronuntiat, *libr. VII. cap. VII.* Ariſtandro vati eum credulitatem ſuam addixiſſe, alibi aſſerit: *Qui poſt Darium victum ariolos & vates conſulere deſierat, rurſus ad ſuperſtitionem, humanarum gentium ludibrium, revolutus, Ariſtandrum, cui credulitatem ſuam addixerat, explorare eventum rerum ſacrificiis jubet; l. c.* Idem cum poſt Cliti caedem ſolatii expers viveret, ſomnii ſaltem cujusdam commemoratione ab Ariſtandro erigi iterum atque revocari potuit: Ἀριστάνδρου δὲ τοῦ μάντεως ὑπομιμνήσκοντος αὐτὸν τήν τε ὄψιν ἣν εἶδεν περὶ τοῦ Κλείτου, καὶ τὸ σημεῖον, ὡς δὴ πάλαι καθειμαρμένων τούτων ἔδοξεν ἐκδιδόναι. *At cum vates Ariſtander viſum illi quod de Clito fuerat ei repraeſentatum & prodigium ſubjiceret, jam dudum haec in fatis fuiſſe, viſus eſt animum relaxare.* Ita PLUTARCHUS, in *Alexandro p.* 694. De Auguſto jam ſupra diximus; poſſetque idem exemplis innumeris comprobari, ſi modo iis in re non dubia opus eſſet. Immo flagitioſiſſimos principum vel maxime ſuperſtitioſos fuiſſe, gentium annales teſtantur. Patetque id vel ipſius Neronis exemplo, de quo id obſervat C. SUETONIUS TRANQUILLUS, in *Nerone cap. XXXIV. XLI. XLVII.* Sed & de Catilina, Caligula, Heliogabalo idem conſtat. Legenda, quae de his aliisque diſſerit PETRUS BAELIUS, *penſées diverſes part. I. §. CXXX. pag.* 251. *ſeqq.* De Attila Hunnorum Rege, non alia magis re, quam barbarie & crudelitate, noto, CALLIMACHUS Cyrenaeus: *Religioni, perſuaſionibusque de diis a ſua gente ſuſceptis, usque ad ſuperſtitionem addictus;* in *Attila.* Nec milites, virosque, qui caſtra ſequuntur, expertes labis hujus, quae omnes vexat, credas. Nihil frequentius in hiſtoricorum monumentis, quam quod callidi duces, mox ſolis ac lunae eclipſibus, mox tonitru ac fulguris terroribus, aut cometarum apparitionibus, ſimilibusque *turbamentis vulgi*, ut C. CORNELIUS TACITUS vocat, ad flectendos ſuperſtitioſorum militum animos, prout id e re ſua eſſe duxerunt, uſi ſint. Expoſuit iſta peculiari, de *turbamentis vulgi* diſſertatione, JO. CHRISTOPHORUS BECMANNUS, *cap.* cumprimis *II.* Immo ſunt quaedam ſuperſtitionis genera militibus propria, dum aut verbis formulisque magicis, aut alia ratione, ſe contra quosvis globorum & gladiorum ictus tutos, adeoque invulnerabiles reddere annituntur, & quae his ſunt ſimilia, quorum quaedam JOAN. CHRISTOPH. MANLINGIUS exhibet, *libro citato, cap. XI. pag.* 261. *ſeqq.* ubi de *militum ſuperſtitione* verba facit. A politico ſtatu, ſi ad *Eccleſiaſticum* tranſeamus, ampliſſimum itidem ſuperſtitionum deprehendemus campum. Ea praecipue, quae circa Numinis cultum directe verſatur, ab ipſis haud raro ſacri ordinis Viris alitur, fovetur, immo & quandoque defenditur, tum quod illorum intereſt, ea homines imbutos eſſe, tum quod plurimi eodem & ipſi morbo laborant, in perverſa iſta praepoſteraque colendi Deum ratione ſpem omnem ſalutis

 po-

ponentes. Utrumque iterum vel Romanae Eccleſiae exemplo luculenter patet. Iſtius contra ſuperſtitionis, quae indirecte circa Numinis cultum verſatur, *ſtatus domeſticus* exempla quotidie innumera ſuppeditat. Sive enim pecori concilianda ſit foecunditas, ſive fertilitas agris, aut damna quaevis a re familiari avertenda, ſi fortunarum procurandum incrementum, ſi morbi a liberis jumentisque pellendi, ſuperſtitio ſtatim vel mille remedia, quibus haec omnia & longe plura effici queant, ſuppeditat. Quid vero de ominibus dicam? quae homines plebeji ſine fine captant, ut de anni proventu, de ſuis aut liberorum fatis futuris, certiores reddantur, & num hoc aut illud negotium ex voto ſucceſſurum ſit, reſciſcant. Inter ipſos etiam fures atque latrones ſtolidae ſuperſtitionis deprehendere documenta licet. Si enim annulum ex catena, qua quis in patibulo ſuſpenſus eſt, aut manum vel digitum hominis ſuſpenſi ſecum geſtent, proſpere feliciterque facinora ſua ſibi ceſſura, firmiter ſibi perſuadent; ut reliqua, quae ejusdem generis, quibus ſoporem hominibus, ne expergiſcant, inducere, aut alia ratione ſecuritatem in facinoribus ſuis perpetrandis ſibi conciliare conantur, taceam. Poſſem ulterius oſtendere, nullum vitae humanae actum notabilem eſſe, qui ſuperſtitioni non inſerviat, ſimulque ſpeciatim de ſuperſtitione circa *nativitatem hominis & baptismum*, circa *ſponſalia & nuptias*, circa *aegrotos, mortem & ſepulturam*, varia in medium adferre; ſed cum maximam partem haec longe notiſſima ſint, & nobis ad finem tandem properandum ſit, his diutius non immorabimur.

§. IV.

Medela denique tum demum rite adferetur ſuperſtitioni, * ſi a praejudicatis falſisque opinionibus, inepta cumprimis credulitate, liberetur intellectus; ** ſimulque imaginatio intra juſtos limites coërceatur; *** voluntas autem a pravis cupiditatibus, ſpeciatim & ab avaritia purgetur. * Qua in re ut legitima Verbi Divini tractatio cum precibus devotis conjuncta, utramque merito paginam facit, ** ita & Philoſophiae verae & genuinae ſtudium ſobrium, minime contemnendum eſt. ***

* Remedia Superſtitionis aeque ac Atheismi vel ἀποφυλακτικὰ ſunt, vel θεραπευτικά. Ad illa pertinet educatio, inſtitutio, converſatioque. Haec enim

enim omnia si superstitioni faveant, ad corrumpendas mentes ingenuas, & hocce veneno inficiendas, plurimum valent; rursus tamen, si ita, ut decet, comparata sint, ad praemuniendos contra hancce pestem juvenum animos vim egregiam habent & prorsus singularem. Minus sane frequens esset hicce morbus, nisi plerique mortalium a prima infantia a nutricibus, parentibus, praeceptoribus, eodem inficerentur, & deinceps inter eos, qui eo laborant, vivendum esset. Quousque autem aut in nostra, aut aliorum positum sit potestate, hisce remediis uti, quilibet facile intelligit. Nos hic de θεραπευτικοῖς praecipue sumus soliciti, quorum summa eo redit, ut ejusmodi homines ad stultitiae suae & miseriae agnitionem perducantur. Hoc si obtinueris, reliqua facile procedent. Non itaque argumentis multis, aut disputationibus opus est, uti contra Atheos. Detexisse enim superstitionem, est eam refutasse. Nec rationibus ejusmodi homines pugnare solent, quippe quibus destituuntur; sed cuncta ad imaginationem, experientiam, sed falso actitatam, narrationes aliorum redeunt, quae cum lubrica sint & infirma, explodi statim, si fides eis non adhibeatur, & ita unico ictu prosterni possunt.

** Credulitatem enim cum aliis intellectus vitiis, inter causas superstitionis haud ultimum tenere locum, ad §. *I.* hujus capitis docuimus. Quaenam autem ratio sit, ab ejusmodi morbis & imbecillitatibus intellectum liberandi, omnium rectissime Philosophia docet.

*** Namque & hanc inter causas superstitionis referendam esse, ad §. *I.* hujus capitis ostendimus. In emendanda autem & corrigenda imaginatione exercitationem utramque facere paginam, alibi ex instituto docetur. Haec autem ut rite adhiberi & institui queat, defectus imaginationis prius agnoscere necesse est. Hi ergo ut hominibus, superstitionis morbo laborantibus, ostendantur, opera sedulo est navanda.

* Praeterquam enim, quod credulitas, aliaque intellectus vitia, quae pro causis proximis superstitionis habentur, maximam partem ex prava voluntatis dispositione originem trahunt, eam superstitionem, quae directe circa Numinis cultum versatur, in meticuloso quodam erga Deum adfectu praecipue consistere, constat. Unde neminem, nisi emendata rite & purgata voluntate, ab ea liberari posse, manifestum est. Eam vero, quae indirecte circa Numinis cultum versatur, superstitionem, pravis cupiditatibus, praecipue & avaritiae imputandam esse, res ipsa neminem dubitare sinit. Nec enim ulla alia magis re ad commercia cum malignis spiritibus, similiaque suscipienda, inducti sunt

mortales. Curioſitas intempeſtiva, ſi quos in transvorſum egit, eam tamen, ſi modo non aliud hocce nomine tegatur vitium, nihil aliud, quam voluptatis eſſe ſpeciem, alibi demonſtratur. Hujus autem ut & reliquarum cupiditatum, quae ad ſuperſtitionem ducunt, in voluntate hominum ſedes eſt.

** Non alibi, quam in ipſa Scriptura ſacra, tum contra vitia quaevis, tum & contra ſuperſtitionem, certiora praeſtantioraque invenire licet remedia. Haec enim primo evidenter docet, verum genuinumque Numinis cultum non in ritibus, non in ceremoniis, aut actibus externis, ſed in puro atque ſincero Numinis amore conſiſtere, *Deut. VI:* 5. Quocum ut timor filialis, fiducia, obſequium, & reliqua, quae cultum internum abſolvunt, indiſſolubili vinculo conjuncta ſunt, ita ab iis, qui vera in Chriſtum fide deſtituuntur, fruſtra expectatur. Per Chriſtum enim Servatorem cum Patre conciliati, 2 *Cor. V:* 29. ἐν πληροφορίᾳ πίστεως ad eum accedere poſſumus, *Ebr. X:* 22. Ubi ergo vera in Chriſtum fides, ibi & amor ſincerus Dei, immo & proximi, cum hic ex illo non poſſit non fluere, 1 *Joann. IV:* 20. Quo ſenſu & Jacobus *purum & impollutum apud Deum & patrem cultum* (θρησκείαν καθαρὰν καὶ ἀμίαντον παρὰ τῷ θεῷ καὶ πατρί,) *hunc eſſe*, ait, *curam gerere pupillorum & viduarum, in eorum calamitate, & intaminatum ſe cuſtodire a mundo, cap. I. vſ.* 27. Summatim autem Paulus Apoſtolus cuncta complectitur, aſſerens: *in Chriſto Jeſu neque circumciſio quicquam valet, neque praeputium, ſed* πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, *fides per charitatem operans, Gal. V. verſ.* 6. Et licet Scriptura ritus & ceremonias cum cultu Numinis interno non pugnantes, ſed eundem potius promoventes, non damnet, ac rejiciat, immo omnia etiam in conventibus, qui ſacrorum cauſa inſtituuntur, εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fieri velit, 1 *Cor. XIV. verſ.* 40. tantum tamen abeſt, ut illorum, qui in externis ejusmodi tantum Numinis cultum ponunt, errorem adprobet, ut iſtos etiam, qui ritibus a Deo ipſo in Veteri Teſtamento praeſcriptis hac ratione abutebantur, graviſſime reprehendat, ut vel ex *Eſaiae cap. I:* 11. *ſeqq.* abunde liquet. Neque tantum oſtendendo veram divini cultus rationem ſuperſtitioni obviam id Scriptura ſacra, ſed per fidem in Chriſtum Servatorem, ad quam homines ducit, corda eorum, tum a reliquis adfectibus pravis, tum maxime a metu ſervili, adeoque & omni ſuperſtitione purgat; *Actor. XV. verſ.* 9. Ut enim fides in Chriſtum *victoria eſt mundum ſuperans*, ita per eam etiam cum reliquis cupiditatibus pravis, meticuloſam iſtam, quae in ſuperſtitioſis hominibus eſt, animi diſpoſitionem vincere poſſumus. Et licet homines veram pietatem ſectantes, in vero Numinis cultu non minus ἀκριβεῖς eſſe ſtudeant, quam ſunt quandoque ſuperſtitioſi, nihil tamen absque Numinis praeſcri-

ſcripto, cuncta vero non ex ſpiritu ſervili, ſed ex amore, adeoque ſpiritu filiali agunt. Non enim *ſervitutis ſpiritum acceperunt, rurſus ad metum, ſed ſpiritum acceperunt adoptionis, per quem clamant, Abba, pater, Rom. VIII:* 15. conf. *Gal. IV:* 6. Quo magis etiam in amore Numinis proficiunt, eo longius metum omnem ſervilem, genuinam ſuperſtitionis matrem, a ſe removent. *In charitate* enim *metus non eſt: quin perfecta charitas foras quatit metum, quoniam metus cruciatum habet: quique metuit, perfecta charitate non eſt:* 1 *Joan. IV:* 18. Fides vero dum reliquis etiam animi morbis medetur, eo homines adducit, ut in calamitatibus quibusvis a ſolo Deo auxilium exſpectent, ejusque in omnibus praeſcriptum ſequantur; hinc & inter alia, vanam & intempeſtivam curioſitatem fugiunt. Idque qui ſerio facit, ab iis etiam ſuperſtitionum generibus, quae indirecte circa Numinis cultum verſantur, animo erit alieniſſimo. Immo haec omnia eo magis deteſtatur, quo certius novit, iſta omnia cum vero Numinis cultu conſiſtere non poſſe, immo ſeveriſſime a Deo eſſe prohibita; conf. *Deuter. XVIII. verſ.* 10. *Levit. XX:* 27. add. & *Eſa. XLVII. verſ.* 12, 13, 14. Idque probe illi ex Epheſiis intelligebant, qui ante converſionem ſuam περίεργα tractaverant, libros quippe, in quibus talia continebantur, adferentes, & ad ejusmodi facinorum deteſtationem publice concremantes; *Act. XIX:* 29. Ex Scriptura autem dum remedia contra ſuperſtitionem petenda, contendimus, de *legitima ejus* hoc intelligimus *tractatione;* ut aliquis eam diligentia debita non tantum legat, ſed & ſcrutetur, verumque ejus ac genuinum ſenſum inveſtiget, tum cuncta rite ad ſe ipſum transferat, & hac ratione ad poenitentiam & fidem, & per fidem ad ſincerum Numinis amorem perducatur. Quod fieri non poſſe, niſi preces devotas & ardentiſſimas cum iſta tractatione conjungat, obſequiumque doctrinae coeleſti praebere paratus ſit, nemo non intelligit. Hoc enim ſi non faciat, ſed exiſtimet, externam verbi tractationem ſine attentione, ſine ſeria applicatione, ſine precibus, ſibi profuturam, ſperatum non tantum inde non referet fructum, ſed potius hoc ipſo ſuperſtitionis ſe reum faciet.

*** Verae & genuinae Philoſophiae ſtudium ad ejiciendam ex animo Superſtitionem plurimum conferre, non temere quis, niſi expers fuerit omnis philoſophiae, dubitaverit. Credulitati enim, ſimilibusque intellectus vitiis, medebitur Logica; quippe cujus hocce eſt proprium munus. Morbos enim iſtos intellectus non tantum deſignat, ſed eorum etiam foeditatem demonſtrat, & rationem ab iis ſe liberandi oſtendit. Philoſophia moralis, uti de reliquis adfectibus, ita & de avaritia, metu inconſulto & intempeſtiva curioſitate nos erudit, & quanto ſtudio haec omnia, ne miſeros nos reddant, fugienda ſint, nos

nos condocet. Phyſica autem, ſeu naturalium rerum ſcientia id efficit, ut evidenter intelligamus, falli magnopere homines ſuperſtitioſos, dum inter cauſas quasdam & effectus nexum ſibi fingunt, qui revera non tantum non eſt, ſed nec eſſe poteſt; ſtolideque adeo & inſipienter eos agere, qui ſibi ab aliis ea perſuaderi patiuntur, quae non tantum non ſunt, ſed nec eſſe poſſunt. Haec vero omnia, cum abunde ex ſupra dictis conſtent, plura ut addamus, neceſſe non eſt.

S. D. G.

INDEX RERUM.

Numerus prior Paginam, alter, qui praefixam sibi habet literam *n*, Notam indicat.

A.

Academia prima, secunda & tertia, 22. singularum principes & dogmata. pag. 22-24

Aër atmosphaericus, quaenam ab eo proficiscantur utilitates naturales? 263*. quaenam sit coerulei in eo coloris causa & utilitas? 265. *n.* 185

Alexander Epicuraeus, Atheismi Epicuraei suspectus. 36, 47, 48

Almaricus, Philosophus, an Spinozismi praelusor? 63, 64. *n.* 46

Anaximander, Philosophus, an Atheus? 14, 16

Anaximenes, Philosophus, an Atheus? 14, 16

Angeli: negata Angelorum exsistentia in quantum pro dogmate cum Atheismo conjuncto haberi queat? 420. seqq.

Angeli mali; quid de horum cum hominibus commerciis existimandum? 421, 427. *n* 323, 512. *n.* 381

Angelorum existentia possibilis quidem, sed non actualis, ex rationis lumine a priori probari potest, 426. *n.* 321. neque etiam seposita S. S., realis eorum existentia ab experientia innotescit, 427. *n.* 322. demonstratur vero plenissime ex Sacro Codice, 421. seqq. cujus verus sensus adversus Bekkeri interpretationes vindicatur, *ibid.* defenditur contra objectiones eorum, qui Angelorum aut possibilitatem aut existentiam negant. 424. seqq.

Angelorum exsistentiae negatio an & in quantum cum Atheismo conjuncta sit? 158. *n.* 100. an recte Sadducaeis imputetur? 159, 163. *n.* 101. quibusnam ex veteribus Gentilibus eorum existentia fuerit credita? 159. & seqq. 164. *n.* 103

Anima humana an mortalis quidem sit, & una cum corpore interitura, sed cum eodem corpore denuo in vitam revocanda? 149, 154. an possit credi sopita veluti a corporis obitu ad resurrectionem usque? 156. *n.* 94

Anima humana; ejus stupendae facultates, 283, 284. se ipsa non novit, 289. *n.* 204. est substantia, a corpore diversa, imo naturae contrariae, 284. seqq. 290. *n.* 206. libere agens, 285. seqq. 291. *n.* 207, 292. *n.* 209. an per experientiam constet, animam revera in corpus agere? 433. *n* 333

Animae Brutorum, quid de his sentiendum? 360. *n.* 262

Animae humanae immortalitas negata ad Atheismum ducit, sed non necessario, 148. negata a Sadducaeis, 149. coll. 144. a quibus primum adserta? 149, 150. an Stoicis credita? 151, 152. an Platoni? 152. an Aristoteli. 153, 157. *n.* 97

Animae humanae immortalitas, quid per eam accurate loquendo debeat intelligi? 414. *n.* 309. an & in quantum animae immortalitas ex ejus immaterialitate, adeoque indestructibilitate possit demonstrari? 407, 414. *n.* 309. demonstratur probabili

 argu-

argumento ex communi omnibus conſcientiae teſtimonio. 407, 408, 414. *n.* 310. ex conſideratione juſtitiae Dei remunerativae, 408. cujus argumenti vis ponderatur, 415. *n.* 311. ex innato immortalitatis deſiderio, nobis non fruſtra indito; 408, 409, 415. *n.* 312. recenſio praecipuorum ex iis, qui animae immortalitatem ex ratione probarunt. pag. 409, 416. *n.* 313

Animae humanae immortalitas vindicatur contra objectiones, ex animae materiali natura, 410. ex dependentia facultatum animae a ſtatu conjuncti corporis. 410, 416. *n* 314, 417. *n.* 316, 317

Animae humanae immortalitas demonſtrari poteſt, licet anima credatur materialis, aut vis quaedam materiae inſita aut ſuperaddita. 419. *n.* 319

Animae humanae origo obſcura eſt. 417. *n.* 315

Animalia; eorum Inſtinctus, v. *Inſtinctus*: procreatio eorum quoad modum omnino incognita. 274. *n.* 195

Animarum transmigratio, ab Aegyptiis traditum dogma, a Pythagora & Phariſaeis receptum fuit, perque totum Orientem invaluit. 149, 150, 156. *n.* 95

Antiſthenes, Philoſophorum Cynicorum antiſtes. 33

Aquarum in orbe terraqueo quantitas num nimia ſit? 261, 264. *n.* 184. *pluviarum* maxime uſus. 262, 265. *n.* 186

Aquatilia; eorum ſtructura. 269

Arabici, haeretici ſaeculi tertii; eorum de animarum mortalitate opinio ſingularis. 149

Arceſilas, ex ſecunda Academia philoſophus, 22. Ejus de vero & falſo ſententia. 23

Aretinus (Petrus) auctor non fuit famoſi de tribus impoſtoribus libri, 67. *n.* 47. vita moribusque impius & obſcoenus. *ibid.*

Ariſtippus, Cyrenaïcae Sectae conditor, 30. *n.* 21. ad ſummum inter Atheos practicos referendus. *ibid.*

Ariſtoteles Atheis non annumerandus 26. non ſaltem primi ordinis, 27. *n.* 17. genuina ejus de Deo & mundo ſententia, 27. ejusque a Stoicis an hoc capite diſſenſus, 28. opinio de mundi aeternitate exponitur, 139, 140. an animas crediderit immortales? 152, 153, 157

Aſtrologiae definitio, origo, hiſtoria & ſuprema vanitas. 513-524

Atheiſmi cauſae praediſponentes, 186-197. occaſionales. 197-203

——— ſtultitia & irrationabilitas, 203-206

——— effectus, 211-223. remedia tum προφυλακτικὰ tum θεραπευτικά. 225

Atheiſmus, an theoreticus ante diluvium exſtiterit. 5

—— —— ejus definitio, 120. ſumitur ſenſu laxiori aut ſtrictiori, 120, 121. prioris & ſecundi ordinis. 4, 121, 122

—— —— duplex, theoreticus vel practicus. 130, 131

—— —— theoreticus vel rudior, ſeu plebejus, vel philoſophicus. 132

—— —— philoſophicus, vel ſcepticus vel dogmaticus. 132

—— —— dogmaticus vel Ariſtotelicus, 134, 135. vel Stoïcus, 135. vel Epicuraeus, 135-137. vel Spinozianus. 137

—— —— an poſſit conjungi cum vera virtute? 206. an Atheiſmus praerogativam habeat prae ſuperſtitione, 208-210. *n.* 143, 215. ſeqq.

Atheismus an poenis civilibus sit coër-cendus? pag. 212. *n.* 145
—— —— integris Gentibus tantum non semper immerito imputatus. 228, 229, 232. *n.* 155
—— —— *Dogmaticus* : generale ejus fundamentum evertitur, si demonstretur materiae non necessaria, sed contingens existentia. 326, 327. *n.* 242
—— —— *Epicuraeus* & Stratonicus ; ejus refutatio. 340. seqq.
—— —— *Scepticus* ; ejus refutatio a Buddeo non satis distincte proposita, 320. seqq. plenius & magis dilucide. 323. seqq. *n.* 237-239
—— —— *Spinozisticus* : ejus refutatio. 351. seqq.
—— —— *Stoïcus* ; ejus refutatio. 336. seqq.
Atheus ; Vocis definitio, 3. Atheorum distinctio in duos ordines, 3, 4. an dentur Athei theoretici. 4. *nota* 1.
Attractio ex corporum essentia non profluit. 346. *n.* 252
Auris humanae mirabilis structura. 281. *n.* 203
Αὐτόχθονες ; quis hujus denominationis apud veteres sensus? 314. *n.* 229
Averroes, mentis Aristotelicae de mortalitate animae optimus interpres. 153

B.

Baelius (Petrus) num merito Scotistas Spinozismi arguerit? 65. num Manichaeismum serio defenderit? 91-94. quibus indiciis propensi in Atheismum animi reus agatur? *ibid.* num scepticos serio voluerit excusatos? 126, 127. *n.* 81. num bona fide Spinozam oppugnaverit? 361. *n.* 263, 362. *n* 264
Barbarus (Hermolaus) an Atheus? 84
Boyle (Petrus) ; ejus sententia de Christianismo cum societatis civilis commodis male convenienti, 218, 219. integris Gentibus Atheismum sine sufficienti ratione adtribuit, 228, 229. quanam similitudine usus libertatem humanam explicet? 293. *n.* 209
—— —— argumenta a Manichaeis contra Dei providentiam olim allata recoxit, mire exaggeravit & strenue ursit. 144-148
Bekkerus (Balthazar) ; refelluntur ejus plurimum S. S. locorum interpretationes, ad ipsius systema accommodatae, 421. seqq. 428. *n.* 325, 429. *n.* 326, 327, 430. *n.* 329, 431. *n.* 330
—— —— —— Ejus de influxu cacodaemonis in homines & res mundanas sententia, 162. inter quam & Cartesianam de natura mentis non est nexus necessarius, 165. *n.* 110. * a quibus oppugnata? 162. ejus de spiritibus sententia non ad ea pertinet dogmata, quae cum Atheismo conjuncta sunt. 426. *n.* 320. * & 432. *n.* 332
Berigardus (Claudius) quo jure Atheismi suspectus? 81
Bion Boristenites, Philosophus Cyrenaicus, Theodori Athei discipulus, 30, 32. primum Atheus, dein superstitiosus. 32
Boehmius (Jacobus) Enthusiasmi reus, 128. an & Spinozismi? 128, 129
Bourignon (Antonetta de) inter Mysticae Theologiae addictiores numeranda. 130. *n.* 83
Browne (Thomas) non fuit Atheus, 106. an Indifferentismi jure accusetur? 107. *n.* 70
Brunus (Jordanus) num Atheus? 68, 69. *n.* 48. num ob Atheismum, an vero

vero propter apostasiam ab Ecclesia Romanensi combustus? pag. 68, 69. n. 48

Buddeus (Jo. Franciscus); ejus controversia cum Lockio de insita Dei notitia non nisi logomachica est, 231. n. 153. argumenta Atheismum scepticum eversura non satis distincte proposuit, 323. n. 238. Cartesium nimis acerbe habuit. 348. n. 255. coll. 343

——— sententiam Lockii de cogitatione naturae corporis non contraria olim amplexus, 359. n. 260, 360. n. 261. dein deseruit. 353. seqq.

C.

Caesalpinus (Andreas), Medicus & Philosophus, Atheis secundi ordinis accensendus. 80

Caesar Cremoninus; num animas putaverit mortales & quo sensu? 81, 82. n. 55

Cainus num primus fuerit Atheus? 5. saltem inter theoreticos non referendus. ibid. n. 2

Calvinus (Jo.) Atheismi accusatus. 116. seqq.

Campanella (Thomas) num Atheus. 76, 77. ejus indoles. 77. n. 52

Cardanus (Hieronymus) Fanaticis potius quam Atheis annumerandus. 74-76. n. 51

Carneades Cyrenaicus ex Academia tertia, 22. ejus de vero & falso judicium, 23. merito Atheismi accusatus videtur. 24

Cartesius (Renatus) Atheismi per contumeliam accusatus, 88. neque Scepticismo addictus, 89. n. 60. quo sensu accipienda Cartesii de omni re dubitatio? *ibid.* Teleologiam perperam ad Dei existentiam demonstrandam adhiberi credidit. 90. n. 61

Cartesius (Renatus) animae quidem simplicem naturam, non vero futuram immortalitatem demonstravit. 157. n. 98

——— ——— Ejus duplex existentiae Dei demonstratio ex Dei idea, 245. seqq. una a posteriori, 236. seqq. n. 158. altera a priori, 236, 238. n 159. notatur, quod creationem ab aeterno Deo possibilem crediderit, 334. n. 246. statuit, eandem semper in hoc universo manere motus quantitatem, 344. n. 250. iniquius a Buddeo habitus, 343. defenditur. 348. n. 255

Casa (Joannes) num paederastiam carmine laudaverit? 84

Cato Censor; ejus de Gentilium Superstitione judicium. 58

— Uticensis quid de Deo senserit? 58, 59

Chaldaei num Pantheistae? 11, 12. eorum ita dicta oracula sunt supposititia. *ibid.*

Cherbury (Eduardus Herbertus Baro de) non Atheus, sed Naturalista, 105. imo a Superstitione non liber. 106. n. 69

Christiana Religio; maximus ad incrementa Theologiae naturalis Christianismi usus fuit, 465. n. 347. ejus veritas demonstratur, 458. seqq. uti & divina ejusdem origo & auctoritas, 471. seqq.

Christianismus an societati civili accommodatus sit, an vero cum eadem bene convenire non possit? 128, 129, 221. n. 150, 222. n. 151

Cicero num jure Atheismi accusatus? 57, 60, 61. a Gentilibus nimium Christianismo favere creditus, 59. ejus de immortalitate animae sententia. 61. n. 43

Clarkius (Samuel); ejus definitio Miraculi, 175. Ejus demonſtratio de Deo ejusque attributis laudata. pag. 244
Clitomachus, Carneadis diſcipulus, Atheismi reus. 24. *n.* 15
Collinſius (Antonius) Salomonem immerito inter ſic dictos libere cogitantes refert, 8, 9. *n.* 5. ſi non Atheus, at Atheismi fautor, 112, 113. Varronem, utrumque Catonem & Ciceronem injuria libere cogitantibus accenſet. 58
Cowardus (Gulielmus) Medicus Londinenſis, Arabicam Haereſin recoxit. 154
Creatio; an in primo creationis actu concipi ſine abſurditate poſſit ſucceſſio? 329. *n.* 243. creatio ex nihilo Gentilibus tantum non omnibus ignota, proprium Chriſtianae Religioni dogma videtur, 337. *n.* 244. an a Deo absque ſuae libertatis abuſu omitti non potuerit? 130. *n.* 84
Critias, Socratis diſcipulus, an Atheis accenſendus? 19. *n.* 12
Cudworthus; ejus definitio Miraculi inſufficieus ſeu minus completa, 175. *n.* 118. argumentum Carteſii pro Dei exiſtentia ex idea a priori ſumtum emendavit. 238. *n.* 159
—— —— Ejus ſyſtema Hylozoïticum exponitur & refutatur, 303. *n.* 219. differt a non abſimili ſyſtemate Stratonis. 350. *n.* 256
Cuffelerus (Abrahamus Joannes) Spinozae ſectator & defenſor. 100. ſeqq. 103. *n.* 67
Cuperus (Franciscus) an ſerius Spinozae adverſarius? 100
Cyrenaica Philoſophorum *ſecta* Atheiſmi, ſaltem practici, rea. 30

D.

Dei exiſtentia non poteſt numerari inter axiomata, 231. *n.* 153. an ex conſcientiae teſtimonio poſſit evinci? 227, 232. *n.* 154
—— —— in quantum probari poſſit argumento ab univerſali Gentium conſenſu ſumto? 227. ſeqq. 233. *n.* 156. argumentum illud non exiguum habet pondus, licet non ſit apodicticum, 234. *n.* 156. defenditur contra exceptiones Erneſti & Hollmanni. 233, 234. *ibid.*
—— —— duplex ejusdem a Carteſio adfertur demonſtratio ex Dei idea petita, 235. ſeqq. una a poſteriori, 236. ſeqq. *n.* 158. altera a priori, quae ex poſſibilitate ad exiſtentiam concludit. 236, 238. *n.* 159
—— —— demonſtratur triplicis generis argumentis, Metaphyſicis, Phyſicis, Hiſtoricis. 240
—— —— invicte probatur, inprimis contra Scepticos, argumento metaphyſico ex mentis noſtrae exiſtentia & conſtitutione ſumto. 240. *n.* 162, 246. *n.* 165, 166
—— —— demonſtratur e motu, & velocitatibus materiae. 242. ſeqq. 245
—— —— —— ex abſurditate cauſarum effectuumque ſeriei in infinitum progredientis. 243, 246. *n.* 165
—— —— —— ex contingentia hujus Univerſi. 243, 248. *n.* 170
—— —— —— ex amplitudine, ordine & diſpoſitione hujus Univerſi, ſingularumque ejus partium ad certum finem directione. 249. ſeqq.

Dei existentia an argumento Maupertuisiano a Lege Parcimoniae desumto rite probetur? pag. 277. *n.* 198
—— ——— quomodo probari queat ex conscientia. 294. *n* 211. coll. 227. 232. *n.* 154
Dei immaterialitas demonstratur. 374. *n.* 277
Dei immutabilitas an cum creatione mundi in temporis initio possit conciliari? 375. *n.* 279. an cum decretis conditionatis? 377. *n.* 281
Dei incomprehensibilitas; num Atheis aliquam suggerat argumenti speciem? 325. *n.* 240
Dei independentiae idea positiva est; sed voce negativa expressa. 369. *n.* 272
Dei intellectus quomodo concipi debeat? 374. *n.* 278
Dei notitia insita; de ea lis inter Buddeum & Lockium non nisi mera logomachia est. 227, 230, 231. *n.* 153
Dei omnipraesentia - num Deus ante creatum Universum concipi possit omnipraesens fuisse? 332. *n.* 245. quis sit genuinus omnipraesentiae conceptus? 370. *n.* 276
Dei Providentia; ejus negatio proximus est ad Atheismum gradus, 143. imo haec negatio pro characteristico Epicuraeae sectae dogmate habita olim fuit, *ibid* Providentiam non negarunt Sadducaei, 144, 147. *n.* 91. argumentorum praecipuorum Providentiam impugnantium recensio. 145-148
—— ——— demonstratur ex summa ejus sapientia, 387. ex finibus rerum omnium, *ibid.* ex bonitate Dei ejusdemque potentia, 288. ex dependentia & infirmitate rerum creatarum, seu, quod eodem redit, ex earum natura contingenti, 388, 397. *n.* 290. ex iis, quae quotidie in vita humana contingunt, 389. quorum nonnulla exempla fusius proponuntur, 389, 390, 398. *n.* 292, 293, 294. animadversio circa ordinem in proponendis pro veritate hac argumentis observandum. 396. *n.* 289
Dei Providentia vindicatur contra difficultates, sumtas ex apparanti inutilitate, plurimarum rerum creatarum, 392, 400. *n.* 297. ex malis physicis, 392, 393; 401. *n.* 299. *n.* 300, 402. *n.* 301, 403. *n.* 302. ex consideratione divinae bonitatis simul & potentiae, 393. seqq. 403. *n.* 303. seqq. ex apparente malorum prosperitate. 395, 405. *n.* 308
—— ——— num ad hujus ideam necessario pertineat perpetuus & positivus divinae potentiae ad existentiam rerum creatarum conservandam actus? 396. *n.* 289, 397. *n.* 290, 291
Dei Sapientia demonstratur innumeris argumentis ex Teleologia sumtis. 249-296
Democriti Abderitae de Dei natura opinio ignoratur. 40, 41
Deurbovius; judicium de hoc homine. 418. *n.* 318
Deus an mundi creationem absque libertatis suae abusu omittere non potuerit? 130. *n.* 84
—— est aeternus, 246. *n.* 166. independens, 247. *n.* 167. immutabilis. *ibid.*
—— existere per se, quo sensu dicatur? 247. *n.* 168
—— cur Deus Mundum non dudum antea condiderit? 331, 333. *n.* 246. cur non ab omni aeternitate? 331, 333. *n.* 246

Deus an ab omni aeternitate, si voluisset, Mundum sine contradictione condere potuisset? pag. 333-335. n. 246
— an potuerit mundum hunc condere prius quam condidit? 333. n. 246
— an in idea Dei contineantur attributa contraria, adeoque se mutuo destruentia? 369. n. 274
— idea Dei in quantum positiva, in quantum negativa sit? 368. n. 272
— cur Deus in hac vita impios non semper puniat, probos contra non semper remuneretur? 405. n. 308
— an certo praevideat res mere contingentes? 436. seqq. 441. n. 337, 442. n. 338
— an futurorum contingentium praescientia nulli alii Enti, praeter solum Deum, competat? 438, 443. n. 339
Dinanto (David de) Atheismi Spinozistici reus. 64, 65
Diogenes Sinopensis, Philosophus Cynicus, ad Atheos secundi ordinis pertinet, 33, 34. n. 25. a Baelio excusatus, sed frustra. 34. *ibid.*
Diagoras Melius, 31, 45. qua occasione ad negandam Dei providentiam fuerit permotus? 45, 46. n. 34
Dodwelli, Angli doctissimi, paradoxa de animarum immortalitate sententia. 155

E.

Eleatica Philosophorum *secta*, 35. unde nomen suum nacta? 36. Atheismi Spinozistici rea. 36, 37
Emanativum Systema non semper cum Spinozismo convenit. 130. n 83
Enthusiasmus; ejus definitio, 129. n. 82. nullam habet cum Atheismo affinitatem, *ibid.* neque cum Spinozismo, 130. n. 83. an Mysticis seu Theosophicis jure imputetur? 128
Epicurus omnem Dei providentiam negavit, adeoque Atheis secundi ordinis annumerandus, 42-44. ejus de fundamento obligationis ad Dei cultum sententia, 43. an fuerit hypocrita? 43, 44. n. 32
Erasmus (Desid.) a Theophilo Raynaudo Atheis annumeratus. 117
Ἐθελοθρησκεία, quid? 496-499
Euclides Megarensis, Philosophus. 30
Euhemerus Messenius, Atheis perperam annumeratus, 48, 52, 53. ejus de Gentilium Diis opinio. 52, 53
Euripides Tragicus, a Plutarcho temere Atheismi notatus. 53

F.

Finis definitio. 295. n. 212
Fortuna, casus fortuitus, quid? 348. n. 254

G.

Geomantia, divinationis species, quid? 542, 543, 546. n. 391
Geulingius (Arnoldus) num Spinozismi suspicionem merito suo incurrerit? 100, 103. n. 66
Gravitas non pertinet ad attributa corporum essentialia, sed ad universalia. 345. n. 251

H.

Heraclitus, si quidem Atheus, at secundi ad summum ordinis. 49, 50. n. 36
Hippocrates injuriâ a nonnullis in Atheorum classem relatus. 51. n. 37
Hobbesius (Thomas) num Atheus? 108, 111. n. 71. Ejus sententia de

S. S.

S. S. auctoritate, *ibid.* de naturali Dei notitia, 109, 110. de natura Dei & spirituum in universum, 110, 111. num infinitatem attributorum in Deo admiserit? pag. 370. *n.* 274. *n.* 275

Homines; nascentium morientiumque numerus per universam tellurem fere aequalis est. 264. *n.* 183, 300. *n.* 213

——— hominum genus non semper exstitit. 298. seqq. 300. *n.* 214

Hylozoismus quid? 137. *n.* 88. haud necessario junctum sibi habet Atheismum? *ibid.*

——— Cudworthus & Morus praecipui ex recentioribus ei addicti, 303. *n.* 219. refutatur. 303, 304. *ibid.*

I.

Idololatria definitio, 486. duplex species, crassior sc. aut subtilior. 487, 488

Indifferentismus universalis & particularis. 123, 124. *n.* 79

Infinita causarum series duplici sensu concipi potest, 243. contradictionem involvit. *ibid.* 246. *n.* 165

Influxus Physici systema, quibus maxime prematur difficultatibus? 433. *n.* 333

Instinctus Animalium quid? 274. *n.* 194. sapientem sui causam requirit, *ibid.* in primis conspicitur in nidificatione. 275. *n.* 196

Jonica Philosophorum Graecorum *secta*, an Atheismi rea? 15

Jovius (Paulus) Atheismi accusatus a Wagnero. 83

Justinus Martyr quid de Socrate & Heraclito senserit? quid de Platone? 20

K.

Kabbalistae Atheis secundi ordinis videntur annumerandi. 10, 96, 97

L.

Leenhof (Fridericus van) Spinozismi reus. 102

Leibnitius; ejus sententia de Mundo optimo. 402. *n.* 301

Leucippus, e secta Eleatica, an Atomorum inventor & quid per Atomos intellexerit? 39, 40. *n.* 29, 30

Liszynski (Casimirus) Atheismi accusatus, ideoque combustus. 115

Livius, Superstitionis Ethnicae contemtor, at male a Tolando Atheis adscriptus. 61, 62

Lockius (Johannes); controversia inter eum & Buddeum de insita Dei notitia non nisi logomachica est, 227, 230, 231. *n.* 153. notatus eo, quod materiae superaddi posse cogitandi facultatem crediderit. 419. *n.* 319

Loërsius (Joh. Christ.); ejus sententia de subtilibus Angelorum corporibus. 163. *n.* 102

Lucanus, Poëta, ad Superstitionem quam ad Atheismum proclivior. 59. *n.* 42

Lucianus Samosatensis, ex Eclecticis, 54, 56. Atheismi non immerito arguitur. *ibid.*

Lucretius (Titus) Carus; absurditas ejus sententiae de corporea animae natura exponitur, 284, 285. Ejus argumentum contra Mundi aeternitatem, 315. *n.* 233. animae immortalitatem impugnat. 410

Lutherus (Mart.) Atheismi accusatus. 116. seqq.

Luzac (Elias) laudatus. 385. *n.* 288

M.

M.

Machiavellus (Nicolaus) non videtur Atheis debere annumerari, 77. seqq. *n.* 53. judicium de ejusdem tractatu politico, quem Principem inscripsit. pag. 78, 79
——— ——— ——— Ejus sententia de influxu Christianismi in Societatem civilem, 222. *n.* 151. num Religionem habuerit pro callido Politicorum invento? 380, 383. *n.* 285
Magi Aegyptiaci; quid de narratis in S. S. eorum miris artibus habendum? 424, 430. *n.* 329. confer omnino 451. *n.* 343
Magia, a Magia naturali, quam vocant, bene distinguenda, definitur, 504, 505. historia 505. seqq. quid de ea credi debeat? 512. *n.* 381. coll. *n* 323. & *n.* 333
Manichaeismus a Baelio recoctus. 91. seqq.
Manilius, poëta Astronomus; ejus sententia de Deo & mundo. 8, 9. *n.* 6
Mathesis; quaenam inter Matheseos partes verosimiliter primum inventa? 307, 313. *n.* 226
Maupertuisius demonstrat improbabilitatem, casum fortuitum esse originem motuum in systemate planetario. 254. *n.* 176
——— ——— argumenta pro Dei existentia ex finibus rerum creatarum petita rejicit, 276. *n.* 198. quid pretii sit novo ejus argumento a lege parsimoniae, quam vocant, ducto? *ibid.*
Melanchthon (Phil.) Atheismi insimulatus. 116. seqq.
Mendelsohn (Moses); Ejus emendatio Cartesiani pro Dei existentia argumenti a priori ex idea petiti, admodum subtilis & speciosa. 238. *n.* 159
Mercatura; ejus antiqua origo. 312. *n.* 223. coll. 306
Mettrie (la) Atheismi fautor, 94, 95. *n.* 63. animarum immortalitatem negare videtur, 157 *n.* 99. animam pro certa materiae dispositione habet. 419. *n.* 319
Miracula, an a solo Deo, an vero ab aliis etiam Entibus edi possint? 172, 173, 174. *n.* 118. & 451. *n.* 343. A Miraculis an valet conclusio ad existentiam Dei? 175. *n.* 119. coll. 172. Spinozae de miraculis sententia. 173, 174
Miraculum admodum diversa notione a Philosophis sumitur. 172, 174. *n.* 118
Montanus (Michael) quo jure Atheismi suspectus? 87. *n.* 59
Montes; eorum utilitates physicae. 263, 265. *n.* 187
Montesquieux falso autumat, hominum numerum paulatim decrescere. 264. *n.* 183
Moralis sensus s. sensatio s. instinctus quid? 196. *n.* 131. a quibus adsertus sit? *ibid.*
Morus (Henricus) nimiae credulitatis notatus. 428. *n.* 323, 513. *n* 381
Mosaïcae Religionis veritas demonstratur, 456. seqq. ut & divina auctoritas. 471. seqq.
Moses num Pantheismi a Tolando fuerit accusatus? 6. *n* 3. non fuit impostor. 383. *n.* 286. ejus doctrinae Legumque sanctitas, 384. *n.* 287. Mosis fides in describenda Terrae

Sanctae fertilitate contra Tolandum vindicatur. pag. 473. *n.* 353
Motus; a corporum motu ejusque velocitate recte concluditur ad Dei existentiam, 242, 245. *n.* 163. conatus ad motum materiae omni essentialis creditur a Tolando, 243. sed falso. 245. *n.* 164
Mundus; eum non esse ab aeterno, sed habuisse initium, probatur argumentis historicis, 304-315. quorum vis vindicatur contra exceptiones nonnullorum, 316. *n.* 234. & confirmatur aliquot argumentis accessoriis, 317. *n.* 236. Ejus aeternitas perperam colligitur ex male sana applicatione universalis regulae: Ex nihilo nihil fieri, 327, 328. *n.* 243. cur Mundus a Deo non dudum ante conditus? 331, 333. *n.* 246. cur non ab omni aeternitate? *ibid.*
Mundus; an possibile sit, mundum, qualis existit, absque sapientia, casu fortuito enatum esse? 346. *n.* 253
Muretus. (M. Antonius) Atheis, saltem theoreticis, non annumerandus. 84, 85. *n.* 58

N.

Naturalismus; definitio & non fixa significatio. 122
Navigandi ars cur magis inculta inter recentiores? 312. *n.* 223

O.

Obsessiones corporales possibiles sunt & olim exstiterunt, vix usquam hodie. 421, 428. *n.* 324
Oculus; humani descriptio, 271. *n.* 190. & ab oculis animalium differentia, 267, 268. ut & ab oculis Insectorum. 273. *n.* 191
Oneiromantia, divinationis species, 543. seqq. 546. *n.* 398, 547. *n.* 399
Orpheus; incertum quid de Deo senserit. 13, 14

P.

Pantheismus; num Moses ejus possit argui? 6 num Zabii seu Sabaei? 10, 11. num Chaldæi? 11, 12. Pantheismi doctrinam primus in Systema redegit Spinoza. 96
Periers (Bonaventura de); num auctor libri, cui titulus *Cymbalum mundi*? 86
Peyrerius (Isaacus) System. Praeadamitici conditor: Ejus de S. Scripturae auctoritate impia sententia. 182
Philosophia corpuscularis, quaenam? 133. an Atheismi jure accusari possit? *ibid.* *n.* 86. num conveniat cum Newtoni doctrina? 134. *n.* 87
Planetae; num, habitari eos, probabile? 250, 253. *n.* 174
Plato, Socratis discipulus, 20. nullo jure inter Atheos refertur, 21. ejus doctrina de mundi creatione obscura est. 21. *n.* 14
Plinius senior, Atheismi, ut videtur, Epicuraei reus. 62. *n.* 45
Plutarchus, Philosophus Eclecticus, 54. Atheismi male accusatus, *ibid.* Paganismo fuit addictus. 55
Poggius, Florentinus, ad summum inter Atheos practicos referendus. 68
Poiret (Petrus) Mysticus. 130. *n.* 83
Polemo, ex Academia prima philosophus. 22
Politianus (Angelus) an Atheus? 83
Pomponatius (Petrus) Atheismi non reus,

reus, sed Scepticus potius & Naturalista. pag. 70, 71. *n.* 49
Possevinus (Antonius) Lutherum, Melanchthonem & Calvinum Atheis annumerare ausus est. 116. seqq.
Praedictiones rerum futurarum non sunt ejusdem generis, 166. quid de illis senserint Philosophi veteres? 167. an omnes sine discrimine Gentilium praedictiones pro fabulis & fraudibus haberi debeant? 168, 169, 170. *n.* 112. in quantum praedictiones certae faciant ad Dei existentiam probandam? 171. *n.* 117. an homini naturalis sit vaticinandi facultas? 169, 171. *n.* 116. prophetiae non variant pro ratione diversi Prophetarum temperamenti, sed variat stilus. 168, 170. *n.* 113, 171. *n.* 115
Praedictiones rerum futurarum contingentium; definitio, 440. *n.* 334. tales revera olim exstitisse, demonstratur non unico exemplo, 434. seqq. a nullo spiritu creato, sed solo Deo proficisci possunt. 438. *n.* 339
Prodicus Chius, 36, 47. ab Atheniensibus ob Atheismi crimen interfectus. *ibid.*
Prophetiae, v. Praedictiones rerum futurarum.
Protagoras Abderites, Atheismi Sceptici reus. 36, 46, 47. *n.* 35
Providentia, v. Dei Providentia.
Pyrrho, philosophus. 22
Pythagoras; de ejus doctrina de Deo, mundo & providentia non constat, 36, 37. *n.* 27. an Spinozismi reus? 37. an Magiae? *ibid.*

R.

Rabelesius (Franciscus) Atheismi accusatus. 86
Raphson (Josephus); quid de ejus demonstratione existentiae divinae censendum sit? 202. *n.* 139, 203. *n.* 140
Religio; eam unice Politicorum artibus originem suam debere, mera calumnia est. 229, 230, 234. *n.* 157
Robinetus Teleologiae usum ex Theologia naturali proscribit, 296. *n.* 212. mundum non aeternum esse, sed ab aeterno creari potuisse, autumat. 334. *n.* 246
Robinetus notatus. 358. *n.* 258
—— —— incomprehensibilitatem Dei nimis extendisse videtur, 367. *n.* 268. quid pretii ponendum sit ejusdem opinioni de necessario boni & mali in hoc Universo aequilibrio? 401. *n.* 300
Rousseau (Joannes Jacobus); ejus sententia de Religione Christiana Societatis Civilis bono non accommodata, 221. *n.* 150. notatus ob imprudenter dicta de miraculis, ad Christianae Religionis fidem editis. 480. *n.* 369
Ruggerius (Cosmus) Astrologus & Magiae addictus. 82. *n.* 56

S.

Sadducaei; num omnem omnino Dei providentiam rejecerint? 144. negatur, 147. *n.* 91. quid de Angelorum existentia crediderint? 159, 163. *n.* 101
Salomon immerito inter sic dictos libere cogitantes relatus. 8, 9. *n.* 5
Sceptici; quem in modum argumenta con-

contra eos proponi debeant? pag. 323. *n.* 237, 238
Scepticismus aut universalis, qui Atheismi species est, aut particularis, 125. seqq. *n.* 80. quid habendum de Baylii adserto, Scepticismum animos praeparare ad amplectendam Christianam fidem? 127. *n.* 81
Scotistae num jure Atheismi agantur rei a Baelio? 65
Seneca, Philosophus Stoïcus, 58. stolide a nonnullis pro Christiano habitus. *ibid.* *n.* 41
Socrates; ejus philosophandi ratio, 17. ab Atheismi crimine facile absolvendus, at non ab omni suspicione liber. 17-19. *n.* 11
Sol; ejus summa telluri nostrae utilitas Dei sapientiam arguit, 256, 259. *n.* 181
Sextus Empiricus, Atheismo Sceptico addictus. 54, 55
Scribendi ars; ejus origo. 313. *n.* 227
Spectra; quaestio, *num spectra dentur*, bene distinguenda est ab altera hac, num praeter Deum nostramque animam alii dentur spiritus? 427. *n.* 322
Spectrum Endoraeum, quid? 430. *n.* 328
Spenerus (Phil. Jac.) Spinozismi accusatus. 118
Spinoza (Benedictus de) princeps Pantheistarum, 95, 96. unde doctrinam suam hauserit, utrum ex Cartesii, an ex Kabbalistarum scriptis? 96, 97. ejus sententia de Deo plenius exponitur, 97, 98. praecipui ex adversariis recensentur. 99. seqq. 363. *n.* 267
——— ——— autumat, Prophetias variare pro vario Prophetarum temperamento, 169. ejus de miraculis sententia, falsae miraculi ideae innixa, 173, 174. * primaria Religionis Christianae capita verbis admittit, re ipsa negat, 177-179. S. Scripturae auctoritatem omnem ereptam cupit 181, 182. ejus de virtutis, honestatis & justitiae fundamento sententia. 207. * 444. seqq.
——— ——— de libertate humanae mentis. 292. *n.* 209
——— suum Systema falsae substantiae definitioni superstruxit, 358. *n.* 258
Stellae fixae: quinam earum usus naturales? 250. *n.* 172
Stilpo, Philosophus Megaricus, num Atheismi reus? 32. *n.* 24
Stoici num Atheismi jure accusentur? 33. in quantum eorum de Deo Doctrina cum Spinozismo conveniat? 34, 35. *n.* 26
—— magna in Stoïcorum effatis de Deo & Fato ἀμφιβολογία, 337. seqq. *n.* 249. sic & de Providentia, 391, 399. *n.* 296
Strato Lampsacenus, Peripateticus, non injuria in Atheorum classem relegandus, 28, 29. *n.* 19. Ejus sententia qualis & in quantum a Spinozae & Epicuri opinionibus diversa? 29, 136, 137. Ejus systema de plastica materiae virtute a Cudwortho vocatur Hylozoismus. 137
Substantia; ejus fallax notio fundamentum continet totius Spinozismi, 358. *n.* 258. genuina substantiae idea qualis? *ibid.*
Superstitio a Buddeo non satis generaliter definitur, 483, 484. *n.* 371. melius & plenius a Canzio, 484. *ibid.* coll. 487. *n.* 373. ejus a vera Religione differentia, 484. ejus multiplex genus ad duas classes potest redi-

redigi, 486, 487. aut enim pertinet ad *objectum* cultus religiosi, 486 - 490. aut ad cultus *modum*. pag. 490 - 499
—— —— ejus exempla innumera circa res naturales, nulla virtute mirabili praeditas, 524, 525. circa literas, signa, characteres, 525 - 527. circa amuleta, periapta, similiaque 527. seqq. circa auguria, omina, &c. 531. seqq. circa fatalitatem, quam vocant, temporum, annorum, veluti septennii, anni climacterici, 537, 538. *n.* 395. locorum, 539. nominum propriorum. 540
Superstitionis causae praedisponentes & occasionales, 549 - 555. effectus, 555 - 559. proprietates & attributa, 559 - 564. remedia. 564 - 568

T.

Teleologia a Cartesio ex Philosophiae systemate proscripta. 90. *n.* 61
—— —— argumenta ex Teleologia ad Dei Sapientis exsistentiam probandam parum valide judicat *Maupertuisius*, 276. *n.* 198. qua ratione argumenta Teleologica absque exceptione naturalis Theologiae usui possint accommodari? 295. *n.* 212. male exploditur a Robineto. 296. *ibid.*
Thales Milesius, ab Atheismi suspicione absolvendus. 14. seqq. 17. *n.* 9, 10
Theodorus, cognomine Atheus, e Cyrenaïca secta, an jure Atheis primi ordinis annumeratus fuerit? 31. *n.* 23
Theogonia. 14
Theosophici scriptores. 128
Thomasius (Christ.) Atheismi falso insimulatus, 115, 116. *n.* 74. quid de demonstratione animarum immortalitatis senserit? 116. *ibid.*
—— —— an Bekkeri de Spirituum potentia sententiae accesserit? 165. *n.* 111
Tolandus (Joannes) an Mosem Pantheistis accensuerit? 6. *n.* 3, 111, 112. Livium Atheis male accenset, 61. non ita male Plinium seniorem, 62. quis ei fuerit scopus in suo ἀδεισιδαίμονι? 111. Pantheismo addictus fuit, 113. Mosis fidem in describenda Sanctae Terrae fertilitate eximia convellere studet, sed incassum. 467. *n.* 353
Triticum; admiranda ejus structura & incomparabilis utilitas universalisque per orbem proventus Deum monstrant. 266, 267

U.

Universum; amplitudo ejus stupenda. 249, 251. *n.* 171

V.

Valle (Gothofredus à) num auctor sit libri *de arte nihil credendi?* 86
Vaninus (Julius Caesar) ab Atheismi crimine absolvi nequit, 72. seqq. Tolosae combustus. 72
Varro, non Atheus, sed superstitione Gentilium inimicus. 58
Vayerius (Franciscus Mothaeus) Pyrrhonismi subdolus, ut videtur, fautor. 126
Vegetabilia luculentissima praebent divinae sapientiae & bonitatis documenta. 266, 267. *n* 189
Versé (Aubertus de) unus ex praevaricantibus Spinozae adversariis. 99, 102. *n.* 64
Volatilia; eorum fabrica artificiosissima Dei sapientiam ostendit. 268, 269

W.

Witticbius (Christophorus) Spinozismi insons. pag. 100

X.

Xenocrates ex Academia prima philosophus. 22

Z.

Zona torrida non est propter urentem calorem inhabitabilis, ut male Veteribus creditum, 256, 257, 259. *n.* 182. quibus de causis habitari queat? 259. *ibid.*

2ª 55

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Buddeus, Johann Franz,

Theses theol. de atheismo et superstitione variis observationibus illustratae

Lugdunum Batavorum 1767

4 Ph.sp. 29 n
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10008126-7